ANTIQUITATES ECCLESIÆ ORIENTALIS,

Clariſſimorum Virorum

Card. Barberini,
L. Allatii,
Luc. Holſtenii,
Joh. Morini,
Abr. Ecchellenſis,
Nic. Peyreſcii,
Pet. à Valle,
Tho. Comberi,
Joh. Buxtorfii,
H. Hottingeri, &c.

Diſſertationibus Epiſtolicis

ENUCLEATÆ;

Nunc ex Ipſis Autographis Editæ.

QUIBUS PRÆFIXA EST

Jo. MORINI *Congr. Orat. Pariſ.* PP.

VITA.

LONDINI:

Proſtant apud *Geo. Wells*, ad inſigne Solis in Cœmeterio D. Pauli. 1682.

M858A

LECTORI.

MOnitum te velim Lector hanc Joannis Morini, Aliorumque Clarissimorum virorum Epistolarum Collectionem repertam fuisse inter Libros R. P. Ameloti Congregationis Oratorii Presbyteri post illius obitum : Nosque eam habuisse ex ejus hæredibus emptam cum aliquot ejusdem Ameloti Libris. His quoque adjuncta erat Vita Joannis Morini quam in fronte ejusmodi Epistolarum edi curavimus ; à quo autem illa scripta fuerit non potuimus hactenus cognoscere. Cæterum omnes illæ Epistolæ ex ipsismet Autographis editæ sunt.

Vita Johannis Morini,

è Congregatione Oratorii in Francia,

CUM

Animadversionibus in illius Opera.

BLœsiæ Galliæ oppido ad Ligerim natus est Joannes Morinus sub finem prioris seculi, Parentibus qui Religionem quam in hisce locis vocant Hugoneticam profitebantur, in eaque ab illis educatus, Ruvellam quæ tunc munitissimum erat Hugonetorum præsidium missus, ut Literis Humanioribus operam daret, deinde Lugdunum Batavorum ubi linguam Græcam & Hebræam excoluit, animumque ad res Theologicas, imprimis ad eam Theologiæ partem quam vulgo *positivam* appellant, applicuit. Post-

quàm autem in hoc ſtudiorum genere non nihil profeciſſet, reverſus in Galliam, Pariſiis commoratus eſt, ubi captus nomine & eruditione Cardinalis Peronii clariſſimi Catholicorum Romanorum fidei defenſoris cœpit cogitare de ejuranda eorum qui Reformatorum nomen ſibi ſumunt Religione. Ex eo tempore in Peronii familiam cooptatus in illius Comitatu vixit aliquantiſpe à quo poſtea diſcedere Lingonenſi Epiſcopo ſe adjunxit. Sed ut Morinus modeſti erat animi & ab omni faſtu abhorrentis relicta non ſolùm Cardinalis ſed & Epiſcopi domo, ut tranquilliorem vitam ſtudiiſque ſuis magis accommodatam ageret, Congregationi Presbyterorum Oratorii quæ tunc in Gallia, potiſſimum Pariſiis celeberrima erat, nomen ſuum dedit. Congregationis illius inſtituendæ autor fuit Petrus Berullus Presbyter Pariſienſis qui poſtea ab Urbano VIII. ob ſingularem ſuam pietatem in Cardinalium ordinem adſcriptus eſt. Inſtitutionis autem ratio novæ illius Presbyterorum

terorum societatis in Bulla, quam Paulus V. Reginæ Mariæ precibus largitus fuit, sic exprimitur: Nimirum ut disciplina Ecclesiastica undique fere in Regno Franciæ Hæresum bellorumque præteritorum injuriatum in Religione, tum etiam in Moribus non parum depravata ac corrupta in primævum ac pristinum suum statum, devotionisque & pietatis splendorem salubri aliqua ratione restitueretur. Dicta autem fuit Oratorii Jesu Christi Domini Nostri Congregatio in Honorem Orationum quas in diebus carnis suæ fudit, ut iji qui ipsam ingrederentur eundem Jesum Christum pro nobis in Oratione positum & pernoctantem revererentur, quorum principale Institutum esset perfectioni sacerdotalis status totaliter incumbere, singulasque actiones ordini sacerdotali proprie convenientes amplecti. Hactenus ex Bulla Pauli V. & hæc fere ad verbum sumpta sunt ex Literis Regiis quibus Regina

Bulla Pauli V. An. 1613.

Lettres de la Reyne Regente, An. 1612. le 2 Jan.

Maria erigendæ ſocietatis illius tam Pariſiis quàm in aliis Regni locis facultatem conceſſerat. Itaque Morinus adhuc Juvenis genus iſtud vitæ amplectitur, de perficiendo ſacerdotali ordine & ad priſtinum ſtatum revocando, uti Berullus ſibi propoſuerat, minimè cogitans, ſed quod illud eſſet ſtudiis ſuis maximè commodum, videretque in ea Societate Presbyteros qui ſub prætextu perficiendi ordinis ſacerdotalis nullo Religionis voto adſtricti nullíſque functionibus Eccleſiaſticis occupati pingui otio fruebantur. Berullus ingenium eruditionemque Morini plurimi faciens illum dedit Mironio tunc Andegavenſi Epiſcopo, ut aſſiduus ſtudiorum illius comes eſſet. Is poſtea factus Archiepiſcopus Lugdunenſis: & ab ejus latere vix receſſit Morinus uſque ad illius obitum. Tunc Pariſios reverſus vixit in domo Oratorii Pariſienſis una cum Berullo, qui ob probitatem ſuam morumque candorem Reginæ Matris gratiam ſibi conciliaverat. Cùm autem domus illius Presbyteri vitam

tam planè otioſam agerent ac tranquillam, cantandis ſolum Litaniis quibuſdam occupati, Literarum ſtudio ſe totum dedit. Cantus ejuſmodi Litaniarum apud Oratorianos putatur autor Cotonus Jeſuita ſagaciſſimus, qui exemplo Societatis ſuæ Berullum commonuit neceſſe prorſus eſſe ut Congregationis ſuæ homines functionis alicujus Eccleſiaſticæ beneficio domi retineret, aliàs per urbem quotidie errabundos fore.

MORINUS ratus ſcire ſuum nihil fore, niſi & ſe ſcire alii cognoſcerent, publici juris jam fecerat librum de Patriarcharum & primatum origine, & antiqua Cenſurarum in Cleros praxi, dicaveratque Urbano 8. ſummo Pontifici. Operis iſtius Morinum non longo poſt tempore tanquam feſtinantius à ſe editi pœnituit; adeo multa in hoc extant quæ illum tunc in rebus Eccleſiaſticis Infantem manifeſtò produnt. Ut enim dicendi illius genus præteream quod nimis luxu-

Edit. Pariſ. apud Anton. Steph. in 4to. An. 1626.

urians Juvenem ſapit, abundatque phraſibus ac ſimilitudinibus longius petitis, primorum Pontificum Epiſtolas quæ haud dubiè ſuppoſitæ ſunt tanquam genuinas interdum laudat, Dionyſioque Areopagitæ tribuit Libros de Hierarchia; & quod his omnibus deterius videtur, Morinus magis accedit ſententiæ Romanenſium aulicorum de ſuprema Epiſcopi Romani poteſtate quam ſaniori Theologorum Catholicorum imprimiſque Gallorum doctrinis, qui illud argumentum eruditè pertractarunt. Urbanum Pontificem Maximum ſuperbis hiſce titulis ſtatim à limine ornat, *Divinitùs conſtitueris Theſauri Eccleſiæ Cuſtos & Præſes, æternitatis diſpenſator, mentis divinæ Interpres, legum Chriſtianarum arbiter, omnium Mortalium Judex, unicus tui dominus & vindex.* Deinde in contextu operis verbis ſeſquipedalibus & homine gravi haud dignis affirmat vincula quibus tanquam habenis membra Chriſti Pontifex

In Epiſt. Dedic. ad Urb. VII.

Lib. I. *Exercit.* I.

tifex moderatur & velut alter Hercules Gallicus Christianos omnes ab ore pendulos & è sinuosis errorum anfractibus in ovili revocat, quatuor esse Episcopalis Jurisdictionis ordines, Episcoporum, Primatum, & Patriarcharum: Præterea scribit Morinus, *Apostolos, quique eos secuti sunt Pontifices, in Provinciis creasse Archiepiscopos: Episcopos in sua ditione Monarchas esse. *Exercit. 19.

* Regimen, inquit, omne Ecclesiasticum est Monarchicum; diœcesis Episcopi diœcesim regunt; Monarchicos igitur. En Morini acumen, dum non modo Papæ Romano sed & aliis Episcopis adulatur. Verùm his & aliis ejusdem naturæ plurimis valere jussis, satis erit annotasse Morinum postea tam inepti operis puduisse, sæpiusque de illo castigando cogitasse. Mirum tamen est quàm avidè illud à Theologis Parisiensibus exceptus fuerit, præsertim à junioribus qui illud præeuntibus sibi Magistris suis Scholarum exercitationibus utilissimum judica- *Exercit. 12.

runt; ita ut post Morini obitum secunda illius editio prodierit, cui cùm obstitisset ejusdem Morini amicus, lepidum à bibliopola editionis istius autore tulit responsum; scilicet bibliopolas diversum plane de Libris judicium ferre à virorum eruditorum judicio; bonum illis videri librum cujus citò exemplaria divenduntur; se quidem scire, opus de Patriarcharum & Primatum origine Morino non parum displicuisse, sed non tam de Morini fama sollicitum se esse, quàm de pecunia quam in editione novissima exercitationum illius biblicarum profuderat; se cogitare de ratione aliqua qua opus illud de rebus biblicis & Rabbinicis quòd marsupium suum evacuaverat, Theologis præsertim Parisiensibus etiam invitis divenderet: Res ista bibliopolæ uti meditatus fuerat feliciter successit, opus enim illud secundo editum in eadem forma atque exercitationes biblicæ quæ à nemine legebantur & in eodem cum his volumine compactum in fronte illius voluminis præmisit. Qua arte plerosque

que Theologos delusit, opus de origine Patriarchatum seorsim divendere renuens. Adeo verum est Parisiis rerum biblicarum studium frigere, maximè apud Theologos, qui scholarum nugis toti incumbunt: Verùm ad Morinum nostra redeat Oratio.

Ille ne in otio cum plerisque Congregationis suæ sociis languere videretur, novam septuaginta Interpretum versionis editionem juxta exemplar Vaticanum meditatus est. Romæ prodierant Græcè illi Interpretes ex codice admodum vetusto & bonæ notæ, si perpauca excipias quæ in eo desiderabantur, *Anno* 1587. Jussu & autoritate Sixti quinti Pontificis Maximi: Et anno sequenti Nobilius vir eruditissimus ibidem publicaverat antiquam versionis illius Græcæ translationem tot seculis intermortuam, quæ olim in occidentali Ecclesia legebatur, quamque si non integram, saltem qua potuit industria & labore improbo luci restituit. Utramque Morinus cùm Græcam tum Latinam in unum corpus redactam notatis

notatis versuum distinctionibus Parisiis edi curavit, *Anno* 1628. opus sane Theologis qui sacras Literas tractant percommodum. Huic autem ne quid deesset, præfationem in qua de antiquis scripturæ sacræ translationibus prolixe disserit, atque imprimis de Septuaginta Interpretum autoritate tam ex Patrum quam Judæorum sententia, præmisit. Præcipuas etiam in illa præfatione ingentis quod Græcos inter & Hebræos codices reperitur discriminis causas attingit, de his detrahit, ut illos extollat. Romanæ editionis præstantiam & sinceritatem mirè prædicat. Hodiernis contextus Hebræi exemplaribus, quibus vitia non pauca inesse existimat, nec non iis qui toti à Masorethicis illis codicibus dependent, infensissimum se ostendit. Et ut majorem invidiam Judæis, eorumque sequacibus concitet, profert autoritatem Pentateuchi Hebræo-Samaritani, cujus exemplar ex oriente Parisios asportatum in Bibliotheca Oratorii Parisiensis asservabatur, eaque inprimis loca

ca animadverſit quibus Samaritani à Judæis diſcrepantes cum Græcis conſentiebant. Jam ex eo tempore Hebraicæ veritatis aſſertores tam ex Catholicorum quàm Proteſtantium grege manifeſto deprehenderunt quid de ſacris bibliorum codicibus Morinus ſentiret, quove animo Samaritanorum Græcorumque exemplaria tantis ornaret laudibus. Berullo præfatio illa quod vulgaribus Proteſtantium placitis adverſaretur minimè diſplicuit. Non enim egregius iſte novæ ſpiritualitatis Magiſter Myſticæ Theologiæ cui Congregationis ſuæ viros aſſuefaciebat ita erat addictus, quin ad Theologiæ libros quos vulgò Controverſiarum appellant animum attenderet; quare autor fuit Morino ut Pentateuchum Hebræo-Samaritanum in publicum ederit, pertractaretque dedita opera illud argumentum de rebus biblicis. Juſſa Berulli promptus excipit Morinus, ac lætiſſimus tam eximio Operum ſuorum approbatore prius cogitat de publicando libro aliquo quem Cardinalis Berulli

li opera Regi offerre posset, tunc scilicet rationem meditatus qua studiorum suorum beneficio ad dignitatem aliquam Ecclesiasticam cui dudum inhiabat promoveri posset.

ITAQUE Morinus sub finem Anni 1629. Historiam edidit Gallico sermone conscriptam, cui nomen fecit, Historia liberatæ Ecclesiæ ex Constantino Imperatore, ac supremæ summorum Pontificum in rebus temporalibus potestatis quam à Christianissimis Franciæ Regibus acceperunt. Sed res longè aliter quàm Morinus sibi persuaserat accidit, quippe moritur Berullus dum operis illius editio absolvitur, adeoque nec illud nec scriptoris nomen & eruditionem Regi cui dicatum erat commendare potuit. Interea Romani Aulici ipseque Pontifex Maximus graviter offensi fuere tam Inscriptione illius Historiæ, quàm rebus nonnullis in ea contentis, quas in Romanæ

Histoire de la delivrance de l'eglise par l'Empereur Constant. & de la grandeur & souveraineté temporelle donné à l'eglise Rom. par les Roys de France, Imprim. à Paris in fol. 1630.

manæ Ecclesiæ dedecus verti posse existimabant. Ferre non potuit Urbanus VIII. quæ ex una parte in prima fronte libri conspicitur, Caroli Magni effigiem qui ensem manu tenens dextera, præsentat sinistrâ Pontifici imaginem quæ Romam, Ravennam & Neapolim exhibet, sicque illum affatur, *Italos parere jubebo*; ex altera verò parte extat Papæ Effigies ita respondentis, *tu mihi quodcunque hoc Regni.* Carolum Magnum adversus Longobardos tantùm bella moviisse objiciebant Romani, Francos summis Pontificibus reddidisse potius quæ suæ antea ditionis erant, quàm dedisse; Morinum non tam Francis quàm Germanis favere, cùm Imperator fuerit Carolus Magnus. Morino præterea stomachabatur Urbanus VIII. quod de Baptismo Constantini agens in eorum sententiam propenderet qui negant Romæ illum baptizatum; scilicet opponebat, Imperatoris illius baptisterium quod in Basilica Lateranensi visitur. Ob ista & alia ejusdem naturæ quæ prætereo, Franciscus Barberinus

berinus tunc Cardinalis Nepos, uti loquuntur seu Patronus, bibliothecæ suæ custodi revisionem Historiæ illius commisit. Is erat Josephus Maria Suaresius qui postea factus est Episcopus Vasionensis in Comitatu Avenionensi: Et ut erat vir modestissimus, pacisque amantissimus, ita ab aulicorum Romanorum ingenio qui de Morini opere apud summum Pontificem detraxerant, valde alienus fuit. Suaresii amicitiam sibi conciliaverat Morinus beneficio Presbyterorum Congregationis suæ qui Romæ degebant, variasque ad eum dedit literas quæ illi pergratæ fuerunt. Scripsit quoque operis sui apologeticam Epistolam ad Cardinalem Franciscum Barberinum cujus animum à se alienatum senserat. In hac pluribus comprobat se fuisse semper sedis Apostolicæ studiosissimum, meminitque officiorum quæ jam antea huic sedi præstiterit. Verùm Apologia ista non effecit ut in Cardinalis gratiam rediret: Suaresius enim postea Historiæ illius loca quæ castigatione egerent, quæque

que illustrationis causa addenda essent ex mandato Cardinalis imò & summi Pontificis, indicavit Morino, qui ea omnia in nova operis sui editione quam paraturus erat, ad mentem aulæ Romanæ se reformaturum libenter pollicitus est; etsi promissis suis minimè steterit: Nunquam enim visa est secunda libri illius editio. Cæterum tunc etiam Romæ non defuere viri illustrissimi, atque inprimis Cardinalis Bagnius, qui contra summi Pontificis & Cardinalis Barberini sententiam Morini librum suffragiis suis approbarent. Halloixius Jesuita Duacensis Morino rescribere veritus non est, se nunquam adduci potuisse ut crederet Constantini baptismum alias fuisse quàm Nicomediæ, in extrema ejus vita, lætarique se à Morino in sua sententia fuisse confirmatum.

VERUM ut libere dicam quid sentiam de hac Historia Gallico sermone conscripta; Morinus tunc de unius Regis Christianissimi cui illam consecrabat & de Francici nominis gloria cogitans ad Germanos & Italos parum atten-

attendisse videtur, adeóque mirum non est quod ab Italis paulò delicatioribus cùm agitur de honore sedis Apostolicæ potestateque summi Pontificis quam ad cœlum usque extollunt, illi nonnulla objecta fuerint quasi severius dicta in gentem Italam ac Germanam. In hoc opere nomen Francorum passim reperias, etiam cum nondum illorum nomen in ea Galliæ parte quæ postea ab illis dicta est Francia cognosceretur. Ita Morinus Constantinum in Francia, & opera Episcoporum Franciæ ad Christum conversum fuisse asserit: Et quasi Francorum gloria non aliunde quàm ex Impostoris testimonio peti posset, famosum profert vaticinium de Francorum Rege qui universum terrarum orbem sub ditione sua tenere debeat, quique regum omnium mundi novissimus, demum in urbe Jerusalem ad montem Oliveti sceptrum coronamque suam depositurus sit. Imò hanc communem olim fuisse doctissimorum virorum sententiam affirmare non dubitat. Alia ejusdem rationis bene mul-

ta

ta prætermitto; neque invideo Joanni Morino qui elogio Imperatoris Conſtantini, quod è Græco Euſebii fecit Gallicum, longè plurima ex aliis ſcriptoribus addidit: quandoquidem ob præclara facinora dignus fuit his laudibus Invictiſſimus ille Imperator qui ſupra omnem fidem de Religione Chriſtiana bene meritus eſt. Liceat tamen ſuſpicari Euſebium exemplo Xenophontis in Cyro-pædia & Quinti Curtii in vita Alexandri Herois ideam ſibi effinxiſſe. Morinus in poſtrema Hiſtoriæ ſuæ parte in qua diſſerit de Conſtantini donatione, de ingentibus beneficiis à Franciæ Regibus Eccleſiæ Romanæ collatis, de reportatis à gente Normana in Apulia & Calabria & adverſus Saracenos in Sicilia victoriis, & eorundem Normanorum erga ſummos Pontifices meritis, longe accuratiorem ſe oſtendit, quæ pars ſola Hiſtoriæ ſuæ digna lectu videtur. In univerſo autem opere Morinus Gallici ſermonis non modo imperitum ſe demonſtrat, ſed & ſcribendi artem peni-

tus ignoraſſe, adeo ineptum in hac arte ubique ſe præbet.

Vix in publicum Morinus ediderat Hiſtoriam Eccleſiæ Liberatæ à Conſtantino cùm exercitationes Eccleſiaſticas in Pentateuchum Samaritanum, cujus editionem jam à duobus annis meditatus fuerat, publicare in animo habuit, ad id operis reſpiciens coluerat per literas amicitiam Hieronymi Alexandri viri literarum & literatorum amantiſſimi, à quo non pauca didicit tam de Samaritanorum ſiclis, quàm de illorum codicibus & aliis ejuſdem gentis rebus, quæ magna ex parte exercitationibus ſuis poſtea inſeruit. Alexander patria Romanus ſcribit Morino Romæ duo Pentateuchi Samaritani exemplaria reperiri; de primo quod in Bibliotheca Vaticana aſſervabatur non admodum ſollicitus fuiſſe videtur Morinus, quod eſſet Hebræo-Samaritanum, lingua videlicet Hebræa charactere dumtaxat Samaritano deſcriptum, & ab Oratoriano Codice non diſcrepans; alterum verò quod non modo

do charactere Samaritano exaratum sed & Lingua scriptum Samaritana & Pentateuchi Hebræo-Samaritani in dialectum Samaritanam Translatio, perficiendæ Pentateuchi Samaritani editioni apprime necessarium judicavit. Hoc exemplar asservabatur in musæo viri nobilis Petri à Valle, qui annos duodecim in orientalibus regionibus consumpserat. Ejusdem quoque Petri à Valle opera Harlæus Sancius tunc Regis Christianissimi apud Turcarum Imperatorem Orator, nactus fuerat codicem Hebræo-Samaritanum quo Bibliothecam Oratorii Parisiensis ditaverat, quique postea à Morino editus fuit. Alexander Petro à Valle autor fuit ut versionis suæ Samaritanæ editionem pateretur. Jam de illa Romæ edenda Vallæus cogitaverat, verùm de obtinenda à superioribus libri illius permissione desperans, si in aliquibus ab Interprete Latino seu vulgata discreparet, mittit exemplar suum Parisios ad Morinum, ut illud edi curaret, nihil ad se refere judicans liber an Parisiis an

Romæ excuderetur, primo quidem sibi proposuerat apographum duntaxat mittere, sed quia nemo Romæ tunc erat qui dialectum Samaritanam calleret, adeóque ab homine tantum posset exarari qui literas absque ulla intelligentia delinearet, misit ipsummet autographum, ad id imprimis adductus precibus Clarissimi Peresci, optans tamen ut suus codex quem plurimi faciebat, diligentissime asservatus nullo pacto ab impressoribus, ut mos est, dissolveretur aut deturparetur. Morinus qui jam ex aliquo specimine versionis illius Samaritanæ, quod acceperat à Vallæo, hanc accuratissimam esse & ferè de verbo ad verbum Pentateuchi Hebræo-Samaritani translationem, cognoverat, dialectumque Samaritanam in paucis à Chaldaica differre, tunc volumen integrum habens præ manibus, non aliud de versione illa Samaritana judicium tulit quàm antea. Interea Petrus à Valle scribit Morino qui sit gentis Samaritanæ in oriente status, Samaritanos scilicet hodiernis temporibus numero

numero pauciſſimos eſſe, ſe aliquot reperiſſe Cairi in Ægypto, Gazæ, Hieroſolymis, Damaſci & in civitate Sichem à Turcis Naplus ſive Neapolis nuncupata, quæ nunc Samariæ Metropolis, eorum Synagogas extra civitatem inter hortos amœniſſimos poſitas, quæ viles quidem extrinſecus appareant, intus autem picturis & auro haud indecore ornatas eſſe variiſque inſcriptionibus Lingua Samaritana inſignitas. Miratus eſt Morinus gentem Samaritanam in tam contemnenda paucitate legis Moſaicæ exemplar, patrios mores, rituſque ſuos conſervare potuiſſe, de iſta iterum quærit nonnulla ex Vallæo quæ reſcire cupiebat; ſed hæc penitus ſe ignorare liberè agnoſcit Vallæus, quippe qui nihil omnino Linguarum Orientalium ſe ſciviſſe profiteatur cùm ad Samaritanos adiit. Non pauca tamen ſcripſit Morino de Chronologia Muhammedarorum, eaque in primis quæ in Perſide à Doctoribus illius gentis de hoc negotio didicerat; accepit etiam à Vallæo Morinus Linguæ Ægyptiacæ

tiacæ Alphabetum & alia nonnulla quæ ad ſermonem Ægyptiacum pertinebant, quorum cognitione ideò Morinus tenebatur quod in Bibliothecæ Oratorii Pariſienſis foculis tunc delitеſceret exemplar quatuor Evangeliorum ſcriptum Lingua Coptica quo eam donarat Harlæus Sancius.

PRODEUNT interea Pariſiis Morini excercitationes in utrumque Pentateuchum Samaritanorum in quibus de gentis illius Religione, Moribus, illius literis, quas antiquos Hebræorum characteres eſſe fuſius probat, & de illorum ſiclis quorum nonnullos profert, variè diſſerit; ſtatim ab initio operis in eo peccat quod exiſtimet Samaritanorum Pentateuchum ab antiquis Eccleſiæ Patribus in uſum ſuum Lingua Græca donatum fuiſſe, cùm longè veriſimilius ſit ab ipſis Samaritanis quibus Lingua Græca vernacula erat Græcè converſum fuiſſe, ut in eorum Scholis & Synagogis legeretur, exempla Judæorum Helleniſtarum qui Græcam Sep-

Edit. Pariſ. in 4. Anno. 1651.

Septuaginta Interpretum versionem in Synagogas suas introduxerant, ad id potissimum adducti. Veriora sunt quæ habet Morinus in hoc Libro de Codicis Samaritanorum sinceritate, ut probet illum eundem omninò esse atque ille qui ab Eusebio, Hieronymo & aliis patribus laudatus olim fuerat. Multa & alia adjungit quæ nuperum non esse exemplar istud apertè evincunt: sed ex his confici non potest illud hoderno Hebræorum contextui quem Judaicum & Masorethicum appellat in omnibus præferendum esse. Nævos quidem in Judæorum codicibus esse nemo paulo cordatior diffitebitur; sed forsan longè adhuc plures extant in Samariticis. Mira illa Samaritani exemplaris locis aliquot quæ alicujus momenti esse videntur cum Græco Septuaginta seniorum consensio non probat evidenter, uti Morinus existimavit, in his omnibus mancum esse & impurum Judæorum codicem qui eadem non repræsentet. Fieri siquidem potest ut Samaritani exemplar suum quod initio

perfectè cum Judaico consentiebat ad Græcum in hisce locis reformaverint, illi præsertim quibus Lingua Græca erat domestica; idque ex eo etiam probari posset quod ibidem Morinus subjungit de Syrorum versione quæ cum Græco & Samaritano codicibus concordat: Syriaco enim illa versia quam producit Morinus, quæque postea edita est in polyglottis Parisiensibus hac ratione pluribus in locis ad Græcam Septuagintą interpretum haud dubiè accommodata fuit. His accedit Morinum etiam invitum agnoscere Samaritanos in describendis suis codicibus parum religiosos fuisse, cùm illi multa his assuerint ex aliis Scripturæ locis petita; quæ tamen additamenta si Morino credamus contextum mirè illustrant, & ut loquitur, *Textus authentici consimilis illustratio millies à Sanctis patribus maxima cum omnium laude facta est.* Imò & à patribus non secus atque à Samaritanis in hoc gravissimè erratum, si verum

Mor. in Pentat. Sam. Exercit. 4. cap. 4.

verum tamen est Patres, uti Morinus affirmat, complura scripturæ sacræ contextui *intulisse*, *inseruisse*, *implicuisse*, & *immiscuisse*, neque ad rem istam quidquam faciunt exempla quæ sumit ex Origene & illius hexaplis. Ista enim diversæ sunt omninò rationis. In hoc libro id unum respexisse videtur Morinus ut Samaritanorum codices Hebræis quos passim elevat & extenuat longè anteponendos esse demonstraret; qua in re de Ecclesia bene mereri se existimat si palam de Judæorum codicibus detrahat quos à fullonibus, sarcinatoribus, institoribus, mangonibus, vitrorum interpolatoribus descriptos fuisse asserit, quasi verò non alia Scripturæ Sacræ exemplaria apud Judæos essent quam quæ à plebeiis hominibus scripta fuerint, cum & ipse in hoc eodem opere laudet aliqua optimæ notæ, & à sacerdotibus in usum virorum, qui primas inter Judæos tenerent, per quam eleganter & accuratè descripta. Eos tamen Morinus qui sibi in hoc negotio *Ibid.* cap. 8.

non

non assentiuntur animo esse in Ecclesiam Catholicam infenso & furioso asseruerat, cùm ipse potius in hisce exercitationibus ubique ferme furere videatur; adeo sæpe extra propositi sui fines excurrit. Ingentes hic laudes sileo quas Morinus in operis sui Dedicatione fusius congerit in Theologorum Sorbonensium gratiam, quorum Collegium appellat *Scientiarum Emporium, instructissimum telorum omnis generis adversus Hæreticos & Schismaticos armamentarium, defæcatissimum antiquitatis Ecclesiasticæ archivum & tutissimum fidei sacrarium.* Sed tunc Cardinali Richelio, cui opus suum consecrabat adulabatur, quod istud Collegium à fundamentis refectum Regia magnificentia exornavisset; quid enim de Sorbonensibus aliisque Theologis ascriptitiis, qui vocantur Scholastici ipse sentiret, tum Romæ tum Parisiis apertè declaravit: Verùm de his infra.

In Epist. ad Card. Richel.

JAM Polyglottorum Parisiensium primum volumen editum fuerat, complectens

plectens Biblia Græca, Latina, Chaldæa & Hebræa, quæ antea Antuerpiæ excusa fuerant, novumque testamentum quadrilingue sub prelo erat, cùm Morinus & Gabriel Sionita Syrus è monte Libano parant editionem Pentateuchi Samaritanam, Syriacam & Arabicam; ille Samaritanos codices, hic verò Syriacos & Arabicos una cum Latina Interpretatione: verum dum nimis urget operis illius editionem Morinus, minus accurati prodierunt Samaritani codices. Pentateuchum siquidem Hebræo-Samaritanum ex uno exemplari Oratoriano & versionem Samaritanam ex eo tantum quod à Petro Valle acceperat edidit; vix autem peracta fuerat illa editio, cum illi supervenerunt à Peresc̃io viro Clarissimo gentis Samaritic̃æ codices Hebræo-Samaritani, Samaritani & Arabici; Thomas quoque Comberus collegii Sanctæ Trinitatis apud Cantabrigienses in Anglia Socius, qui de Pentateuchi Samaritani editione quæ Parisiis tunc parabatur aliquid resciverat, Morinum de exemplari

emplari Hebræo-Samaritano, quod tunc in privata Cottonorum Bibliotheca asservabatur monuit, misitque ad illum postea diversas Pentateuchi illius Samaritani ab Hebræo seu Judaico Lectiones. Cui malo ut manum medicam adhiberet Morinus excusum Pentateuchum Samaritanum relegit, manuscriptos inter se codices & cum sua editione comparavit, variisque annotatis Lectionibus eas cum aliis ejusdem naturæ animadversionibus quas jam paraverat adtexere meditatus fuerat, ad volumen alterum observationum criticarum in omnes Bibliorum editiones quod ad calcem Bibliorum Parisiensium mox edendum erat; sed ob eorum qui Polyglottis illis præerant contentiones ac dissidia egregium illud opus ad finem perduci non potuit: unus tandem Morinus longo post tempore criticas illas Animadversiones sub nomine opusculorum Hebræo-Samaritanorum seorsim edi curavit. In quo tamen opere ea quæ de hoc Argumento ab illo desi-

Paris in 12. Anno 1657.

desiderabantur non omnino explicuisse visus fuit, iis præsertim qui callent hasce literas.

PERESCIUS præter memoratos jam supra Samaritanorum codices miserat etiam ad Morinum duas eorundem Samaritanorum ad Josephum Scaligerum Epistolas, quarum prima Synagogæ urbis Sichem nomine scripta; altera verò nomine Samaritanorum in Ægypto commorantium, quæ tamen Epistolæ ad manus Scaligeri nunquam pervenerant, sed Genebrardo redditæ & ut audio nunc in Bibliotheca Regis Christianissimi asservantur: utramque Morinus ex autographo in Latinum sermonem convertit, cujus tamen Interpretatio nondum in lucem edita fuit. In his Samaritani Scaligero aperiunt gentis suæ mores ac ritus & qua in re ipsi à Judæis quos violatæ legis Mosaicæ reos peragunt, discrepent. Sacerdotem magnum sibi esse cui nomen Eleazar, huncque ex semine Phinées gloriantur, illi quoque filium esse cui nomen Phinées qui sacerdotio etiam cùm

patre

patre ſuo fungatur; quippe affirmant ritus ſacrificiorum ſemper ſe retinuiſſe & adhuc ſupereſſe: at vetitum illis alibi ſacrificare quàm in urbe Sichem è Regione montis Garizim. Hæc & alia ejuſdem rationis plurima de moribus Samaritanorum in illis Epiſtolis exponuntur, quarum tamen ſenſum neque Pereſcius neque Morinus in omnibus videntur aſſecuti; quis enim credat Pereſcio affirmanti in Epiſtola ad Morinum Sectam Samaritanorum uſus aliquot in Kalendario præſertim, notandiſque diebus feſtis ab Eccleſia Romana accepiſſe? haud dubie deceptus fuit legens in autographo Samaritico vocem illam quam poſtea Morinus ſimili errore interpretatus eſt *Niſan Romani*; & hæc extat non longè ab initio Epiſtolæ quæ nomine Synagogæ urbis Sichem ſcripta fuit. Loco autem dictionis Romani apponendum eſt Græci, quippe Græcis junioribus Ρωμαῖον idem eſſe conſtat atque Latine Græcum, à quibus illa dictio poſtea ad cæteras

Epiſt. Pereſc. Anno 1631.

cæteras Regionum Orientalium nationes transiit; quin & alii errores in hisce Epistolis à Morino in Latinum Sermonem conversis deprehendantur nullus dubito: verùm de his autographa consulere necesse fuerit, dignæ tamen sunt quæ publici juris fiant, cum illarum beneficio Samaritanorum religio, mores ac ritus illustrari possint. Eadem Samaritanorum natio de eodem argumento ad quosdam Ecclesiæ Anglicanæ Theologos scripsit Literas quæ cum istis partem maximam consentiunt; significaverat etiam Peresçius in eadem Epistola Morino exemplar versionis Samaritanæ quod erat Petri à Valle, quodque in Bibliis Parisiensibus excusum fuit non esse bonæ notæ, mendisque fœdissimis illud scatere, similiter penes se habere longè plures Samaritanorum siclos, eosque longè perfectiores, quàm quos in exercitationibus suis in Pentateuchum Samaritanum publicaverat Morinus, qui tam Pentateuchum utrumque Samaritanorum quam exercitationes illas nimis

nimis festinanter edidit. Morinus ob jam editos à se Libros in universa ferme Europa notissimus in primis ob illam præfationem quam novæ Septuaginta Interpretum editioni præmiserat & exercitationes Ecclesiasticas in Pentateuchum Samaritanum, ad id unum respicit ut antiquas Ecclesiæ versiones adversus protestantes aliosque veritatis Hebraicæ assertores vindicaret; novum idcircò opus in lucem edit cui nomen fecit exercitationum Biblicarum de Hebræi Græcique textus sinceritate. Verius profectò inscribi poterat de parum fidis Hebræis, Græcis, nec non Latinis Bibliorum codicibus; dum enim totus incumbit refellendæ Judæorum eorumque sequacium de Hebræi exemplaris integritate Sententiæ, longè adhuc impuriora esse Græca Latinaque exemplaria etiam non volens manifestè probat. Inde jam à principio operis sui contendit, ut de codicibus Hebræis detrahat, Divina Oracula ab Ecclesia & in Ecclesia

Exercit. Bibl. Paris. in 4. Anno 1635.

cleſia ſumenda eſſe, non verò a Synagoga Chriſtiano nomini infenſiſſima; deinde alia ejuſdem generis plurima ſubjicit quæ ſpeciem veri dumtaxat præ ſe ferant, poſſintque minus cautos in errorem inducere. Illud omne quod undequaque tam ex vetuſtis Eccleſiæ patribus quàm nuperis Theologis potuit corradere in has exercitationes ſæpius abſque judicio conjecit, ita ut uno veluti ictu tum veteris tum novi Teſtamenti Librorum autoritatem omnem præcidat; dignus tamen eſt liber iſte qui à viris ſacrarum literarum ſtudioſis attentius legatur ob variam quæ in eo relucet rerum Biblicarum & Judaïcarum eruditionem. Morinus eo tantum fine Hebræi contextus autoritatem evertit, ut Græcam Septuaginta Interpretum editionem & Latinam Hieronymi in ejus locum ſubſtitueret, de quarum authentia diſputans nihil præter nugas ex futilibus Theologorum Scholaſticorum diſtinctionibus profert, quæ haud dubie Morino aliud cogitanti exciderunt: vix enim umbraticorum

rum ejuſmodi doctorum ſcholas à limine ſalutaverat; præclare quidem interdum ſentit de Hieronymi, quem merito vulgatæ, ſaltem partem maximam, autorem putat, peritia in Lingua Hebraica; alias verò illum inſectatur velut hominem parum ſibi conſtantem, quique ſæpius loquatur ex anteceptis opinionibus quàm ex rerum ipſarum veritate.

SED rigidus iſte cenſor qui adeo iniquum de Judæis & eorum codicibus judicium tulerat, illorum quorum intererat veritatem Hebraicam aſſerere maledicta in caput ſuum attraxit, atque inprimis eruditiſſimi viri Simeonis de Muis tunc literarum Hebræarum apud Pariſios profeſſoris Regii. Is ſcilicet de arte ſua actum judicans, niſi Morini audaciam reprimeret, ſcripſit paulo iracundior libellum adverſus Eccleſiaſticas illius exercitationes in Pentateuchum Samaritanum; ſcriptum quoque acerbiſſimum contra Morini præfationem quali juncto umbone edidierunt Taylorus & Bootius homines è ſecta Pro-

Proteſtantium, quorum ille Anglus hic verò Batavus; ſed illorum omnium conviciis ac maledictis injuriarum plauſtra reddidit Morinus, adeo vili venerunt convicia ac maledicta apud iſtam Theologorum gentem furentem ſæpius ratione. Muiſius iterum ad novam adverſus Morinum ſcriptionem ſe accingit qua reſponſum illius caſtigat & caſtigationis ſuæ initium ducit ab explicatione ſententiæ libri proverbiorum quæ diverſa plane ratione in hoc libro concipitur, nimirum, *Ne reſpondeas ſtulto juxta ſtultitiam ejus ne ſibi ſapiens eſſe videatur*; & quaſi de illa explicanda ageretur teſtes profert quoſdam Judæorum Magiſtros ſed revera tunc alludebat ad Morini nomen, ſicut alias Eraſmus homo facetiſſimus celeberrimi illius Morini nomen intuebatur cum Librum ſuum de Moria ei dicavit. Laudandus quidem in hoc eſt Muiſius quod egregium veritatis

Mor. in diatribe Elenctica & Animadv. in cenſur. edit. in 8 Pariſ. Anno 1639.

Muiſ. caſtig. anim. Pariſ. in 8. Anno 1639.

Hebraicæ defensorem adversus Morinum se ostendit; sed dum nimis anxiè hodierni codicis Judaici Lectioni adhæsit, illum omnino ab adversarii sui objectionibus non potuit asserere: versantur adhuc in omnium manibus Morini de rebus Biblicis opera & à multis partem magnam approbantur; à pauciſſimis verò leguntur quæ Muisius, similiter Taylorus, Bootius & alii ad versus Morinum scripserunt. In hoc autem Morinus habuit consentientes sibi Theologos Parisienses quòd Hebræos codices evertens illorum imperitiæ patrocinaretur; scripsit præterea adversus Morini exercitationes in Pentateuchum Samaritanum Joannes Henricus Hottingerus, qui statim à Libri sui limine cujus hæc est inscriptio, *Exercitationes anti-Morinianæ de Pentateucho Samaritano ejusque udentica authentica*; Morinum appellat Monachum qui communem Monachorum sortem superet. Ille de Samaritanis & eorum codicibus differit, putatque Samaritanos

Edit. Tigurī in 4. Anno 1644.

nos à Judæis Pentateuchi ſui exemplar hauſiſſe; ſed conjecturis tantum, non autem firmiſſimis rationibus, ut ita ſentiret adduci potuit; iſtud minus accuratum eſſe probat exemplis aliquot pleonaſmorum, vocum vel mutatarum in alias vel omiſſarum, ſimilibuſque erroribus quos profert, & ex quibus confici poſſe arbitratur, non magis credendum eſſe Samaritanis Pentateuchum ſuum jactantibus, quàm Ebionitis verum & ſolum Matthæi Evangelium Hebræum venditantibus, qua in re profecto graviſſime hallucinatus eſt Hottingerus, qui tam venerandæ Antiquitatis Pentateuchum Samaritanum cum adulterato Ebionitarum Evangelio comparare audeat. Morinum etiam imperitiæ arguit Hottingerus quaſi Rabbinorum quorundam quos laudaverat mentem haud aſſecutus ſuiſſet; ſimile quid jam antea in ejuſdem Morini exercitationibus animadverterat Muiſius: ſed longe plura Rabbinorum teſtimonia Morino in Latinum malè converſa poſtea obſervavit

Joannes Buxtorfius vir in Judæorum Libris diu multumque volutatus. Ille in dissertatione de Literarum Hebraicarum genuina Antiquitate Morini exercitationes vocat *Librum crudâ & indigestâ materiæ mole infertum & confertum*, ubi testimonia autorum Judæorum mutila sæpe adducit; aperit Buxtorfius quàm multis in locis lapsus fuerit Morinus quæ *insciter & imperitè* interpretatus est. In hoc tamen & ipse erravit Buxtorfius, dum totus à Rabbinorum quorumdam sententia dependens contendit pugnaciter contra scriptorum tum veterum tum recentiorum turbam, primas gentis Hebrææ literas in quibus lex antiquitus scripta fuerit, hodiernas esse Hebræas, non verò Samaritanas seu Phœnicias uti rectè affirmaverat Morinus. Nomen autem Morini tunc temporis in plerisque Europæ partibus ita celebratum fuerat ut Cardinalis Barberinus, jubente Pontifice maximo, Romam illum per literas invitaverit,

In dissert Philol. Theol. edit. Basil. in 4, An. 1645.

vitaverit, voluerit que ut Cardinalis Bichii qui è Gallia Romam mox rediturus erat comitatui se adjungeret. Hæc autem Romam vocandi illius causa fuit. Urbanus VIII. dudum in animo habens Græcos alioſque Orientalis Eccleſiæ populos, quos vulgò Schiſmaticos appellant, ad fidem Eccleſiæ Romanæ convertere, Nationum illarum libros undique conquiri juſſit, ac Romam vocari ex omnibus Europæ partibus viros rerum Theologicarum peritiſſimos. Indicati ſunt Urbano ex Gallia Dionyſius Petavius Jeſuita doctiſſimus & Joannes Morinus è Congregatione Oratorii Pariſienſis. Hic ſtatim in Comitatu Cardinalis Bichii Romam proficiſcitur; at ille minus gloriæ cupidus & ex Societatis ſuæ conſenſione iter illud detrectat. Morinus à Cardinali Barberino Romæ perhumanè exceptus fuit, atque ab eo commendatus Lucæ Holſtenio & Leoni Allatio viris doctiſſimis, quorum ille Vaticanæ Bibliothecæ cuſtos erat, hic verò tunc Barberinæ: illi qui du-

dum urbanis Romanorum moribus assuefacti erant statim ex Morini conversatione judicarunt illum minus humanum esse & ingenii agrestis. Morinus verò admirabatur illorum erga se officia, putabatque se in alium quasi orbem delatum. Vaticanam Barberinamque Bibliothecas visitat, simulque earum custodes qui ei comites dati fuerant seu potius actionum suarum & studiorum inspectores sæpius invisit. Contigit autem ut in familiari colloquio oborta fuerit quæstio aliqua de iis quæ tunc à Theologis jussu & autoritate Pontificis maximi Romæ congregatis disputabantur, cujus quæstionis explicandæ causa Librum Manuscriptum scriptoris cujusdam è junioribus Græcis consulere necesse fuerit; statim codex manuscriptus Morino legendus offertur rogaturque ut suam de scriptoris illius mente sententiam diceret. Verum Holstenio & Allatio minimè satisfecit, iisque visus est Linguæ Græcæ parum peritus; Souvignius Congregationis etiam Oratorii Presbyter vir Græcè

Græcè doctus qui Romani itineris comitem Morino ſe junxerat, arrepto ex illius manibus Græco exemplari totum illud negotium de quo agebatur promptè & expeditè declaravit, ſeque oſtendit in Linguæ Græcæ cognitione verſandiſque Græcis ſcriptoribus non inferiorem Allatio & Holſtenio, qui ex eo tempore de Souvignio longè melius quàm de Morino ſenſerunt, remque totam uti probabile eſt, Cardinali Barberino eo modo quo peracta fuerat denunciarunt; & id in cauſa fuiſſe videtur cur poſtea Cardinalis vix de Morino cogitaverit, qui ad illam Theologorum Congregationem quæ tunc Romæ habebetur vocatus non fuit, niſi poſt elapſum multum temporis ſpatium: ſed puduit demum Cardinalem è Gallia Romam invitaſſe hominem ut ibi otioſus viveret. Juſſit itaque ut ille in iſtam Congregationem admitteretur in qua tunc de Nationum Orientalium fide & ritibus Græcorum potiſſimum diſputabatur. Horum Euchologium expendebant Theologi iſti, illudque

ad

ad rituale Romanum referebant, ut ex illa comparatione utriusque differentia internosceretur, & quia maxima esse deprehensa est, jam bene multi, ij maximè qui ex opinionum quas in Scholis acceperunt præjudiciis de rebus ab illorum captu longè semotis audeant pronunciare, Græcorum ritus damnabant ut minus probos nec tolerandos, nisi postquam ad Romanos accommodati fuissent; sed his Lucas Holstenius & Leo Allatius viri egregie docti & sapientissimi strenue ac fortiter restiterunt: Inprimis Holstenius qui palam asserere veritus non fuit miserandum illud Schisma quod occidentalem inter & orientalem Ecclesiam dudum exortum adhuc continuatur, illis potissimum tribui debere qui ex disputandi pruritu vocant omnia in controversiam nulloque erga fratres suos amore tenentur: quos etiam gravissimè arguit, quod veritatis minimè solliciti de rebus parum sibi compertis audacter judicium ferrent, nihil interim ex sacris Literis, nihil ex conciliis, nihil ex priscis

priſcis patribus proferentes, ſed vanas dumtaxat invalidaſque ratiuncu las. Morinus cui jam pridem genus illud Theologorum diſplicebat, qui plura paſſim in ſuis Libris definire auſi ſunt quæ extra ſalutis diſpendium ignorari poterant vel in dubio relinqui, Holſtenii ſententiam ſuffragio ſuo comprobavit, eamque multis & graviſſimis argumentis confirmavit; quippe per illud omne tempus quo Romæ otioſus nec dum in Theologorum Congregationem admiſſus vixerat, animum ſuum ad illas applicuerat quæſtiones quæ tunc in his locis illuſtrabantur. Itaque compluribus oſtendit Morinus de Orientalis Eccleſiæ ritibus judicium ferendum non eſſe ex hodierna Eccleſiæ Romanæ praxi, neque etiam ex Doctrina Theologorum Scholaſticorum qui minus conſtantes in iis tractandis quæ ad Sacramenta pertinent, nihil omnino habeant inter ſe concordiæ: verùm ad illa recurrendum eſſe tempora quæ Photianum Schiſma anteceſſerant; alias fore ut priſci Orientalis Eccleſiæ

Patres

Patres damnandi ſunt, ſi verum ſit Græcos recentiores in Sacramentorum Adminiſtratione cum his ut plurimum conſentire. Viris ſapientioribus rerumque Eccleſiaſticarum bene peritis placuit illud Morini judicium, ſummaque illius eruditio laudata fuit etiam à Cardinale Barberino. Mirum tamen eſt tunc temporis illam Romæ approbatam fuiſſe ſententiam, quæ fidem prope omnem & autoritatem detraheret Theologis Scholaſticis quos quadringentos abhinc annos Eccleſia Romana Doctrinæ ſuæ Magiſtros acceperat in iis omnibus quæ de fide & moribus tulit decretis. Illudque adhuc videtur admirabilius quod præcipui ſententiæ illius autores Lucas Holſtenius, Joannes Morinus, Leo Allatius & alii hujus conterranei, vel ex Proteſtantium, vel ex Græcorum Scholis exiiſſent. Rem tamen ita geſtam fuiſſe uti eam narravimus, ex ipſius Morini ſchedulis quæ in manus meas pervenerunt & in quas illud omne retulit quod in Congregatione Theologorum pronunciaturus

nunciaturus erat, probare non esset arduum, nisi & ipse ab exordio operis sui de ordinationibus quod tunc Rome cœptum Parisiis postea perfectum est, meminisset Congregationis illius in qua singulæ periodi Euchologii Græcorum ad fidei Catholicæ canonem examinabantur. *Cùm primum*, inquit, *huic Congregationi adscriptus sum cæpta erat in Græcorum ordinationes Inquisitio, varii Theologi varias judicii ferendi rationes inibant; mihi non satis tutum videbatur ex solis doctorum Scholasticorum dictatis de re tanti momenti pronunciare: experiebar enim eos nulla Græcorum morum Scientia tinctos, nulla Linguæ Græcæ cognitione aspersos, nunquam illis in mentem venisse ut inquirerent, quæ, quot, qualesve essent Græcæ ordinationes.* Et paulo post. *Religio mihi erat ex solis eorum hominum decretis qui ne leviſſima quidem earum rerum cognitione imbuti fuissent de rebus tantis judicium ferre.* Opus illud Francisco Cardinali

Mor. Præf. comm. de ordin. edit. Paris. in fol. *An.* 1653.

Cardinali Barberino dedicatum; imò & eminentissimi illius Cardinalis opera Romæ edita sunt Lucæ Holstenii post ejus obitum opuscula in quibus de Doctoribus Scholasticis gravissimè conquestus Holstenius, dissidia quæ inter Ecclesiam Orientalem & Occidentalem extant illis tribuere non reformidat: hic missa facio ea omnia quæ passim Leo Allatius in suis operibus adversus ejusmodi Theologos adscriptitios congerit, ut ad Morinum nostrum unde diverterat Oratio, redeam.

VIX Morinus novem mensibus Romæ commoratus est è quibus per menses tantum quatuor Congregationi Theologorum interfuit; postea Parisios à Cardinale Richelio revocatum se fuisse testatur atque ignorare revocationis suæ causas, sed ei parere necesse fuisse erium dura præscribenti: verùm non est cur Richelium hic accuset Morinus, suam ipse potius damnet credulitatem in hoc negotio & ingenii sui levitatem. Morino

In tad. Præf.

rino Romam proficiſcenti Cardinalis Richelius haud contemnendam pecuniæ ſummam obtulerat in Viaticum, eamque cum gratiarum actione Morinus acceperat ſimulque aliam à Cardinale Biecho; aliquo poſt tempore idem Richelius qui jam didicerat Morinum Cardinalis Barberini amicitiam ſibi Romæ conciliaſſe, quæſivit ab Harlæo Sancio tunc Maclovienſi Epiſcopo quid Morinus ejus amicus Romæ ageret, addiditque dolere ſe virum ita eruditum Franciam reliquiſſe; ſtatim Morino ſcribit Sancius ut reditum ſuum Pariſios properaret, Cardinalem Richelium cogitare de illo evehendo ad aliquam dignitatem Eccleſiaſticam. Morinus acceptis Sancii literis exiſtimans abſque cunctatione parendum eſſe Richelio, jamque putans ſe eſſe Epiſcopum, neque amicorum ſuorum precibus neque Cardinalis Barberini erga eum officiis Romæ detineri potuit; interim Richelius ubi cognovit Morinum Roma diſceſſiſſe monuit Sancium ne autor eſſet Morino ut Romam deſereret

deſereret, ubi ejus ſtudia rebus Eccleſiaſticis quæ tunc ibi agitabantur perquàm utilia erant; ſed alteras quas Sancius ſcripſit literas, Morinus non accepit qui jam Maſſiliam appulerat cum Romam pervenerunt; quare Pariſios profectus in domo Oratoriana à ſuis gregalibus humanè exceptus fuit: rumor erat tunc temporis Morinum in privatis colloquiis de Cardinale Richelio paulò liberiùs Romæ locutum fuiſſe, & ob hanc cauſam Sancii opera ſubdole uſum Richelium, ut Morinum in Galliam revocaret. Et rem ita fuiſſe ex eo ſuſpicari licet quod minus quàm antea Cardinalis erga eum beneficus nullo illum ſubſidio adjuverit, palamque dixerit Morinum non alii negotio quam tractandis libris ſuis intra privatos parietes idoneum videri.

Anno 1640.

REVERSUS Pariſios Morinus eorum omnium quorum gratiam ſibi Romæ conciliaverat atque inprimis Franciſci Cardinalis Barberini amicitiam per literas coluit; lætatus eſt Cardinalis talem habere

bere eorum quæ tunc Parisiis agebantur exploratorem ac monitorem, qui sedis Apostolicæ nuncium tunc ibi commorantem sæpius inviseret. Contigit autem circa illud tempus famosum Patris Celloti Jesuitæ Librum de Hierarchia & Hierarchis Parisiis publicari cum honorifico Societatis in fronte testimonio; de hoc statim Cardinali Barberino scripsit Morinus, urgens promptam ac severam sedis Apostolicæ in illud opus Animadversionem; monet Cardinalem aliis opus esse remediis quam illis quibus in patris Boni Libros animadversum fuerit, & hæc cum frustra adversas Jesuitas quibus Cardinalis Richelius favebat ab Episcopis Galliæ aut à Sorbona sperarentur, non aliunde pro ea tempestate expectari posse quàm à Pontifice Maximo. Iterum Morinus per aliam Epistolam quam ipsi nuncio Romam redeunti dederat, Barberino significat Celloti librum ab Episcopis Meduntæ Carnutum congregatis notatum fuisse censura, quæ omnium Episcoporum Anno 1641.

coporum Chirographis subscripta & ad Richelium postea delata intra manus ejus subsiterit; his præterea adjungit Morinus Sorbonicos bene multas libri illius propositiones notasse, eorumque censuram plusquàm 80 doctorum suffragiis comprobatam Sorbonæ Registris inscriptam fuisse, quam tamen in publicum edere per supremam autoritatem non licuerit: Cardinalem Richelium Sorbonæ doctores aliquot deputasse qui cum Celloto de his propositionibus conferent; Jesuitas affirmare Cellotum Sorbonicis doctoribus satisfecisse, contra affirmare Sorbonicos has propositiones à Celloto male propugnatas: de qua Collatione nihil publicè editum fuerat. Rescripsit Morino Cardinalis Barberinus etiam nondum lecto Celloti opere, intra brevissimum tempus fore ut suprema Ecclesiæ autoritas ejusmodi scriptorum, qui nihil ad res Ecclesiasticas tractandas præter innovandi pruriginem afferebant proterviam compesceret; verùm Jesuitæ Parisienses sub

Anno 1640.

Cardi-

Cardinalis Richelii patrocinio securi Jovem fulmina minitantem non secus atque Momus apud Lucianum palam deridebant. Iterum Morinus scribens Cardinali Francisco Barberino cum longè pressius ac vehementius quam antea urget, ut curet sedes Apostolica prompto atque efficaci remedio ne ex Librorum quos quotidie Parisiis Jesuitæ edunt pernicie, res Christiana damnum capiat; Ausim, inquit Morinus in Epistola ad Cardinalem Barberinum, ut id faciat eminentiam vestram exhortari: *Nisi enim remedium illud à sede Apostolica exoriatur nulla spes est ut aliunde proveniat.....Morbus tamen celerrimum efflagitat remedium, non enim serpit cancer iste, sed longis passibus graditur, omniaque circumcirca latè vastat & depascitur.* De altero Jesuitarum Libro recens edito in hac Epistola loquitur Morinus, illiusque autorem, Rabardeum nomine, temeritatis notat atque impietatis. In eo quippe non

Mor. in Epis. ad Card. Fr. Barb. de lib. Rabardi Jesuitæ edito Par. in 4. Anno 1641.

agebatur de Episcopis, Presbyteris, ac Monachis, ut in Celloti opere de Hierarchia & Hierarchis, sed de ipso summo Pontifice, de cujus suprema autoritate valde diminutum fuisset in Gallia, si res ex illius Jesuitæ voto successissent, qui inter alia opinionum suarum placita contendebat novum etiam ætate nostra Patriarchatum erigi posse in Patriarchatu Romano, sumebatque exemplum ex Constantinopolitano Patriarchatu; prodierat scilicet nuperrime libellus incerto autore sub nomine *Optati Galli* sive *de cavendo schismate*, quod tunc Galliæ portendebat larvatus ille Gallus. Jam omnia in Schismatis structuram prona esse asserebat ac personare Patriarcham, seu, ut ille loquitur, Papalis dignitatis in Francorum Regno furem. Mirum est quàm vehementer Cardinalis Richelius ob inepti illius libelli quique contemni poterat editionem commotus fuerit; quesivit ex ompibus ordinibus Theologos qui Optato responsum pararent, inter quos repertus est Rabardeus Jesuita,

ſuita, necnon Juriſconſultos è quorum numero fuere illuſtriſſimi viri de Marca & Boſquetus, qui poſtea facti ſunt Epiſcopi. Itaque Morinus ſcripſit Cardinali Barberino Rabardeum Juriſdictionem omnem & immunitatem ab Eccleſia avulſam in Laicos judices tranſtuliſſe, primum omnium Catholicorum dixiſſe in poteſtate Laicorum ſitum eſſe Matrimonium irritare, ac Principes poſſe condere leges quæ Matrimonium dirimant; demum liberorum adultorum conjugia ſine parentum conſenſu nulla eſſe & irrita. Hæc & alia ejuſdem rationis non nulla tanquam impiè & temerariè à Rabardeo Jeſuita aſſerta graviſſimè conqueſtus eſt Morinus, quem tamen non tam ex rei veritate in hoc negotio locutum, quam faciendæ invidiæ cauſa Richelio & Jeſuitis, ut credam, his potiſſimum rationibus adducor:

OPTATUS ille Gallus famoſi iſtius libelli autor de quo tam anxiè ſed fruſtra inquiſivit Richelius, Gallus reapſe fuit, idemque Pariſinus Presbyter,

cui nomen Herſenius homo cerebroſus, judicii pauci, vehementiſſimus concionator, quique in Congregatione Oratorii Pariſienſis vixerat, ac tum etiam probe notus Morino & aliis nonnullis Congregationis iſtius Preſbyteris, cum quibus ſemper fuit conjunctiſſimus Herſenius, quos etiam licet pauciſſimos, propoſiti ſui conſiliique ſuſcepti participes fecerat, non ſecus ac Nuncium ſedis Apoſtolicæ, cui obtulit viginti exemplaria libelli ſui cum primùm editus eſt, quæ Romam mitterentur; oderant præterea plerique Congregationis Oratorii Pariſienſis Cardinalem Richelium, atque inprimis Joannes Morinus non ita pridem illius arte deluſus: ficta ſunt enim & adulatoria quæ antea ſcripſerat idem Morinus de Richelii erga Berullum & Berulliſtas amore, quaſi ille hunc viventem unicè coluerit, ab invidorum allatratibus vindicaverit, mortuum amariſſimis lacrymis proſecutus, filioſque ejus

Morin dedic. exercit. in Pent. Samarit. An. 1631.

autoritatis ſuæ præſidio conſolatus ſit: notum quippe eſt omnibus Berullum à Richelio & ab ætatis illius ſcriptoribus diffamatum, jubente Richelio, quaſi ille ſub ſpecie pietatis non parvum rebus Franciæ detrimentum attuliſſet. Noviſſime quoque Richelius Claudium Seguenotum Congregationis Oratorii Presbyterum in cuſtodia arcis vulgo dictæ *la Baſtille* poni Jusſerat; & ob hanc potiſſimum cauſam Morinus Celloto & Rabardeo Jeſuitis infenſiſſimum ſe præbuit, qui in ſuis operibus Seguenotum miris modis traduxerant: Hic opuſculum Beati Auguſtini de Virginitate è Latino Gallicum fecerat auxeratque notis quas ut ſcandaloſas & Communi Eccleſiæ praxi contrarias damnarunt Theologi, Pariſienſes ad id eos impellente Richelio qui Seguenoti ad ſobrietatem non ſapientis ingenium reformidabat. Seguenotus vir erat magna de ſe ſentiens, judicii non contemnendi, & cum Abbate Sancyrano cujus doctrinam & mores plurimi faciebat, amicitia conjunctus, ſeverioris

disciplinæ magister, ille quam à Saneyrano hauserat, vulgata Theologorum Scholasticorum placita de attritione vix ferre poterat, & ob id inprimis apud Richelium malè audiit; quia tunc temporis quidam Jesuita qui erat à Confessione Regis Christianissimi hanc doctrinam de necessitate contritionis contra vulgus Theologorum & communem societatis suæ sententiam Regi suggerebat, & quia Rex erat ingenio morosо ac difficili, rebus tractandis postea minus commodum illum expertus est Richelius. Itaque Seguenoti de attritione sententia à Theologis Parisiensibus autore Cardinale Richelio damnata est, at in Jesuitæ illius rigidioris ac minus humani locum alius Jesuita humanior ac mollior audiendæ Regis Confessioni succederet. Interim Morinus Richelio atque inprimis Cellotо & Rabardeo Jesuitis qui de Seguenoto palam in libris suis detraxerant infensissimus nuncium sedis Apostolicæ una cum Bertado ejusdem Congregationis Oratorii Theologo invisit

&

& gregalem ſuum à Jeſuitarum conviciis conatur aſſerere; ſed argumentum illud de attritione, rem pro more ſuo in utramque partem verſans, in colloquio ita implicavit, ut nuncius plus in eo judicii, minus eruditionis deſideraverit; denique Morinum in hoc negotio minus ſincerè egiſſe cum Cardinale Barberino adverſus Rabardeum Jeſuitam probat evidentiſſimè Morini ipſius reſponſio, qui ſententiam ſuam de Rabardei libro à Thierſaldo Congregationis Oratorii Presbytero cum rogatus fuiſſet dicere, ejuſdem Rabardei opiniones in pleriſque confirmavit, præſertim in cauſa novi Patriarchatus, quem in Gallia etiam invito ac reluctante ſummo Pontifice erigi poſſe aſſeverat. Hanc Thierſaldi conſultationem habeo præ manibus in qua ex mente Morini obſervatur Jeſuitas, licet Pontifici Maximo ſe addictiſſimos profiteantur, totos tamen dependere à placitis ac nutibus principum in quorum ditionibus vivunt; unde factum fuerit ut Rabardeus Jeſuita in opere ſuo opiniones

niones selegerit quæ principibus favebant, quòd Librum suum in gratiam Regis Christianissimi & Cardinalis Richelii scriberet; perpaucis compertum est inde jam à pluribus annis ex communi Jesuitarum omnium consensu statutum fuisse, Librorum qui à Societatis hominibus in publicum ederentur approbationem non amplius ut antea à patre Generali expectandam, sed à provincialibus cujuslibet Provinciæ, ita ut hodiernis temporibus de aula Romana parum solliciti eas inter scribendum liberè sequantur opiniones quas principibus acceptiores fore prævident.

QUIA his & similibus literis Joannes Morinus Cardinalis Barberini amicitiam sibi comparaverat seque ostenderat sedi Apostolicæ devotissimum, longè frequentius quàm antea cum eodem Cardinali habuit literarum commercium, ita ut tum res Congregationis suæ tum amicorum sæpius illi commendare ausus fuerit. Com-

Anno 1642. mendavit Episcopum Carnutensem

tensem qui ad Archiepiscopatum Rhemensem translatus fuerat, deinde clarissimum virum Dominum de Marca nuperrimè ad Episcopatum Conseranensium à Rege Christianissimo designatum, antea in Parlamento Palensi Præsidem, cujus summam eruditionem & ingenium laudans de illius libro cui nomen fecerat *de Concordia Sacerdotii & Regni* ita loquitur: *materia ubique fere, sed in Gallia potissimum anceps, lubrica & difficilis*, aitque in confesso esse apud omnes hujus rei peritos neminem è foro scriptorem abhinc annos 120. Ecclesiasticæ autoritati magis faviſſe. Interea Cardinalis Barberinus Morini sui haud immemor eum beneficio Ecclesiastico donare voluit, sed illud acceptare se non posse testatus est Morinus tam ob residentiæ obligationem quam quòd in ea Regione ubi situm erat beneficium istud bella undique circunstreperent. Commendavit etiam Morinus Cardinali Francisco Barberino per literas

Anno 1643.

Anno 1644.

Anno 1653.

teras Feronium Eccleſiæ Carnutenſis Archidiaconum & officialem ac Doctorem Sorbonicum, qui nominatus ad Abbatiam ſancti Laudomari Bleſenſis ſummi Pontificis diplomata ſeu bullas obtinere non poterat, quòd Romæ malè audiret tanquam eorum quos Janſeniſtas vocabant, quia partibus addictus, ſcilicet Cornelii Janſenii Epiſcopi Iprenſis Librum cui titulus *Auguſtinus* ſuffragio ſuo comprobaverat; rem ita eſſe non diffitetur Morinus, *ſed videbat*, inquit, *Librum ab Epiſcopo Catholicæ Communionis compoſitum, cujus autor omnes labores ſuos Eccleſiæ Romanæ emendandos & expungendos humillimè ſubjicebat, videbat Librum in Belgio à Librorum cenſoribus examine facto probatum & commendatum & duplici privilegio Imperatoris & Regis Catholici munitum; videbat Librum à multis viris doctis in Gallia magni fieri & à nemine tum attentatum.* Deinde in laudes Feronii fuſius excurrit Morinus, aitque eum excitatis de Janſeniſmo

Mor. in Epiſt. ad Card. Barb.

mo quæstionibus, Jansenistarum factioni non modo non taviſſe, ſed & ipſum bullam Pontificiam de quinque propoſitionibus impiis Janſenio tributis editam ex Epiſcopi Carnutenſis mandato, cujus erat vicarius Generalis, per dioceſim Carnutenſem promulgaſſe; plurimi tunc temporis è Congregatione Oratorii non tam ex rerum ipſarum cognitione quam ex odio in Jeſuitas Janſeniſtarum doctrinæ favebant, quibus tamen nunquam Morinus aſſentiri potuit; quia ejuſmodi homines rerum Eccleſiaſticarum minus peritos noverat, minuſque tutum judicabat in rebus fidei ab uno dependere Auguſtino qui & ipſe in aliquibus novator viſus fuerat. Hæc & ſimilia in familiari cum gregalibus ſuis colloquio Morinus de beato Auguſtino & ejus diſcipulis palam aſſerere non verebatur, ſimulque deridebat patres Societatis qui ſe etiam Auguſtini diſcipulos profiterentur, cum debuiſſent Auguſtini partes deſerere, ac demonſtrare ipſum à recepta temporum ſuorum fide priſcorumque Ec-

clesiæ Patrum doctrina recessisse; videbatur tamen Morinus Jesuitis infensior quam Jansenii discipulis: de Arnaldo enim & ejus libro de frequenti Communione non ita male sensisse visus est, cum hæc scribebat Lucæ Holstenio, Anno 1644. *Arnaldi Liber 5. Episcoporum & eruditissimorum 20. Sorbonæ Doctorum testimoniis commendatus prodiit. Insurgunt tamen Jesuitæ & in eum publicis prædicationibus ut in Lutheranum, Calvinianum & quid non, invehuntur. Cum autem ad pontificem provocandum esset potestates mundi advocant ut eorum auctoritate & Liber & auctor & ipsi approbatores, si fuerit potuisset, opprimantur.*

SIRLEO & alias ejusdem Morini ad Cardinalem Barberinum Epistolas, quæ nullius fere sunt momenti, si unam excipias in qua suam de critica sacra Ludovici Capelli sententiam fusius exponit. Morino scripserat Barberinus opus istud quod Capelli filius Catholicus & sacerdos

Anno 1650. ediderat disputationibus materiam Ro-

mæ

mæ nuperrimè suppeditasse ob concilii Tridentini de vulgata Bibliorum editione decretum, atque judicium illius de ista critica effluxerat; testatur Cardinalis se jam cùm in Gallia commoraretur de hac non nihil didicisse: *Apud me*, inquit, *alterius momenti est quòd cùm apud vos agerem, accepisse, diu hæsitatum fuisse circa Libri editionem, nam ab ea deterrebat nimius censuræ rigor in textum Hebraicum, ob Historiæ sanctitatem & inviolabile sacramentum, cùm tamen omni studio contenderetur, ideo hoc opus in Lucem edendum esse quòd perspicuè demonstraret Hæreticos abusos Hebraico textu; ita ut si publici juris hoc opus fieret, verisimile esset, illos id ægre laturos, præsertim hominem ejusdem farinæ hæc docente, ut postea evenit.* Huic Cardinalis Francisci Barberini Epistolæ respondit Morinus, criticam sacram Capelli per longum temporis spatium Genevæ, Sedani ac Lugduni Batavorum hæsisse manuscriptam; sed ut imprimeretur obtinere non potuisse, licet Salmasius Lugduni editionem mo-

geret.

geret. Ministros ritus Calviniani statim atque hoc opus editum acceperunt Capello valde succensuisse, qui Catholicis arma ministraret, suosque ad autoritatem Ecclesiæ ut aliquid certi de scripturis haberent recurrere cogeret, ita ut Libri censura Capello gratissima futura sit, simulque occasio cum suis in gratiam redeundi; fusius in hac Epistola Morinus Capellum ejusque criticam tuetur, docetque quid utilitatis ex hoc opere in Ecclesiam Catholicam redundet & quantum detrimenti Protestantibus afferat: fatetur quidem multa Capellum omisisse quæ vir Catholicus non reticuisset, verùm nihil omnino in hoc opere critico extare quod Religioni Catholicæ sit apertè contrarium; complures viros doctos inter quos Dionysius Petavius Jesuita & Marinus Mersennus è Minimorum familia secum hujus libri editioni favisse. Addit nullum Doctorem Catholicum publice suffragio Librum istum probasse aut commendasse, autoris filium, qui Catholicus est, Impressioni præfuisse dili-

diligenterque caviſſe ne quid atrox in Religionem Catholicam patri elapſum fuiſſet; deniquequia Barberinus Morino objecerat autoritatem Concilii Tridentini illiuſque de vulgata editione decretum, ille reſpondit, ſi hac in parte accuſetur Cappellus accuſandos quoque doctiſſimos Eccleſiæ tractatores, profertque Bellarmini teſtimonium de vulgata ita ſcribentis Lucæ Brugenſi, Anno 1603. *Sciàs velim vulgata à nobis non eſſe accuratiſſimè caſtigata: multa enim de induſtria iſtis de cauſis pertranſivimus quæ Correctione indigere videbantur; variæ Lectiones quæ in Bibliis Lovanienſibus habentur & in quas tu Librum utiliſſimum ſcripſiſti mihi videbantur omnino addendæ:* atque ibidem hæc Cardinalis Baronii verba de iſto negotio proferuntur. *Fateor in Bibliis nonnulla adhuc ſupereſſe quæ in melius mutari poſſunt.* Hoc argumentum de ratione qua intelligi debeat Concilii Tridentini de-

Bellarm. Epiſted. in fine Bibliar. Antuerp. An. 1618.

Card. Baron. ibidem.

cretum quod non assequi videbatur Cardinalis Barberinus, fusius prosequitur hoc loco Morinus ex sententia doctissimorum Ecclesiæ Romanæ Theologorum: ac demum his omnibus subjungit, ut Barberino in omnibus satisfaciat, optasse quidem Capellum novam fieri veteris testamenti versionem ex Hebræo contextu in cujus margine variæ lectiones undique selectæ collocarentur, sed hoc non præjudicare Concilii decreto, quod tantum vult Latinam editionem cæteris translationibus præferri, at novam ex Hebræo aut Græco Interpretationem ad originarii textus Illustrationem condi nunquam prohibuit. Hactenus Morinus; qui in omnibus se ostendit Criticæ Sacræ Ludovici Capelli strenuissimum defensorem; dignaque est profecto hæc Epistola quæ in lucem edatur, ut Theologi præsertim Parisienses, quorum plerique vulgarem editionem adorant, eosque ferre non possunt qui de nova ad contextum Hebræum aut Græcum translatione paranda cogitant, discant

ex

ex illa Epiſtola quid de rebus Biblicis doctiores Theologi iidemque rei Criticæ periti ſentiant. In hac enim Morinus ſuam de iſto argumento ſententiam longè ſincerius exponit quam in ſuis exercitationibus Biblicis in quibus ad id unum attendit, ut proteſtantibus aliiſque contextus Hebræi ac Græci novi Teſtamenti aſſertoribus ſeſe opponeret. Cæterum non animadvertit Morinus à ſe vel ab aliis expurgatoribus ex autographo Criticæ Capelli integrum fere caput expunctum fuiſſe in quo Capellus ſententiam illius de Latinis Græciſque codicibus quos Hebræis longè antepoſuerat, prolixius refellit. Objectum ſcilicet fuit Capello ab homine ejuſdem ſectæ communicato de evertendis codicibus Hebræis conſilio cum Morino, ambos novam iſtam opinionem conjunctim fabricatos fuiſſe; quàm falſum iſtud fuerit & à ſua mente alienum ut oſtenderet, in apologia quam pro Criticæ ſuæ defenſione adverſus ejuſmodi hominem

Boot. Epiſt. ad uſſ. adv. Crit. Cap.

ſcripſit, caput illud quod ex ſuo opere expunctum fuiſſe conqueſtus fuerat repreſentavit. In hoc autem capite Morinum mire ſuggillat, qui mera criminandi intemperantia & carpendi libidine multa Evangelicis objecerit, *Facile eſt*, inquit Capellus, *Ignaræ plebi fumos vendere & ad populum phaleras jactare atque oſtentare; at nunquam doctis, ne mediocriter quidem Hebraicè peritis perſuadere poterit Morinus, non potuiſſe viros qui poſt Hieronymum ſurrexerunt longe doctiſſimos quam plurima in ejus tranſlatione obſervare graviſſima σφάλματα atque hallucinationes.* Multum tamen tribuit idem Capellus veteribus tranſlationibus ob earum antiquitatem & perpetuum Eccleſiæ uſum; ſed ferre non poteſt ut iis locis ubi manifeſto vitioſæ ſunt, præponatur earum vitium authentico textui aut aliis tranſlationibus longè accuratioribus: quare Morinum arguit ut planè iniquum, qui autoritatem ſeptuaginta Interpretum & Hieronymi recentioribus

Cap. Epiſt. Apolog. ad uſſer.

oribus Interpretibus ita oppoſuerit, ut ab illis vel tantillum diſcedere nefas fuerit. Hæc & alia bene multa ejuſdem rationis in illo Capite quod ex critica ſua expunctum fuit adverſus Morini ſententiam Capellus animadverterat, quæ manifeſtè oſtendunt illum cum Morino nullatenus conſenſiſſe in evertenda textus Hebræi autoritate eique ſubſtituenda Græca Septuaginta Interpretum & Latina Hieronymi tranſlatione; ſi autem Capellum cum Morino comparare liceat in iis quæ uterque de rebus Biblicis compoſuit, in hujus quidem libris plus eruditionis apparet, ſed quæ ſæpius ſit extra rem; at in illo plus Ingenii atque Judicii qui nunquam à ſcopo aberret & id quod ſibi propoſuit firmiſſimis rationibus comprobet.

NON ſolum autem cum Cardinale Barberino in Italia Morinus habuit literarum commercium ſed, & cum Luca Holſtenio, Leone Allatio, & Abrahamo Ecchellenſi Maronita. Illorum beneficio excerpta aliquot ex Libris

quibuſdam Græcorum recentiorum, qui in Bibliothecis Vaticana & Barberina aſſervabantur obtinuit quæ poſtea inſeruit Commentariis ſuis de ſacramento pœnitentiæ & de ordinationibus. Morino quoque ſcripſit Leo Allatius de veteris Eccleſiæ apud Græcos partibus. Abrahamus autem Ecchellenſis ad eum miſit capita epitomes conſtitutionum Eccleſiæ Maroniticæ Arabicè & Latinè deſcripta, ſimulque per Literas ei indicavit qua ratione pœnitentiæ Sacramentum apud Maronitas adminiſtraretur & quænam eſſet illorum Eccleſiæ figura: Ecchellenſis autem ille eſt qui Polyglotta Pariſienſia adhuc imperfecta in Syriacis & Arabicis intra anni unius ſpatium perfecit. Roma enim Pariſios aſportavit Libros Baruch & Eſtheris Arabice qui in illis Polyglottis deerant exſcriptos ex Arabicis Bibliis Cardinalis Franciſci Barberini, idemque ex Vaticano exemplari titulos capitum aliquot quæ deſiderabantur in Bibliis Syriacis Morini ſupplevit. Morini autem nomen non modo

nodo in Italiam pervenerat ſed & in Angliam, in Belgium & ad Helvetios. In Anglia Comberi præſertim & Junii virorum doctiſſimorum amicitiam coluit & ad utrumque libere ſcripſit quid de vetuſto illo codice Græco Septuaginta Interpretum verſionis ſentiret qui ab Ægypto in Angliam deportatus fuerat; maximè in Epiſtola ad Patricium Junium cujus opera Liber Jobi Londini editus fuerat; de codicis illius quo uſus fuerat Junius vetuſtate & bonitate fuſius diſſerit, ac de aliis vetuſtis codicibus Septuaginta Interpretum tranſlationis ſimulque de Græcis novi Teſtamenti exemplaribus Manuſcriptis, quæ etſi illo autore innumeris in locis à ſe invicem diſſideant vera tamen & germana cenſentur Exemplaria. Romanam quæ ex codice Vaticano prodiit Septuaginta Interpretum editionem aliis omnibus editionibus præfert, ita tamen ut & hæc ſuos etiam nævos habeat neque à mendis quibuſcunque ſit libera. In hac autem Epiſtola relucet in primis ingenium atque

que eruditio Morini, qui de Græcis Bibliorum editionibus longè sinceriùs loquitur quam in præfatione quæ Græcis interpretibus illius cura Parisiis ex codice Vaticano editis præmittitur, & in exercitationibus Biblicis.

In Belgio Morinus per literas commercium habuit cum Auberto Miræo Decano Antuerpiensi viro rerum Ecclesiasticarum peritissimo, ad quem misit exemplar præfationis suæ in Septuaginta Interpretum editionem: Curaverat enim duodecim illius exemplaria seorsim edi quæ Romam mitterentur. Bruxellis cum Godefrido Vendelino canonico Candatensi qui illum per literas consuluerat de rebus Chronologicis atque inprimis de Libro Rabbi Eliezeris quem Gamalielis generum & Pauli condiscipulum existimaverat, deceptus iis quæ Morinus in exercitationibus suis in Pentateuchum Samaritanorum de antiquitate Libri istius jactanter scripserat; quare idem Morinus Godofrido respondens longè aliud quàm antea de isto Eliezere se sentire apertè

apertè profitetur & varie de negotio Chronologico disputat. Notus etiam fuit Morinus Amstelodami Nihusio, & Duaci Petro Halloixio Jesuitæ rerum Ecclesiasticarum haud imperito; apud Helvetios famosissimus erat Morinus Tiguri præsertim & Basileæ, ubi Henricus Hottingerus & Joannes Buxtorfius de eo loquebantur tanquam homine opinionum insania laborante & monstrosi dogmatis autore: de Morino enim ita scripsit Anno 1645. Muisio Hottingerus, sed Morinus hujusmodi triumviratum despexit, atque post Simeonis de Muis obitum qui ei inimicos Basileæ, Lugduni aliisque in locis apud Protestantes quæsierat venit in amicitiam Joannis Buxtorfii qui amico erga eum esse animo per literas illi significavit, ad quas amicè etiam respondit Morinus Buxtorfii eruditionem plurimi faciens, Anno 1642. à quo etiam in aliquibus haud immerito reprehensum se fuisse lubens agnoscit, dum Rabinorum testimonia quæ Latine fecerat non ex omni parte intel-

intellexerit; etsi contendat in nonnullis male à Buxtorfio castigatum se fuisse. In eadem quoque Epistola quæ longè prolixior est de secta Caraitarum & Judæis Grammaticis disserit, ac demum Buxtorfii sententiam de punctorum vocalium apud eosdem Judæos antiquitate, plurimis iisdemque evidentissimis rationibus refellit; de quibus omnibus postea summatim scripsit Ludovico Capello eumque monuit sectam Caraitarum Masoretas magni æstimare, unde ortum fuisse existimat ut Judæi Rabbanistæ eos contempserint; qua in re gravissimè hallucinatus est Morinus: verum quidem est Judæos Caraitas non secus atque alios Judæos qui vulgo Rabbanistæ appellantur, à punctis quorum Masorethæ autores putantur totos dependere; sed falsum est Rabbanistas ex illorum odio Masoretharum laborem despectui habuisse, cum punctuationem istam Caraitæ à Rabbanistis, è quorum classe fuerunt Masorethæ, hauserint, & utriusque illius sectæ viri eruditiores Ma-

Anno 1647.

sore-

soretharum opus non ut divinum quidem, sicuti nonnulli Judæorum Rabbanistarum Magistri, sed tanquam utilissimum & ab hominibus Linguæ Hebraicæ ac rei Criticæ peritissimis profectum respiciant.

POENITUIT tandem Morinum, ut etiam non diffitebatur, tantum temporis in rerum Biblicarum studio atque inprimis in evolvendis Judæorum Libris consumpsisse, quare ingens volumen de Sacramento pœnitentiæ ab annis ferme 30 inchoatum ac pluries interruptum ob materiæ difficultatem in lucem edidit. Liber ille, ut ipse testatur in Epistola quam scripsit Lucæ Holstenio, antiquam Sacramenti illius praxim complectitur & quæcunque in illius administratione per duodecim sæcula tam in orientis quam occidentis diversis Regionibus variata sunt, explicat; opus sanè istud dignum est quod ab omnibus rerum Theologicarum studiosis attentius legatur: quandoquidem argumentum illud admodum Theologorum

Edit. Paris. in fol. Anno 1651.

gorum è Schola non tractavit Morinus, ſed ubique Hiſtoricum agens, nec contentus Patrum conciliorumque teſtimonia proferre, vetuſta ritualia, pontificalia & alios ejuſdem naturæ Libros qui in Bibliothecarum Italiæ & Galliæ forulis deliteſcebant, imo & opera veterum Scholaſticorum quæ nunquam publici Juris facta ſunt, producit, quorum omnium beneficio apertè oſtendit quantum in hac materia, etiam in Eccleſia occidentali variatum fuerit, quamque diverſa ſit hodierna Eccleſiæ Romanæ praxis à priſco adminiſtrandæ pœnitentiæ ritu. Mirum eſt profecto repertos fuiſſe Pariſiis Theologos qui Librum illorum placitis ac methodo ita contrarium approbaverint; novi quidem Morinum tunc temporis de illis ſæpius ac diu conqueſtum fuiſſe, quòd cum metaphyſicis potius quam cum Theologis ſibi agendum eſſet: Coactus tamen fuit ne Crabrones iſtos irritaret multa retractare, aliqua emollire præfatione & in fronte operis nonnulla præmonere. Ita ſe Hiſtorici tantum

tum partes agere conjecturaſque meras interdum proferre admonet, ſe de ſufficientia attritionis cum Confeſſione ſcripſiſſe ante decretum Sorbonicum pro eadem ſententia latum, quando ſcripſit Diaconis olim imò & Laicis apud Latinos conceſſum fuiſſe Confeſſiones in extrema neceſſitate audire, & pœnitentes à peccatis abſolvere, illud de abſolutione Sacramentali minimè intelligendum ſed de ea ſolum quæ ſit Ceremonia & quid Sacramentale ut excitetur ægrotantis diſpoſitio; verum hæc & alia ejuſmodi complura quæ Morinus præmonet, à ſe invito ac reluctante, & ad mentem dumtaxat Theologorum Pariſienſium recognita fuiſſe manifeſtè probant ea ipſa quæ in contextu operis ſui habentur: exempli cauſa, palam aſtruit Patrum & veterum Scholaſticorum autoritate contra Sorbonæ decretum neceſſitatem contritionis, ſententiam Dominici Soto de attritione quæ in Sacramento fit contritio, ſibi duram videri affirmat, aitque eum qui ſibi diceret ſe propter

Deum

Deum non pœnitere non aufurum absolvere: & hanc Doctrinam etiam Judæorum Testimoniis confirmat, qui in hoc cum priscis Ecclesiæ Patribus consentiunt, quod omnes actiones nostras amoris divini causa faciendas existiment atque inprimis pœnitentiam, alias hanc non fore validam. Præterea multis iisque evidentissimis patrum & conciliorum testimoniis, maximè autoritate Cypriani, probat diaconos olim in Ecclesia Latina eorum Confessiones qui in extremo erant vitæ periculo audivisse & pœnitentes reconciliasse, addit verba Cypriani eo loco non posse explicari de absolutione ab Excommunicatione; verum intelligenda de absolutione à peccatis quam statim comitabatur Euchario Communistiæ: quam etiam absolvendi à peccatis potestatem & Confessiones audiendi ad Laicos extendit eodem modo quo hodiernis temporibus & ipsi in casu necessitatis infantes ex omnium Theologorum sententia Baptizare possunt; id autem ex eo ortum fuisse crediderim, quòd vera pœni-

pœnitentia quæ à Chriſto & Apoſtolis in novo teſtamento annunciata eſt in ſola cordis atque morum ad Deum converſione poſita ſit, pœnitentia verò illa exterior ſeu peccatorum Confeſſio, Jejunia & aliæ Mortificationes, uti loquuntur exteriores, ſigna tantum eſſe videantur pœnitentiæ illius interioris ſeu reſipiſcentiæ: quare in hoc etiam à Morino erratum, qui Confeſſionem peccatorum Divinæ Inſtitutionis eſſe arbitretur, quamque Eccleſia graviſſimis de cauſis nunquam abrogare poſſit. Communis eſt Doctorum Canoniſtarum adverſus Theologos ſententia, Confeſſionem Juris tantum eſſe poſitivi & Eccleſiaſtici, nullatenus à Chriſto ſed ab Eccleſia inſtitutam; valde autem probabile eſt uſum Confeſſionis ac pœnarum quibus ſontes plectuntur ex Synagogarum uſu nec non è Philoſophorum maxime Platonicorum Scholis in Eccleſiam veniſſe: ſed ut ad Morinum noſtra redeat oratio, ille non Pariſienſibus ſolum Theologis operis ſui approbatoribus placere debuit; ſed & Jeſuitis

itis qui insignem adversus Jansenistas victoriam reportaverant. Idcirco ne Sancyrani, Arnaldi, gregalis sui Seguenoti & aliorum qui se Augustini discipulos profitebantur, opiniones stabilire videretur, quasi commentaria sua de Sacramento pœnitentiæ eo dumtaxat fine in publicum edidisset, ut antiqua Ecclesiæ praxis in Sacramenti illius Administratione revocaretur in usum, statim ab ingressu operis præfatus asserit se illud ante annos 27. suscepisse, adeoque neminem posse suspicari, quod ob tumultus de pœnis peccatis debitis recenter excitatos scripserit; & ut se à discipulis B. Augustini alienum ostenderet, ait, Hactenus inauditum in Ecclesia unius cujusdam Magistri quantumlibet illustris Doctrinam esse fidei regulam, in iis præsertim controversiis in quibus cæteros Magistros sibi suisque discipulis habet contradicentes, eos demum qui simile Augustino elogium tribuunt, ipsos esse insensiores illius adversarios: præmonet tamen se his verbis Augustino & de illius Doctrina

ctrina detrahere noluiſſe. Præfatio iſta Arnaldo aliiſque Auguſtini diſcipulis multum diſplicuit; quia autem nonnullis Theologis viſus fuerat Morinus dum rem iſtam curioſius ac diligentius tractat, Calvinianis favere, qui exiſtimant in Eccleſia Romana vix umbram & imaginem antiquæ pœnitentiæ remanere, quia Scholaſtici Doctores ac ſummi Pontifices priſcam illam veterum Patrum duritiem emendaverant. Addit in eadem præfatione quatuor potiſſimum capitum illuſtrationem in opere ſuo ſibi propoſuiſſe, quorum primum eſt ſingulorum peccatorum Confeſſionem ſacerdoti ſecretò & particulatim edendam eſſe; ſecundum, peccata Baptiſmum præcedentia ſine ſatisfactione, ſubſequentia verò non ſine ipſa remitti. Tertium, ſatisfactiones peccatis poſt Baptiſmum remittendis eſſe imponendas. Quartum denique pœnas ab antiquis patribus indictas non ſolum Eccleſiæ ſed Deo ſatisfeciſſe. Utrum autem promiſſa ſua Morinus explicuerit, an abſoluta operis

ſui editione hac præfatione doctores Scholaſticos deluſerit, illi judicent quorum intereſt. Sileo etiam tum Seguenotum & alios nonnullos Congregationis Oratorii Presbyteros, cum negotium iſtud tractabat Morinus, hodiernam Eccleſiæ Romanæ praxim in Adminiſtratione Sacramenti pœnitentiæ verbis & exemplo ſuo valde improbaſſe, neque Concilii Tridentini Epiſcopis perperciſſe, quaſi Doctorum Scholaſticorum placitis hac in re nimis adhæſiſſent. Hanc Oratoriani illi Doctrinam hauſerant à Sancyrano, ſed poſtea pœnituit Gundramum tunc Congregationis iſtius præpoſitum generalem cum Sancyrano amicitiam coluiſſe, monuitque ſuos gregales ut ab illo Abbate ſibi caverent, qui de Concilii Tridentini Patribus eorumque decretis quaſi à Doctoribus Scholaſticis profecta fuiſſent malè ſentiens, omnia ad antiquæ diſciplinæ ſeveritatem revocanda eſſe cenſebat. Itaque Morinus ne in ejuſmodi ſuſpicionem incideret, ab ipſo libri ſui exordio profitetur ſe

antiquas

antiquas Eccleſiæ in adminiſtratione pœnitentiæ conſuetudines ea mente non explicuiſſe, ut eas ad praxim & uſum reſtitui velit; res enim iſta, inquit, periculoſa, turbulenta, ſeditionibus obnoxia. Verum etiam noſtra ætate non ita bene audit Morinus ob ejuſmodi Librum apud nonnullos è Schola Sorbonæ Magiſtros, eos præſertim quos Librorum vocant reviſores: non ita pridem enim Canonici quidam Regulares Sancti Auguſtini è domo Sancti Victoris cùm in animo habuiſſent publici juris facere veterum quorumdam Scholaſticorum opera, quorum Morinus teſtimonia aliquot in commentaria ſua de Sacramento pœnitentiæ tranſtulerat, nunquam illorum edendorum facultatem impetrare potuerunt, atque Morini nomen illis potius in hoc negotio obfuit quàm profuit; verum de his ſatis ſuperque.

DOCTORIBUS quidem Scholaſticis in libro quem modo recenſuimus infenſiſſimum ſe præbet Morinus, quod ad res Theologicas nihil fere præter

rationes metaphyſicas afferant; ſed longe adhuc infenſiorem illis ſe oſtendit in commentariis quæ poſtea edidit de ſacris Eccleſiæ ordinationibus: illos enim ab operis ſui exordio traducit tanquam homines imperitos & argumenti quod tractat plane ignaros. Jam illud opus ut ſupra obſervatum fuit Romæ inchoaverat cum cuidam Theologorum Congregationi intereſſet in qua juſſu Urbani VIII. Pontificis Maximi Græcorum Euchologium ad fidei Eccleſiæ Romanæ regulam expendebatur; quid autem à ſe in hac materia præſtitum ſit declarat in Epiſtola ad Leonem Allatium cui ſcripſit ſe inquiſiviſſe in ſacras Clericorum ordinationes tam Græcas quam Latinas. *Inquiſitionem illam*, inquit, *Scholaſtico more non inſtituo; id exiſtimo hac in cauſa & probationibus quas adhibeo plane inutile: his enim argumentis cedat univerſa Scholaſtica, & illis ſe accommodet neceſſe eſt.* Deinde addit ſe in lucem edere antiquiſſimos ordi-

Edit. Pariſ. in fol. Anno 1653.

ordinandorum Clericorum ritus Latinos, quorum nonnulli è Codicibus mille annorum & nongentorum ætatem superantibus, multi octingentorum; Græcos septem qui tamen antiquissimis Latinis ætate sint inferiores, quorum primus ac vetustissimus è Codice Barberino exscriptus fuerat, secundum habuerat ex Monasterio Cryptæ Ferratensis, tertium & quartum è Bibliotheca Vaticana: & animadvertit non omnes in illis ordinationes repræsentari, sed præcipuas tantum; quintum è Codice Sancti Andreæ Vallensis exscriptum fuisse testatur; sextum è Bibliotheca Regia; septimum denique qui recentior est & omnium ampliſſimus ad eum miserat ipsemet Leo Allatius, quæ omnia à Morino Latino sermone donata sunt & variis Annotationibus illustrata: *Ex horum*, inquit, *comparatione manifestum est eodem plane modo ordinationes sacras apud utramque gentem antiquitus factas esse & quæ nonnulli Scholastici opinantur esse substantialia*

In Epist. ad Leon. Allat.

neutram gentem olim usurpasse. Adeo verum est illam Scholasticorum Nationem ratione furentem & superbam quæ dudum in Ecclesia Romana principem locum obtinet rebus Theologicis plus obscuritatis attulisse & detrimenti, quam lucis & utilitatis. His omnibus ordinationum ritibus adjungi etiam debent Syrorum tum Maronitarnm tum Nestorianorum ordinationes quas sermone Syriaco & Latino operi suo inseruit Morinus. Illas describi curaverat ex Codice vetusto qui erat Abrahami Ecchellensis natione Maronitæ, has autem è Codice Vaticano; utrasque in Latinum sermonem à se conversas fuisse Morinus affirmat, adjutus forsan in hac opera Latina illarum Ordinationum Interpretatione quæ tunc cum Romæ degeret asservabatur in Collegio sapientiæ apud Maronitas; Ecchellensem etiam per Literas in iis quæ non assequebatur sæpius consuluit: pene omiseram Jacobitarum ordinationes quas etiam Syriacè & Latinè exhibet. Denique opus quoque

suum

ſuum locupletavit Morinus Cophitarum ſeu Ægyptiorum ordinationibus quas Athanaſius Kircherus Jeſuita Clariſſimus è Codice qui Romam ex Ægypto miſſus fuerat ad Congregationem de propaganda fide in Latinam Linguam tranſtulerat; ne quid autem operi ſuo deeſſe videretur his omnibus adjecit varias exercitationes in quibus de ordinatione qualibet tam ſecundum Scholaſticorum quam veterum ſcriptorum placita diſputat ſimulque adnotat quid novi in antiquos ordinationum ritus maximè in Eccleſia Occidentali invectum fuerit. *Inde colliget*, inquit, Morinus, *Immane quantum aberraverint à vero plerique Scholaſtici cum Græcarum ordinationum & antiquæ Latinorum traditionis incurioſi definire voluerunt quæ ſunt in ſacris ordinationibus Apoſtolicæ traditionis, quæ Eccleſiaſticæ Inſtitutionis; quæ ſubſtantialia, quæ accidentalia.* Ad id unum in his exercitationibus reſpexiſſe videtur Morinus, ut Doctoribus Scholaſticis, quorum diverſas de materia & forma Sacramen-

torum uti loquuntur opiniones usque ad nauseam refert, invidiam faceret, eorumque imperitiam palam argueret, multas interim quæstiones gravissimas & majoris momenti quæ ad id quod tractabat argumentum pertinebant silentio prætermittens; eas autem potissimum seligit explicandas quæ videntur magis implicatæ & de quibus vix aliquid certi affirmari potest, adeo parum constans est de his Doctorum traditio. Interdum tamen Patrum Concilii Tridentini autoritate velut obrutus ejusmodi quæstiones pro more suo in utramque partem versare non ausus est. Ita de Charactere locutus quem Sacramentis aliquot affigunt Scholastici, hæc habet: *Assumimus, non probamus Characterem esse atque à tribus Sacramentis in anima peculiarem imprimi.* Exercit. 3. c. 1. Noverat tamen Morinus Cajetanum asserere novam hanc esse de Charactere sententiam; Hugonem à Sancto Victore, Robertum Pullum & Magistrum sententiarum nullam illius mentionem feciſſe;

feciſſe; Scotum quidem & Gabrielem illum admiſiſſe, ſed ea ratione ut illum potius deſtruerent quàm aſtruerent: ſtatim enim ſubjiciunt illius exiſtentiam neque Scripturæ Sacræ autoritate neque Patrum teſtimoniis probari poſſe. Hæc inquam omnia noverat Morinus; tamen aſſerit poſt clariſſimam Concilii Tridentini definitionem ſtatui debere tanquam principium primum & per ſe notum Characterem eſſe ſignum ſpiritale & indelebile virtute Sacramenti animæ impreſſum. Imo addit qualitatem eſſe ſpecialem & indelebilem quia Doctorum Eccleſiæ maxima pars in eam ſententiam inclinare videtur; ſi autem quæramus qui ſint Doctores illi Eccleſiæ à quibus hic totus dependet Morinus, iidem ſunt quos paulo antea velut homines imperitos & rei quam tractat prorſus ignaros ſuggillavit: Ita *quandoque bonus dormitat* Morinus. Iterum expendens quæſtionem de iterandis ordinationibus, utrum ſcilicet aliquando poſſint iterari, maximè cum agitur de Hæreticis, Schiſmaticis, depo-

depositis, degradatis & excommunicatis consensum Scholasticorum ab annis 400. in hac materia plurimi facit. Postquam enim Episcopos Episcopis, Concilia Conciliis, Pontifices Pontificibus ut ipse loquitur, collisit & eos Cadmæam pugnam depugnantes ostentavit, in re tam dubia & tam incerta in quam nullum adhuc supervenerat Ecclesiæ decretum, maluit Scholasticorum sententiæ suffragari quam rem in dubio relinquere. *Tam multorum Doctorum concors*, inquit, *& tam diuturnus consensus nobis est instar legis quam dissensu nostro temerare nec volumus nec debemus.* Sciebat Morinus Crabrones istos, uti jam dictum est, irritandos non esse: quare hoc loco veluti tergiversatus hoc Vasquezii, quem Theologiæ Scholasticæ lumen splendidissimum appellat, pronunciatum affert, *Turbam Doctorum aliquando amplecti unam opinionem absque delectu, contra quos deinde alius doctor magnæ autoritatis opinionem aliquam maturè excogitatam in Scholas intro-*

Exercit. 5. c. 8.

introducere poteſt. Licet iſtud Vaſquizii pronunciatum multo æſtimet, non auſus tamen eſt à turba Doctorum in hoc negotio recedere; *ſequi malumus*, inquit, *quam anteire:* deinde aſſerit multas quæſtiones primis Eccleſiæ temporibus dubias & in utramque partem diu diſputatas poſtea indubitatas fuiſſe; in cujus rei exemplum profert Concilii Tridentini Epiſcopos qui longe plurimas definierunt quæ antea in utramque partem probabiliter agitabantur. Hoc quoque in cauſa ordinationum iterandarum accidiſſe autor eſt, *Scilicet quæſtionem hanc dubiam olim, nunc & ab annis quadringentis unanimi Doctorum conſenſu eſſe reſolutam & definitam.* Iterum hic dormitat Morinus, dum fidem ſuam è Scholæ placitis quæ annos quadringentos non ſuperarent, vult dependere; verum cum Doctoribus iſtis umbraticis quos graviſſimè læſerat reconciliari voluit. Quare autor fuerim ut in toto ordinationum Libro non tam Morini verba ponderentur quàm illius rationes: debuit

buit enim ad vulgata Theologorum placita se accommodare, ut Cardinalis Francisci Barberini cui opus suum consecrabat desiderium expleret, ab eo jam monitus per Literas ne eos imitaretur qui in suis operibus nihil præter philautiam & innovandi studium afferunt. Mirum itaque nemini videatur si Morinus interdum in hoc Libro Doctoribus Scholasticis plus æquo tribuat, quos tamen noverat rem Theologicam graviter non tractare; satis enim erat illum ab operis sui principio palam asseruisse nulla eos fide dignos in hac materia sibi videri.

INDE jam à pluribus annis Morinus alteram exercitationum Biblicarum partem cujus editi fuerant indices ad calcem prioris partis promiserat; sed variis negotiis impeditus & aliorum Librorum editione retardatus, demum ut promissis suis se exolveret de posteriori illa parte exercitationum quæ jam ab Anno 1637. ad umbilicum redacta fuerat, ut ipse testatur scribens Cardinali, Francisco Barberino, in publicum edenda

edenda ſerio cogitavit, Anno 1657. quid autem hac in re à ſe præſtitum fuerit declarat his verbis in Epiſtola ad eundem Cardinalem. *Potiſſimum illo opere mihi propoſitum fuit, quidquid unquam Judæi antiqui & recentiores ante vel poſt Talmud compoſitum ad hæc uſque tempora in gratiam & illuſtrationem textus Hebræi præſtiterunt, eorumdem de iſtius textus caſtigatione & diſpoſitione diverſas admodum & pugnantes ſententias varias ejuſdem textus lectiones pluſquàm bis mille locis adnotatas, aliaque id genus ex correctiſſimis ipſorum Biblicis Codicibus, ex ipſorum tantum archivis & Commentariis antiquis & recentioribus eruere & Chriſtianis omnibus propalam dare conſpicienda. Hinc enim luce meridiana clarius eſt, nihil Judæos in gratiam ſui textus nunquam tentaſſe quod ſit ingentibus Eccleſiæ laboribus in ſacri textus conſervatione exantlatis comparandum, & Hæreticos, etiam nobis tacentibus, ea quæ prorſus ignorabant in immen-*

Mor. Epiſt. ad Card. Franc. Barb. Anno 1637.

immensum temere laudasse; vulgatamque editionem, adversus quam furore potius quam ratione debacchantur fontibus Hebraicæis multo puriorem ac limpidiorem fluere. Hæc scribebat Morinus Anno 1637. Sed,

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?

INGENS ille variantium Lectionum in Codicibus Hebræis numerus quem verbis suis adeo exaggerat Morinus ad pauciſſimas easque nullius fere momenti revocari potest, quæque jam ab ipsismet Judæis sub nomine diversarum Lectionum Orientalium & Occidentalium Judæorum annotatæ sunt ad calcem Bibliorum Venetorum, unde à Drusio postea exscriptæ; & ab ipso etiam Buxtorfio, Codicis Hebraici acerrimo defensore, variantes omnes illæ lectiones Bibliorum suorum editioni adjectæ sunt: similiter Judæi alia diversarum lectionum exempla quæ vulgo appellantur Keri & Cetib, quas etiam

am refert Morinus ad oram Bibliorum ſuorum retulerunt, quas nec diffitentur Proteſtantes quibus hic invidiam facere conatur Morinus: longe ſatius erat novas & ineditas lectiones ex vetuſtis Bibliorum Codicibus producere, quam eas quæ jam in omnium manibus verſabantur iterum in lucem edere. Magnam quidem opus illud Morini præſefert eruditionem, in eoque ſe oſtendit in libris Judæorum diu multumque volutatum; ſed pars maxima ejuſmodi Literaturæ ad rem quam ſibi propoſuit nihil aut parum conferre videtur; totus enim eſt ut demonſtret nullum apud Judæos eſſe antiquæ Hiſtoriæ monumentum, ſed omnia eſſe nova plenaque Fabularum, Talmud utrumque, Chaldaicis Onkeloſi ac Jonathanis paraphraſes, Medraſcim ſive commentarios myſticos in legem & in quinque Meguillot ſeu volumina, opera eſſe longe recentiora quam vulgo exiſtiment Judæi; verùm quid ex his omnibus adverſus Codicis Hebræi integritatem confici poſſit minimè percipio:

non

non enim minus inter Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis Scriptores quam apud Judæos, reperiuntur libri supposititii qui magnam præseferant antiquitatem; sunt & alii etiam anilibus Fabularum Commentis referti; quis autem paulo cordatior inde sumpserit argumenta adversus Græcos & Latinos Bibliorum Codices? deinde in pluribus etiam quæ animo Judæis infensiore Morinus asseruit graviter hallucinatus est, quibus tamen recensendis ne sim longus supersedeo. Ea quidem quæ in eodem Libro de Masora & illius autoribus, de punctorum vocalium apud Judæos novitate, ac de illorum Grammaticis erudite animadvertit, alicujus momenti esse videntur nec à proposito suo ita aliena; tamen nondum illud quod sibi in hoc opere proposuisse testatur in Epistola quam scripsit ad Cardinalem Franciscum Barberinum omnino conficiunt: ij enim omnes qui eruditionis habent aliquid ac judicii cum Catholici tum Protestantes, eadem atque ille de hoc argumento sentiunt; at

at non ideo Codices Hebræos accuſant. Egregie quidem refellit Morinus in hac poſtrema operis ſui parte Buxtorfium, Muiſium, Flavignium & alios nonnullos qui Judæorum aliquot ſuperſtitioſiorum placitis nimium adhærentes non ſatis caute hodiernam Codicis Hebraici lectionem adverſus illum uſque ad minimos apices aſſeruerunt. Inde enim factum eſt ut illis ipſis Morinus inſultaverit gloriabundus quaſi victoriam conſecutus profligatis Hebraiſtarum & Proteſtantium copiis ſeu Hæreticorum, ut ipſe loquitur, qui ea quæ prorſus ignorabant in immenſum laudaverant, ut adverſus vulgatam editionem *furore potius quàm ratione debaccharentur*; è claſſe tamen illorum Proteſtantium erant Druſius, Scaliger, Erpenius, Salmaſius, Hugo Grotius, Capellus, Waltonus & alii bene multi quibus nec Linguæ Hebrææ cognitio nec judicium defuit, qui tamen eadem atque Morinus de Hodierno Judæorum Exemplari hac in parte ſentiunt: quin nec ab ea opinione abhorruerunt

Lutherus, Calvinus, & Zuinglius Sectarum quæ nomen Reformatarum ſibi aſſumunt principes. Adeoque non erat cur Morinus victoriam ab Hæreticis reportatam ſuperbe & verbis ſeſquipedalibus jactaret; non aliam ſortem hac in re Lingua Hebræa nanciſci potuit, quàm Arabica, Chaldæa & Syriaca: neque in vitium Codicum Hebræorum id trahi poteſt, quod illis veluti naturale eſt ac ingenitum atque etiam commune cum libris Arabicis, Chaldæis, & Syriacis quippe in illos omnes poſtea Grammatici, uti norunt ejuſmodi Linguarum periti, puncta vocalia invexere, ut illorum Lectio facilior eſſet ac paratior, etſi initio vocales quoque ſuas, ſicut & cæteræ Linguæ, congenitas habuerint, nimirum Aleph, Vau, & Jod & alias quæ peti poſſunt ex Beati Hieronymi Libris. Didici à viris probis & Morini amicis illum non ſemel ſuſcepti Concilii de edendis in publicum exercitationibus Biblicis pœnituiſſe, non ſolum quòd in hoc ſtudii genere quod illi minus

minus placebat nimium temporis consumpsisset, sed etiam quod dum illas aggressus fuit, rem criticam non satis calleret: verum quia apud Berullistas Bibliothecam invenerat Judæorum Libris instructissimam & hæc studia tunc Parisiis ob Bibliorum Polyglottorum Clarissimi Domini le Jay editionem celebrabantur, non potuit quin ad illa animum suum applicaret, quæ tamen ut scribit ad Cardinalem Barberinum, *Consiliis suis fuere* tantum *accessoria* & παρέργα; *ista enim*, inquit, *materies quæ antiquam Ecclesiæ vel disciplinam vel Historiam spectat meam esse cupio, huic cognoscendæ ab adolescentia tempus otiumque meum potissimum dicavi.* Mor. in Epist. ad C. Fr. Barb. Utinam Morinus in tractanda Ecclesiæ disciplinæ & Historia omnem operam suam collocasset, neque illi agendum fuisset cum Tayloris, Bootiis, Hottingeris, Muisiis, Flavigniis & aliis ejusmodi hominibus, qui illius, ut erat paulò iracundior ac difficilior, bilem commoverant: Haberemus enim maximam

imam Theologiæ partem ab eo graviſſimè tractatam & non ex more Scholaſticorum qui temere & ſine judicio de rebus magni ponderis ſententiam ferunt, nihilque edunt in Theologiam præter ſophiſmata & argutias quæ viros doctos ad riſum & contemptum incitent: Hactenus de iis quæ Morinus publici juris fecit judicium tulimus.

VERUM liquet ex illius Epiſtolis complures alios in lucem edere libros ſibi propoſitum fuiſſe, & cùm hæc ſcribebam accepi indicem opuſculorum quorundam Morini quæ nondum edita ſunt; & quia index ille difficilè reperitur, huc integrum referre non pigebit.

Index opuſc. poſthum. Mor. Edit. An. 1675.

Opuſculorum Joannis Morini Bleſenſis Oratorii Presbyteri Index.

1. *DE Baſilicis Chriſtianorum ſinguliſque earum partibus: opus exquiſita eruditione refertum capitibus* 47. *paginiſque* 335. *contentum.*

De

2. *De iisdem Basilicis alterum brevius opusculum centum ferè, paginarum, aliqua continens quæ in priori desiderantur, puta de oblatione olim in Basilicis fieri solita.*

3. *De Græcorum Ecclesiis ad Leonem Allatium Epistola prolixa cum earundem delineatione.*

4. *Altera de materia eadem Epistola, quam secutum est Allatii responsum in Lucem nuper editum à R. P. Richardo Simone nostræ Congregationis Presbytero.*

5. *De Paschate seu de vetustissimis Christianorum Paschaliis exercitatio Ecclesiastica, quam olim à se edendam promiserat Morinus ipse in Præfatione Exercitationum Ecclesiasticarum.*

6. *De Sacramento Confirmationis dissertatio in qua præsertim celebros de ejus materia & Ministro quæstiones ventilantur.*

7. *De Disciplina à Patribus observata in expiatione Catechumenorum & eorum ad Baptismi susceptionem præparatione tractatus ducentarum fere Paginarum.*

8. *Christiani Lupi Augustiniani Epistola ad Joannem Morinum de aliquot*

circa antiquam pœnitentiæ administrationem difficultatibus.

9. *Ad eundem Morini Epistolica responsio.*

10. *Consultatio an Canonici jura Episcopalia & exemptionem à Jurisdictione Episcoporum, præscriptione possint acquirere.*

11. *Joannis Morini ad Bartholdum Nihusium Epistola de Loco Tertulliani de Ligno Crucis scribentis cap. 12. lib. ad Nationes & de aliis.*

12. *Epistola altera de explicatione vocis* confirmari *in ordine Romano de Communicantibus Christi Sanguini agente.*

13. *Epistola tertia de autoritate Libri Maimonidæ & eorum quos sequitur & an Pontifex veteris Testamenti vel solus vel cum concilio sacerdotum inferior esset Synedrio magno ejusque Principe.*

14. *Consultation si une terre donnée à ferme à longues années perd l'exemption des decimes.*

15. *Animadversiones in scriptum quoddam Ms. de translatione Episcopi Carnu-*

Carnutenſis ad Archiepiſcopatum Remenſem.

16. *Diſcours ſur le nombre & ſur la qualité des fautes remarquées dans le texte Hebreu & Caldaique de la grande bible de Monſieur le Jay.*

17. *Avis à Monſieur de Chartres ſur le meſme ſujet ſur la conſultation faite par ordre de Monſieur le Cardinal de Richelieu.*

18. *Scriptum Joannis Morini de Dictionario Philippi Aquinatis vocum Hebraicarum Chaldaicarum Talmudicarum.*

His omnibus adjungi poſſent complures aliæ Epiſtolæ quas mihi communicavit vir pietate & eruditione conſpicuus Dionyſius Amelotus Congregationis Oratorii Presbyter & ex quibus non pauca in hanc Morini vitam tranſtuli; ſed juvat etiam mox recenſita opuſcula illuſtrare: Haud dubiè Morinus in animo habuerat tractatum de Baſilicis & earum partibus edere ad Calcem Libri ſui de ordinationibus ut ipſemet teſtatur in Epiſtola ad Cardi-

nalem Franciſcum Barberinum in qua etiam opuſculi illius rationem explicat his verbis: *Exiſtimabam neceſſarium huic operi* (de ordinationibus) *nonnulla inſerere de Eccleſiarum antiquarum figura & forma interiori, ut commodius Epiſcopi in Sancto Sanctorum Tribunal, Presbyterorum & Diaconorum ad altare aut circum altare ædes, aliorum inferiorum Miniſtrorum in Choro ſeu Sanctuario Conſeſſus, fidelium tam virorum quam mulierum extra chorum diſtincti ordines, variæque pœnitentium poſt ambonem ſtationes explicarentur. Cum autem interior illa figura & ſtructura non parum illuſtrari poſſit templi Hieroſolymitani quale erat Jeſu Chriſti & Apoſtolorum ſeculo comparatione; multa enim ad illius exemplar inſtituerunt primi Eccleſiæ fundatores, nonnulla etiam de illius delineatione cogitaveram: verum quod pauculis Capitulis me poſſe conficere ſperabam fœcunditate materiæ in molem excrevit, ideo ſeparato libello hæc edere conſtitui.* Hujus quoque opuſculi de

Mor. Epiſt. ad Card. Fr. Barb.

Ba-

Basilicis meminit in aliis Epistolis Morinus; scripsit enim Lucæ Holstenio hac in re non parum adjutum fuisse Leonis Allatii monitis & lucubratiunculis aliquot in iis potissimum quæ hodiernas Græcorum Ecclesias spectant. De Paschatis autem scripsi tnonnulla Morinus tam ex Judæorum quam Christianorum sententia ad Godofridum Vendelinum de quo jam supra; quibus autem rationibus ad scribendum de Sacramento Confirmationis adductus fuerit ex hisce Epistolis cognoscere non potui; liceat tamen suspicari jam inde ab eo tempore quo Romæ comrabatur de illa scriptione cogitasse: nam video opusculum Lucæ Holstenii de hoc argumento post ejus obitum à Cardinale Francisco Barberino Romæ editum fuisse, in quo Holstenius Ecclesiæ Orientalis ritus qui in hoc negotio contrarii erant Ecclesiæ occidentalis moribus strenuè vindicat. Simulque Theologorum Scholasticorum imperitiam & disputandi de rebus omnibus

Mor. Epist. ad Luc. Holst.

pru-

pruriginem vehementer coarguit; quibus etiam accedit graviſſimas tunc temporis de Sacramento confirmationis diſputationes in Gallia extitiſſe inter Petrum Aurelium ſeu Sancyranum & Sirmondum Jeſuitam doctiſſimum; forſan ægre tulit Morinus Aurelii ſententiam cui nihil inerat probabilitatis ab omnibus fere Theologis approbari: Sirmondum verò qui argumentumillud diligenter tractaverat partes executus Theologi rei Criticæ peritiſſimi à pleriſque deſpectum fuiſſe. Tractatus autem ille cui titulus *de diſciplina à Patribus obſervata in expiatione catechumenorum*, primam ejus commentariorum de Sacramento pœnitentiæ partem occupare debebat, ut etiam ex Bibliopola didici qui illum à Morino acceperat cum reliquo opere ut ederetur; ſed à Theologis Pariſienſibus rejectus fuit, qui Morino oppoſuerunt tractatu iſto receptam Eccleſiæ traditionem de Sacramento pœnitentiæ atque in primis Doctrinam Confeſſionis Sacramentalis penitus everti. Morinum à Nihuſio conſultum

consultum fuisse de voce *confirmari* in ordine Romano, ubi agitur de Communicantibus Christi sanguini, patet ex ejusdem Nihusii ad illum Epistola. Liber Maimonidæ de cujus autoritate inquisivit Morinus, videtur esse ille qui inscribitur *jad hazaca* seu *manus fortis*, & est absolutissimum Doctrinæ Talmudicæ compendium quod hodie magni fit à Judæis; etsi initio Doctrina Judæi illius à sectæ suæ magistris severius reprehensa fuerit, quod veluti paternarum traditionum desertor Philosophiæ Peripateticæ Sophismata in Judaicam Religionem invexisset, maximè in opere cui nomen fecit *more nevokim* seu *Doctor perplexorum*. Quid à Morino observatum fuerit de erroribus jam annotatis in contextu Hebræo & Chaldæo Polyglottorum Parisiensium nescio; at notum est omnibus Flavignium Doctorem Sorbonicum & Regium in Academia Parisiensi Linguæ Hebrææ professorem gravissime ea de re conquestum fuisse, magnaque dissidia inter eos qui huic editioni præerant coorta

coorta, quæ in causa fuerunt ut hodie nihil omnino habeamus prolegomenôn & annotationum quæ ad calcem ingentis illius operis adjiciendæ erant; demum Philippus Aquinas Gallicè *d'Aquin* de cujus Dictionario Hebræo-Rabbinico extat Morini dissertatio manuscripta, fuerat antea è Judæorum secta qui postquam Ecclesiæ nomen dedit, cum Berullo & Morino aliisque Oratorii Parisiensis Presbyteris amicitia conjunctus fuit, verum quia erat Grammatices Hebrææ ignarus, ut à viris fide dignis accepi, & Linguam Hebræam pro more Judæorum usu potius didicerat quàm ex Grammaticorum præceptionibus, Morini etiam animum ab ejusmodi præceptionibus avertit; ita ut Judæorum Libros qui vulgo absque punctorum vocalium notis exarantur nunquam emendatè legere sciverit Morinus, quem tamen in evolvendis & explicandis Rabbinorum operibus non parum adjuvit ille Aquinas; similiter & alius Judæus Bolonia oriundus qui studio Masoræ

se

se applicuerat, contra Judæorum fere omnium consuetudinem, bene multa de Masoretharum arte ei indicavit quæ videbantur abstrusissima & à paucissimis etiam Judæis intellecta, sed non est cur diutius his detinear, cum Indicis illius opuscula edenda sint in lucem à Presbyteris Congregationis Oratorii Parisiensis qui Catalogum illum publici juris fecerunt. Miratus sum profecto & ab his adjunctas non fuisse huic Indici Epistolas quas mihi benignè communicavit ejusdem Societatis Presbyter Clarissimus Amelotus; sed ut audio in varias partes scissi sunt Congregationis illius homines ibique reperitur discordia *trà santi offici è vrosse*. His etiam adjici potuissent varia constitutionum genere ad quas respondisse fertur Morinus, multaque illarum exemplaria penes Amelotum extant & in musæo illius asservantur; ferunt etiam Morinum scripsisse de Baptismo & de Matrimonio, virque è primariis illius Congregationis certiorem me fecit se vidisse intra manus ejusdem Morini

Librum

Librum de Baptiſmo ex omni parte abſolutum de quo tamen in Indice mox allato nulla fit mentio.

EXTAT & alius Liber à Morino editus quem tamen antea cum aliis ejuſdem operibus recenſere nolui, quia pauciſſimis cognitus & adhuc paucioribus viſus omniaque illius exemplaria ne in publicum emitterentur penes ſe reſervavit; ſcripſerat ſcilicet, ut & olim Joannes Mariana Jeſuita celeberrimus, de Societatis ſuæ morbis, illa omnia quæ in ea tolerari non poſſe indicabat acerrimè reprehendens: at quia notat in hoc Libello Morinus viros Congregationis ſuæ Clariſſimos, parco illorum nominibus, ne Societatis quæ ætate noſtra non ita malè audit, turpitudinem imprudens videar revelare. Invidebat potiſſimum Franciſco Borgoneo tertio illius Congregationis præpoſito Generali, quem in iſto opere contendit omnia pro arbitratu ſuo regere, ſpretis Eccleſiæ legibus atque inprimis Concilii Tridentini decretis; artes illius & fraudes miris verbis

verbis exaggerat, & ut loqui amat, *ses fourbes & contraventions estranges contre les Canons & l'usage Universel de l'egliſe:* Verùm ſimplicioris videtur ingenii fuiſſe Morinus qui neſciverit fraudem potiſſimum intra Monaſteriorum & ſodalitatum domos reſidere, cujus effigiem non malè dudum repræſentavit nugator ille Arioſtus his verbis.

Arioſ. Canto 14.

Havea piacevol viſo, habito honeſto,
Un' umil volger d' occhi, un andar grave,
Un parlar ſi benigno, è ſi modeſto,
Che parea Gabriel, che diceſſe, ave,
Eva brutta, è diforme in tutto il reſto;
Mà naſcondea queſte fattezze prave
Con lungo habito, è largo, & ſotto quello
Attoſſicato havea ſempre il Coltello.

Non debebat profectò Morinus homines liberos & nullius voti obligatione obſtrictos Romanæ curiæ legibus ſubjicere, cum ipſi palam profiteantur ſe non eſſe monachos neque Religioſos. In hoc quoque à Borgoneo graviſſimè erratum

erratum fuerat qui primus dignitatis ſuæ præpoſiti Generalis confirmationem per literas quæſierat à ſummo Pontifice, à quo tamen Berulliſtæ minimè dependeant ex inſtitutionis ſuæ regulis, ſed ab Epiſcopis & Eccleſiarum rectoribus locorum in quibus commorantur, uti teſtatus eſt ipſemet inſtitutor Berullus in Declaratione ſua ad ſenatum Normaniæ anno 1616. verba declarationis iſtius, quia Epiſcopis & Eccleſiarum rectoribus non cognita fuiſſe videntur, imò nec pleriſque Oratorianis, proferre non erit intempeſtivum. *Ils declarent premierement à la Cour qu'ils ne ſont point Religieux, ains ſeulement preſtres aſſociez enſemble ſuivant la Coutume ancienne & premiere inſtitution ſous l'obeiſſance volontaire d'un ſuperieur qui eſt Monſieur de Berulle; ſecondement ils aſſurent la cour qu'ils n'ont point d'exemption de l'Ordinaire, & qu'ils n'en pretendent aucune:*

Declaration des pp. de l'Oratoire de Paris au Parlement de Norm. à l'occaſion d'un procez avec les Curés de Rouen qui, s'oppoſerent à leur reception, An. 1616.

aucune : mais ils sont immediatement dependans des Evêques des lieux là où la Congregation est établie. Ce qui sert juger par leur soumission aux prelats, ne travaillant que par eux que sous eux & pour eux, & par consequent ils ne sont extraordinaires, ains en l'ordre de la Hierarchie de l'eglise accomplissans tout ce que les Curez requerront d'eux, comme Confesser, administrer les saintes sacremens aux paroisses sous eux & par leur autorité & non autrement comme les Chappelains de leurs paroisses. Hæc Oratorii Congregatio quantum mutata ex ubi illa ! Judicent nunc Episcopi & rectores Ecclesiarum quorum interest de illa Presbyterorum Oratorii declaratione cui subscripserunt ipse Petrus Bequlus, Guillelmus Gibieuf Theologus Parisiensis & Presbyter Oratorii, & Claudius Boinon ejusdem Congregationis Presbyter. Berullistas à prima sua institutione degeneres à monachismo potius revocare debuerat Morinus, quam illis monachismi ingenium & mores ingerere ; totus quippe est in hoc

libello ut monachorum Religiosorúmque regulas consuetudinibus Oratorianis opponat; ne autem dominationem suam in Berullistas Borgoneus tueri vellet exemplo præpositi Generalis Jesuitarum qui Societatis suæ Dominus est & Monarcha, fusius inquirit Morinus in supremam illius potestatem & rationes quibus illa intra limites coerceatur. Hæc & similia in hoc libello fusius tractat Morinus, & ut eadem sæpius etiam in familiari Colloquio cum Societatis suæ hominibus inculcabat, contigit ut in frequenti gregalium suorum concilio nescio quid arguens ex regulis Juris Canonici à Senaldo Presbytero Societatis illius clarissimo & postea ejusdem præposito Generali dignissimo, verbis hisce Festi ad Paulum increpitus fuerit, *Insanis Morine multæ literæ ad insaniam convertunt*; quæ illum ita punxere ut jam ab illo tempore cogitaverit Librum edere quo sodalibus suis ostenderet se *veritatis & sobrietatis verba loqui*, uti revera ab ipso postea præstitum fuit: egregium enim

enim hunc libellum & Morino dignum qui Caſparis Meturas bibliopolæ Pariſienſis cura à Varennio edinus fuerat, miſit ad Congregationis ſuæ Preſbyteros in ſolennibus comitiis ſuis tunc congregatos. Mirati ſunt plerique Morini libertatem: immò eum laudaverunt, ſed longe aliud tulit judicium Borgoneus de hoc Morini libello in quo ſe adeo turpiter diffamatum noverat. Illum publice retractare coactus eſt Morinus veniamque precatus didicit diis non eſſe detrahendum. Interim ſemper poſtea obgannit, de Oratorianis conſuetudinibus intra privatos parietes & cum amicis ſuis detrahens; ſolent gregales ſui poſt prandium & à cœna inter ſe confabulari & id vocant *converſationem*, cui ab eo tempore raro admodum interfuit Morinus ad ſtudia ſua ſe totum applicans; ſed tandem his veluti obrutus apoplexia laborans mortuus eſt anno ætatis ſuæ 68. nondum confectus ſenio ſed duris victus laboribus: ita non ſenſit graves ſenectutis moleſtias quæ pleriſque ſeni-

bus odioſæ ſunt. Huic extremo vitæ Morini actui interfuere ſodalium ſuorum non pauci & cum aliis adfuit Harlæus frater Harlæi Sancii Congregationis etiam Oratorii Presbyter, homo mortalium omnium facetiſſimus qui Morinum intuitus anhelum & vix dimidiata verba pronunciantem ita ſodales ſuos affatus eſt, *mehercle Morinus noſter Samaritiçè loquitur*, quibus auditis omnes in riſum effuſi ſunt; & hic fuit extremus Morini vitæ actus; tunc temporis ſub prælo erat nova editio exercitationum illius Biblicarum nondumque ad partem alteram quam primæ adjungebat pervenerat, cùm interevolvendum Rabbinorum Libros obiit & quia tunc nemo inter gregales ſuos repertus eſt qui excudendo reliquo operi manum admovere poſſet, quòd omnes ob Rabbinologiam ab hoc onere ſuſcipiendo deterriti fuiſſent,

Joan. Morin. extrait. Biblic. edit. Pariſ. in fol. Anno 1680.

Pater Fronto ex ordine illorum qui vulgo appellantur Canonici Regulares Sancti Auguſtini

guſtini Cancellarius Univerſitatis Pariſienſis illud aggreſſus eſt, & ut erat Rabbinologiæ parum peritus ſecundam illam partem Biblicarum exercitationum Morini non ita bene caſtigatam in lucem emiſit: hæc ſunt, vir clariſſime, quæ de vita, moribus, & ingenio Joannis, Morini, ſumpta partim ex illius Epiſtolis & operibus, partim accepta ex conſuetudine doctiſſimorum Congregationis Oratorii Presbyterorum Laurentii, Souvignii, Broglii, Ameloti, Cointi & aliorum quorundam reſcire potui. Scribebam Pariſiis, Anno 1676.

EPIST. I.

Epistola Synagogæ Samaritanorum quæ est in urbe Sichem, seu Napolous ad clarissimum virum Josephum Scaligerum, interprete Joanne Morino, fidem suam, mores, ritusque suos fusius in ea explicant, simulque exponunt quâ in re à Judæis discrepent.

Epistolæ illæ nunquam venerunt in manus Scaligeri, has misit Peresc'ius ad Morinum. Exemplar Autographum dicitur asservari in Bibliotheca Regis Christianissimi.

N nomine Domini & potentis, & terribilis *qui faciem non suscipit neque munus accipit.* * Dei magni *Deut.10.17.

In nomine domini fortis, dei Israel cujus est virtus det mihi virtutem ut respondeam petitionibus tuis, Joseph fili Scaligeri. Si interrogas de Observatione Sabbati, nos observamus illud sicut dixit dominus. * *Non egrédietur quis-* *Exod.16.29.

quam de loco ſuo in die Sabbati, & requievit populus die ſeptimo, ſed in domo Dei orationis cauſa laudes tantum & magnalia Deo cantantur, lectioque legis ſanctæ habetur: non enim facimus in eo opus aliquod, cum mulieribus quoque non dormimus, neque ignem accendimus. Sed Judæi egrediuntur foras extra urbem, ignemque accendunt & cum mulieribus dormiunt ipſa Sabbati nocte, neque lavant ſe propter ulla pollutionum genera at nos precamur tota die veſperi & mane, ut dicitur, * *Agnum unum ſacrificabis mane & agnum alterum ſacrificabis inter veſperas*, & proſternimus nos in terram & adoramus dominum.

*Exod. 29. 39.

Interrogas de obſervatione feſtorum, ſeptem dierum ſunt convocationes ſanctæ: earum caput eſt feſtum paſchatis. Sacrificamus in eo oblationem veſperi cum ſol occidit, ſicut dixit dominus, * *Aſſum igne cum azymis & amaritudinibus comedetis illud.* Illud autem non ſacrificamus niſi in Sichem è Regione Montis Garizim menſe primo decima quarta die inter veſperas, quomodo cum autem faceremus illud niſi cognovimus an attigerit diem unum Niſan * Romani. Azymorum vero feſtum ultra ſeptem dies non extenditur, tumque feſtum celebramus ad montem Garizim illud

* Exod. 12. 8.

* *Reponendum Græci, lege quid ea de re Animadverſum in vita Morini.*

lud mane ascendimus cum lectione, atque ab eo tempore Israel occupatur in lege, & postea precamur, precibusq; absolutis benedicit sacerdos magnus benedictione magna super caput Israelis, deinde numeramus quinquaginta dies postridie Sabbati quod unum est è septem diebus azymorum usque ad crastinum Sabbati septimi; festum autem istud festum est messis: sed Judæi numerant à crastino solennitatis paschatis, in solennitate autem festi messis feriamur quoque septem diebus ut in festo azymorum. Observamus præterea mensem septimum; diesque illius decimus dies expiationis vocatur in lege, precamur autem & cantamus cantica totam noctem, diemque vesperi à vespera usque advesperam, & jejunamus nos & filii nostri adulti & parvuli præter lactentes, sed Judæorum filii non jejunant qui septimum annum nondum attigerunt: decima autem quinta istius mensis die solennitas est festi Tabernaculorum quod celebratur in monte Garizim ut prius. Facimus autem Tabernacula sicut dixit dominus * & accipietis vobis die primo fructum arboris pretiosæ spatulas palmarum, & ramusculos arboris densæ, & salices torrentis, diesque illius festi octavus est festivus, eo quod festum illud omnium est postremum. Quomodo autem celebramus Pascha in Sichem, nisi observando & custodiendo in omni civitate

* Levit. 23. 40.

in qua habitamus purificationes & ea quæ munda sunt. Separamus nos ab ea quæ menstruo laborat tertio die & septimo, mulierque sedet in immunditie sua septem diebus, quæ autem peperit sedet propter masculum quadraginta diebus, & propter fœminam octoginta diebus. Circumcidimus autem præputium masculi die octavo, neque diem unum differimus, sicut dixit Dominus, * *Cujus non fuerit circumcisa caro præputii die octavo excindetur anima illa de populo suo,* Judæi vero differunt diem unum & plures; lavamus quoque nos propter nocturna ludibria, & concubitum seminalem, & nulla vasa tangimus eorum quæ pollui possunt donec nos aquis abluerimus; tollimus etiam adipem de sacrificis damusque sacerdoti armum, maxillas & ventriculum: neque etiam ducimus filiam fratris; at Judæi ducunt filias fratrum suorum & sororum pro libitu. Præterea nos non ducimus præter uxorem unam, illi vero mulieres accipiunt plures. Nos credimus Domino, Mosi & monti Garizim & in eo adoramus Dominum; verum Judæi aliis confidunt, nos nequidquam facimus nisi juxta mandata Domini in lege sancta per manum Mosis super quem pax in æternum: Judæi vero deserunt quod dicit Dominus in lege & faciunt quemadmodum dicunt eis sapientes & seniores eorum.

*Gen. 17. 14.

Est

Est autem inter nos sacerdos magnus de semine Phinees filii Eleazaris, filii Aaronis, filii Amrami, filii Caathi, filii Levi, filii Jacobi Israelis, filii Isaaci, filii Abrahæ justorum, super quos pax in æternum. Nomen autem illius sacerdotis est Dominus Eleazar, cui est filius sicut ille, sacerdos magnus sacerdotio fungens coram patre suo, nomen illi Dominus Phinees, qui perpetuo habitant in loco sancto, ex eo non egrediuntur, sed adstant coram Domino, serviuntque nomini magno & inscriptioni sanctæ; resque omnes & negotia ad eos deferuntur ex omnibus civitatibus; judicant inter omnem populum cum justitia, non respiciunt faciem neque munera accipiunt; atque ad ipsorum præscriptum transiguntur res omnes, cogitationesque cogitant & judicia exercent secundum veritatem: bene erit cuicunque verbis eorum obediverit, væ vero illi qui rebellis fuerit, ab iis ad Aaronem sacerdotem centum fuerunt & viginti duo sacerdotes magni. Apud eum est liber dierum benevolorum in quo scriptum est, *Ego Abisa filius Phinees, filius Eleazaris, filius Aaronis sacerdotis scripsi hunc librum ad ostium Tabernaculi testimonii anno decimo tertio habitationis filiorum Israel in terra Chanaan.* Pellis autem ejus ex pelle sacrificii pacificorum. Sacerdos autem ille magnus petit à te aulæum byssinum donum spontaneum

Turbatæ sunt ista.

ſpontaneum aut Francicam lineam quæ apta ſit ut ex ea conficiatur veſtis ſancta quam induat cum benedicit congregationem quæ, tibi erit in memoriale bonum. Judæis autem non ſunt ex Phinees ſacerdotes. Vocant nos Cuthæos ſed mentiuntur in verbis ſuis. Nos autem quomodo cognoſcemus fidelitatem tuam, hæc quamobrem nos adverſus eum & ipſi quamobrem adverſum nos. Judæi oderunt nos & maledicunt nobis. ſed dominus dixit in lege ſancta, * *Benedicentes te benedicti erunt, & maledicentes te maledicti erunt.* Novit autem Dominus ſi tu juſtificas & approbas verba eorum, cognoſcimus ex verbis tuis quæ locutus es de Rege qui abduxit nos è Samaria, ſi tu es ex illis noſque tentes: Ecce vero unde nos progeniti ſumus niſi de Tribu Joſephi juſti ex Ephraimo? Ecce ergo nos reſpondebimus tibi ad ea quæ interrogaſti, neq; remiſimus petitionem tuam inanem; ſic nos à te petimus per Dominum & adjuramus te per nomen ejus ſanctum ne remittas vacuam petitionem noſtram, nobiſque enarres quæ eſt revera lex tua & lingua tua quam loqueris, quod nomen urbis quam inhabitas, quis rex & quæ lex ejus: ſi inter vos ſunt ſacerdotes ex Levi aut Aarone aut Phinees aut denique an ſint inter vos ſacerdotes. Adjuro te per dominum & per Moſem & per legem, ne explices neque enarres nobis

Perturbaté.

* Numb. 24. 9.

niſi

nisi ea quæ vera sunt, ut nos audiamus qui vos estis & Sabbati ritus & explicationem & quæ ipsum sequuntur, referaturque nobis quis ex iis dominatur, & quomodo cognoscemus an verbum illud verum sit necne: vos autem nunc cognoscitis scripturam esse Hebraicam Linguæ Sanctæ.

Misistis ad nos Epistolam quæ verax est quantum cognoscimus, Epistola vero tua quam miseras in Ægyptum pervenit ad nos Gazam & Sichem, & ex ea res multæ antiquæ; petistis legem, non possumus mittere legem per manus illius cui est præputium & cui non est puritas, hoc est enim opprobrium: Petistis de Messia, quod est nomen ejus apud nos nisi שמו hasceab? Et quis hoc intelligit nisi Dominus? Quidquid autem quæsivisti à nobis quid hoc est inter nos nisi Arabicum? verum lex Sancta Scripturæ est Hebraicæ ut eam Moses accepit à Domino: Domino autem notum est an sis de semine illius qui deportavit eos Nabuchodonosoris, quare enim recordatus es illius tantum? In diebus illius fuerunt afflictiones super Israelem multæ & validæ hinc & hinc.

Dicis autem quod anima tua adhæret legi nostræ Sanctæ, & in ea tibi complacueris à juventute tua, & ideo petis librum legis perfectæ, & Librum Josuæ, & Librum Canticorum & Psalmorum, hæcque omnia Dialecto

lecto Linguæ Sanctæ; si vera sunt & sincera verba tua, quærisque ut cognoscatur eorum veritas & mittamus quidquid petiisti, mitte de comitatu tuo duos homines probes, timentes deum, veraces * *Sapientes & intelligentes & doctos*, & vide quid dixerit tibi anima tua & quod placuerit in oculis tuis ex aliquo artificio pretioso. Mitte illud cum eis in domum Dei Israel ad inscriptionem sacram & ad nomen magnum, sacerdotesque magnos munus, votumque & spontaneam oblationem Prophetis sanctis Eleazaro & Itharnar, & Phinees & Josuæ filio Nun, & Calebo filio Jephone & Josepho Patri nostro * *filio fructificanti* super quos pax in æternum, omnes enim sepulti sunt in ditione urbis Sichem, deferunturque ad eos vota & oblationes spontaneæ ex omni urbe & ex omnibus familiis; hoc si feceris, cognoscemus quod Dominum timeas & in eum credas, & in Mosem Prophetam ejus, & in legem scripturæ ejus & quod ames populum ejus filios Israel: accidet autem si feceris quemadmodum dico, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus, * *Dabisque pecuniam & alligabis pecuniam manni tui, ibisque ad locum quem elegit Dominus Deus tuus*, qui iterum dixit, * *Non videbuntur facies Domini vacui.* Si vero feceris quidquid diximus tibi,

* Deut 1. 13.

* Gen. 48. 22.

* Deut. 24. 24, 25.

* Deut. 16. 17.

nos

nos faciemus quidquid petiisti, mittemusque tibi quidquid postulasti, legem sanctam & vere perfectam linguâ vere sanctâ; non enim venditur lex.

Posthæc autem & antea rogabimus Dominum Deum cæli & terræ, ut doceat nos & doceat te viam justitiæ, & postea confitebimur Domino pro justitia ejus. Epistola ista scripta est jussu Domini nostri Eleazaris Sacerdotis magni, Ministri nominis magni: Dominus custodiat vitam ejus, & convertat super nos benedictionem ejus. Amen. Die sexto qui est vicesimus mensis Septembris * Romani, Anni 991. Regni Filiorum Ismaelis Filii Hagar, scripsit eam servus humilis Abzehuta Filius Josephi Harmachi ex incolis Gazæ, munus missum Josepho Scaligero Christiano Franco.

* ut supra. sequuntur enim supputationis Muhammedanorum seu Tartarum Constantinopolitanorum quorum regio Romania appellatur, & apud Arabes etiam vocis Romani significat Graecum.

EPIST.

EPIST. II.

Epistola Samaritanorum in Ægypto commorantium ad eundem Jos. Scaligerum de eodem Argumento, & eodem Interprete J. Morino.

In nomine Domini magni & potentis & terribilis.

PAx Domini sit super Mosem filium Amram, Prophetam omnium seculorum, clementia, precibus, jejuniis & abstinentia excelsum: utinam Dominus vitæ sustentet & opituletur vobis, & adhæreat vobis, quomodo adhæsit patribus vestris, & odio habeat eos qui vos oderunt, & exaltetur Deus noster super id quod exaltatur super nos & super vos propter laborem justorum patrum nostrorum & patrum vestrorum Abrahæ, Isaaci & Jacobi super quos sit pax.

Hæc est Epistola Universæ Congregationis Israelis quæ est in Ægypto adorans in monte Garizim domo Domini ad Dominum nostrum famæ optimæ, & columen Congregationis & Principem Principum custodientium legem qui diligit legem nostram, Josephum Scaligerum Christianum Francum Dominus conser-

vet

vet eum, & ornet eum in illius quæ in bonum recordetur. Amen, Litera tua allata est ad nos quæ quæstiones continebat: mittimus ad te quod nobis occurrit super eas ex lege & consuetudine & Rabino Synagogæ nostræ Synagogæ Mosis Filii Amram, quæ credit Domino & Mosi Prophetæ Filio Amram & legi Sanctæ & monti Garizim domui Dei; lex autem nostra quinque est librorum: contingit præterea & celebratur quotannis Pascha in monte Garizim per manus Sacerdotis magni Eleazari Filii Phineés de semine Phineés Filii Aaronis Sacerdotis decima quarta die mensis primi. Postea facimus festum Septimanarum, ipsum autem obsignatio est & sigillum numeri quinquaginta dierum, & Sabbatum Amalekitarum, & non Congregationis & dies lectionis; facimus quoque festum Tabernaculorum mense septimo die decimo quinto, & iterum octavo; dies vero expiationis die decimo ejusdem mensis, tum diebus decem fit obsignatio peccatorum & ligatio Sacerdotum Filiorum Levi, celebramus quoque Sabbatum die septimo, sicut dixit Dominus, & in eo nullum opus facimus, ut dixit Dominus, *custodi diem Sabbati:* in eo non accendetis ignem, ut dixit Dominus, *Non accendetis ignem in omnibus habitationibus vestris in die Sabbati.* Facimus etiam fœdus Circumcisionis die octavo, sicut dixit Dominus, mulier cum concepe-

rit, tum die octavo circumcides carnem præputii ejus. Synagoga autem noſtra & judicia noſtra ſimilia Synagogæ & conſuetudini Judæorum; ſed Judæorum Scriptura Scriptura eſt Eſdræ maledicta in æternum: Miſimus autem literas veſtras ad ſacerdotem magnum Eleazarum quem Dominus exaudiat, ad civitatem Sichem ut dicat nobis judicium ſuum de iis, quæ eſt Congregatio veſtra, quæ fides veſtra, quæ urbs veſtra, mittite nobis quotannis literas veſtras aut unus è vobis veniat ad nos & celebret ſolemnitatem, & ſeponat munus ad montem Garizim, ad urbem Sichem Provinciæ Samaritanæ, eſt autem in manibus noſtris liber Abiſæ filii Phinées quem ſcripſit in diebus benevolis anno decimo tertio. Dominus benedicat tibi & cuſtodiat te & illuminet faciem ſuam ſuper te & miſereatur tui, attollat Dominus faciem ſuam ſuper te & ponat ſuper te pacem.

Pax autem Domini ſuper Moſem.

Non licet nobis vendere Librum Joſue, neque deſcribere, niſi juxta formam Samaritanorum.

Non dividetis adverſum nos literas veſtras:

Non contendetis adverſum nos literas veſtras.

dedit enim Judæus ut obtineret literas veſtras tres aureos magnos.

Congregatio Iſraelis in Ægypto.

Scripſi hanc Epiſtolam die ſecundo qui eſt undecimus dies menſis decimi qui dicitur Marchaſtian, Anno 998. Regni filiorum Iſmaelis.

EPIST.

EPIST. III.

Andreas de Leon Zamorensis, Cl. viro Michaeli le Jay: Regia Bibliorum Antuerpiensium editio quæ magnam partem extat in Bibliis Parisiensibus, castigatur in plurimis locis, Paraphrasis Chaldaica ad antiqua exemplaria M. SS. reformatur, specimen novæ Editionis Bibliorum Antuerpiensium correctioris, cui Biblia Pontificia non vero Regia nomen futurum erat.

Hæc Epistola videtur scripta Domino le Jay cujus sumptibus magna illa Biblia Parisiis edita sunt; nam hoc anno 1628. jam in lucem editum fuerat primum volumen Polyglottorum Parisiensium ex primo volumine Bibliorum Antuerpiensium quæ in hac Epistola vocantur Biblia Regia. Interdum Monachus ille σολοικίζει.

ARdentem temporis æstu, febris vexatione, doloribus podagræ invenerunt me literæ Dominationis vestræ; folium Latinis, Græcis, Hebraicisque Hebraice & Chaldaice literis editum inspexi: animum

regium in regali ſumpto miror: opus mirificum ad converſionem infidelium omnium laudo. Sed advertat Dominatio veſtra vulgatam editionem Latinam, prout extat in Bibliis regiis non poſſe typis mandari. Scatet enim plurimis mendis, contravenit etiam pontificis decretum, ut in Præfatione vulgatæ editionis à Clem. VIII. & Paulo V. doctiſſimorumque virorum conſenſionem; nec etiam evulgari textus Græcus cum tranſlatione Latina ſub excommunicationis pœna à Sixto V. prout continetur in Editione 70. ab ipſo Pontifice Maximo exactiſſime à viris doctiſſimis correcta, Anno Domini 1588. De Paraphraſi Chaldaica quam Rabbini Thargum appellant, quid loquar? vitiata & corrupta nimis, degenerans ab illo primo nitore & candore; plena Thalmudicis fabulis, impietatibus ſacrilegis fœdata, in quo conveniunt omnes: ipſe Cardinalis Ximenius ut in Præfatione Complutenſi, qui Pentateuchon tunc in lucem prodidit, vindicatum à mendis & erroribus reliquos libros poſt editionem Complutenſem corrigere & emendare fecit, quos vidi in Complutenſi Collegio Pergamenis Chartis exaratos, exactiſſime correctos, quodque irrepſerat in textu Thargumico ab impio Raſci videlicet Rabbi Salomone Sarchi; hac editione תוספת excluſum in margine textus: in verſione vero Latina Dictione *additio*, quæ coincidit cum Chaldaica.

Chaldaica. Exemplaria ista non obtinuit imò neque vidit, recondita enim erant, Arias Montanus, ut testatur Raphelengius in variis lectionibus his verbis. Proverbia vero, Cantica & Threni, quia ex Complutensi Bibliotheca, nisi Biblica editione jam absoluta haberi non potuerunt; exemplar Venetiis excusum, idque satis corruptum nobis imitandum proposuimus: qua circumspectione, clamoreque omnium Doctorum valido & constanti adversus Paraphrasim istam Reg. Bibl. Chaldaicam suspectam illam semper & ubique habui; Maximè Romæ & Pisauri, qua in civitate ex commissione Pontificis adversus illos multoties sermonem contexui: ipsi vero se & proterviam armis ex prædicta Paraphrasi assumptis defendebant: summisque laudibus regem Philippum II. ad cælum extollebant qui ipsorum ritus, cerimonias, impiumque Thalmud suis impensis excussit; ad quod adducebant Cantica, Threnos, Ecclesiastem, Job & 53 Isaiæ. In tanta animorum pernitie & clade divino consilio factum putavi omnia exemplaria istius Paraphrasis Chaldaicæ quam ipsi provulgata ad textus Hebræi expositionem habere intendunt, evolvere; animumque & totum conatum illius expositioni intendere: Inter præcipua & exactissima mihi occurrit exemplar Syriace conscriptum, quod erat apud Joannem Baptistam Raimundum traditum à Greg. XIII.

ad eum inter alia quamplurima exemplaria ab oriente missa; ut testantur testimonia authentica quæ penes me sunt; exemplaria ista sunt integra & incorrupta, quæ mala manus Rabbinica Characteris ignara vitiare non potuit, & cum conserventur in primo illo nitore, mirum in modum Christianæ Religioni favent; armaque fortia ad Rabbinorum Hæreticorumque acies revelandas. Adducam exemplum in *Psal.* 109. ver. 7. vulg. *De torrente in via bibet*; in Hebræo textu מנחל בדרך ישתה. In Chaldæo מן כנוי כאורחא אולפן יקבל מפום *de ore Prophetæ in via doctrinam accipiet.* Quæ major Impietas de Christo Domino? ut à Propheta accipiat legem sicut purus homo. In nostro vero exemplari [illegible] vel Hebraicis literis מפום זכיאר *ab ore excelsi doctrinam accipiet*, sicut ipse dixit, *Joann.* 7. v. 16. *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me*, ב pro צ multoties sumitur, & è contra ut in *Hosea* 9. ver. 16. זיב pro כוב in exemplari Veneto invenitur זבאח, *Job* 5. ver. 7. In aliis exemplaribus inveni כביא exponiturque *ab ore fl rido doctrina ejus adorabitur.* קבל hoc significat, *Gen.* 8. ver. 21. & in Tharg. Jonathani in primo versu hujus Psalmi ubi vulgato. *Dixit Dominus Domino meo, sede*, &c. Hebr. נאם יהוה לאדניטב q. d. de se ipso exponit veritas ipsi, *Matt.* 22.44. *Luc.* 20.42. *Act.* 2.34. Rabini, ut secundam personam divinam

nam sibi insensam argumentumque certissimum irrefragabile Domin, servatoris dissolverent, ita corrumpunt Paraphrasim במימריה אמר יי *dixit Dominus in verbo suo.* Galat. *lib.* 8. cap. 24. sequendo exemplaria correcta, ita legit אמר יהוה למימר יהתב לימיני *dixit Deus verbo suo sede ad dexteram meam* ל pro ב fere semper pro eodem usurpantur, ut *Prov.* 2. 10. ללכך lego כלכך Thren. 1.8. כטל comp. לטל, in nostro vero exemplari. Syro ܡܪܝܗ ܡܫܝܚܐ ܐܘܪܟ ܒܡܝ Hebræis literis ל במי מר'ה ימ'ני אורך hoc est. *Domino meo, Heroi suo seu possessori suo, dextera mea,* &c. in אמר ויו. Dixit Dominus; omnes codices conveniunt Syrus separatim legit Dictionem, כמי מריה, Rabbini conjunctim כמי מריה quod sæpe fit, Isa. 1. 12. לאתד ושון Venet. לא תדו שין id est, ne conculcetis, & 19. v. 10. שתי מחא Venet. שתי מחא, & 51. 19. יסדן ארבע Venet. ארבע ייתין, Jer. 6. 25. & 12. 12. in cap. 15. ver. 10. Sic inquit Raphelengius in variis lectionibus ל ולמא ven. rectius רשומה pro quo separatim scribo מא רשי in *Ezek.* 27. 6. *Osea* 13. 14. *Judie* 5. 16. 1 *Sam.* 12. 6. & 19. 24. 2 *Sam.* 17. 2. & in quamplurimis locis, hac separatione dictionum & mutatione literarum similium in similes, dolose totam Chaldaicam Paraphrasim vitiarunt impii Rabini; ita ut nullum pene sit testimonium à Christo Domino & ab

Apostolis citatum in testamento novo: quod non sit adulteratum detortumque ad captivitatem; nec Prophetia de natali, passione, morte, resurrectione Domini, quæ non obcæcarent impietate Rabbinica, atque thalmudica fabula everterent; sicut præsepe Domini Adonidis simulacro, locum crucis Veneris statua, resurrectionis situm Jovis effigie obscurare conati sunt; sed quis contra Deum! Virtus tanta caligine obscurata refulget: ut Lucianus, Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς ἐπιφανείς. Virtuteque duce, comite fortuna: virtus enim eligit quod est optimum. Quod si non succedit, tamen in rebus præclaris, sicut in magnis etiam voluisse pulchrum est; sin succedit ut mihi in inventione exemplarium prima laus debetur, virtuti tamquam egregii facinoris duci, proxima fortunæ quæ virtuti subservierit. Jamjam Deo favente & duce omnia loca adulterata à sacrilegis Rabbinis demonstrant mysteria & Sacramenta magna Christi Domini legisque suæ Evangelicæ, ita ut suomet gladio interficitur caput Goliath; & ne his immorer, universam Paraphrasim Chaldaicam veteris Testamenti ad primum candorem redactam & Latine redditam tradidi Paulo V. simulque & novi Testamenti textum Syriacum correctum Latine quoque redditum cum Apocalypsi tribusque Epistolis & Historia adulteræ quæ desiderantur in Regiis Bibliis: Pontifex vero commisit

commisit hæc omnia Cardinali Bellarmino qui convocavit Maronitarum Neophytarum Magistrum correctorem Orientalium Linguarum, omnesque Rabbinos, Rabbenos, Morenos & sapientes qui adhuc permanent in perfidia sua, ut recognoscerent exemplaria incorrupta, in veritateque acquiescerent, cui minime potuerunt adversari, licet non pauci temporis spatium illis concessum fuerit ut adverterent & notarent, si quid in textu Thargumico novarem vel ipsius corruptor extitissem: sed nec minimum quidem invenientes quod dissentiret ab integritate textus, nec quod ad suæ infidelitatis scopum tenderet; & cum hoc minime à veritate Hebraica discrepat textus, nec à vulgata Latina Translatio; quibus omnibus prævisis & mature consideratis mihi facultas concessa fuit ut typis mandaretur opus à me elaboratum: Pontifexque obtulit expensas meoque nomine prodiret in lucem, dummodo non appellaretur Biblia Regia, sed Pontificia; addereturque textus Arabicus simul cum versione Latina: quod ego ardenter desiderabam. Nec precibus, gloria, nec utilitate motus in Hispaniam veni; tradidique opera Regi Philippo III. qui mihi designavit annuos reditus, & ad operis impressionem munificentissime expensas: sed morte Regis mens & voluntus mucatur, magnus territat ossa sumptus, quo factum fuit ut veniente Barberino Cardi-

nali

nale Pontificis nepote, legatoque ex latere ad Philippum IV. regem, omnia hæc illi retuli, promisitque mihi si tradidissem opera quam primum ad urbem accederet typis mandari: hac confidentia tradidi 5 tomos Bibliæ Regiæ cum emendatione textus & versionis in margine notalis & numeris & cum cæteris prædictis quæ desiderantur in Bibliis Regiis quæ omnia extant apud patrem generalem Religionis meæ: donec ego à Pontifice ad hoc opus vocatus Romam adeam; quod exequi ægritudine & ætate confectus minime possum. Multam alia missa facio ne Dominationem vestram delassem, cui persuadere atque ad credendum ducere vellum ne opus hoc incœptum prosequatur; triumphabunt enim Judæi & patebit eis aditus ad suam infidelitatem, nemini doctorum erit acceptum, Ecclesiæ scandalosum; si quidem sub anathemate inditum ab ipso Pontifice ne typis mandetur. Ego Dominationi vestræ spondeo infra breve tempus tradere omnia opera mea, hac conditione & lege, ut & nomine meo divulgentur, & ordinetur opus sicut designatum reperietur in pagina ista: elargitionem voluminum liberalitati & magnificentiæ Dominationis vestræ relinquo. Vellem advertendum curet versionem interlinearem Benedicti Ariæ Montani aliquos errores continere, quos notavi omnes v. 9. Psalmo 109. v. 4. לעולם על דברתי מלכי־צדק כהן

צדק אתה כהן. Scilicet *tu es ſacerdos in ſæculum ſecundum morem Melchiſedec.* Arias ita vertit, ſuper verſum meum, in quo non ſolum apparet audacia temeraria in infringenda Apoſtoli explanatione ad Hebr. 7. ver. 6. *Secundum ordinem Melchiſedec*; ſed Linguæ imperitia; Jod enim eſt paragogicum, ut dicimus, *ſicut* vel *ſicuti*, &c. in Lingua Græca דברת & in regimine דברה *mos* ſeu *ritus*. Cur vero שיאול in Pſalmo 15. ver. 10. interpretatur *ſepulchrum*, ut coincidat cum Hæreticis; & in Pſalmo 17. ver. 6. eandem *infernum* exponit? ultro progredi minime valeo, quia male de corpore & animo. Parcat Dominatio ſua mihi & ægro & afflicto: erroribus quos confiteor plurimos quia currenti calamo; pauciſſimum temporis ſpatium fuit mihi datum: reſponſum expecto, & tranſlationem Latinam Arabicam, ut accurate perlegam, ſi forte diſſentiat à textu Arabico Hebræo & à fide. Salve, Vale, Vive. Matriti 29. Julii 1628.

Andreas de Leon Zamorenſis Clericorum regularium minor.

EPIST.

EPIST. IV.

Joan. Morinus Clar. viro Hieronymo Aleandro de diversis Scripturæ Samaritanæ Characteribus qui in diversis eorum libris reperiuntur.

Clarissimo & Doctissimo viro Hieronymo Aleandro Joannes Morinus S. D.

EOdem fere momento quo mihi reddita est Epistola tua, allata mihi sunt exemplaria duodecim Præfationis quam editioni Bibliorum Græcorum Sixti V. Pontificis Parisiis recens recusæ præposui; non plura curaveram extraordinem numerumque Bibliopolis consuetum mihi exprimi, ut amicis nonnullis quibus editio Romana præsto est, illa communicarem: Epistolæ tuæ Præfationisque meæ in manus meas eodem momento conversum velut omen accepi quo fretus, eamdem si tibi munusculi loco offerrem, non ingratam fore auguratus sum. Quamquam enim Præfationem istam te legere plurimum desiderarem, dubitabam tamen an honestam satis & honorificumesset fragmentum rebus aliis implicitum, majorisque operis ἀποσπασμάτιον in exteras regiones ad virum mittere quem maximi facio & facere

facere debeo, sed dubitationemanimo exemit inopinatus ille eventus, statimque in mentem venit,amicos amicitiæ delicta facile condonare; de istius Præfationis scopo non plura, ipse sese explicat; addam tamen de Samaritanorum Pentateucho,qui penes nos est,nonnulla me inserere: cum autem illum evolverem characteresque Pentateuchi istius cum characteribus quos in lucem ediderunt vel Scaliger vel Villalpandus compararem, quamquam characteres eosdem esse facile judicarem,in omnibus tamen fere dissimilitudinem aliquam deprehendi, sed multo majorem in libello quodam Romæ recens Italice excusso, quem ante paucos dies raptim legi. Sed literam Tau de qua in opusculo tuo docte disputas hac semper forma [illegible] in eo Codice effictam video, quæ parum ad crucem mihi pertinere videtur. Unum vir doctissime, te plurimum rogatum velim, id modo tibi non sit oneri futurum, ut cum otio abundabis, inscriptiones Siclorum de quibus mentionem facis, iisdem quibus scripti sunt characteribus exscribi cures & ad me mittere non graveris:editionem Pentateuchi Samaritani jussu Illustrissimi Cardinalis Berulli meditor; inscriptiones ejusmodi cœptum meum plurimum adjuvabunt:Preces meæ parum civiles ne temerarias dicam videri possunt qui adeo repetita amicitia tua abutar; sed eas ut spero, facile excusabunt & tuum in litteras studium, & tua in me humanitas.

EPIST.

EPIST. V.

Hier. Aleander viro Doct. J. Morino de variis exemplaribus, nec non Characteribus Samaritanorum.

Viro Doctissimo & Religiosissimo Jo. Morino, Hier. Aleander S. D.

SErius quidem tuæ ad me ltieras pervenerunt pridie idus Martias datæ, quippe illas superiore tantum hebdomada accepi; verum adeo jucundæ fuerunt, ut nihil accidere mihi jucundius optatiusque posset; cum præter non obscura tui in me amoris indicia, doctissimam Præfationem afferrent in novam istam veteris Testamenti à LXX. translati editionem: qua sane Præfatione nihil eruditius, accuratius nihil concinnari poterat. Eam ego statim devoravi, non legi, adeo hujusmodi epularum sum avidus; ac tam suavi sacræ Doctrinæ, ut ita loquar, succo imbutum me sensi, ut mirifica quadam voluptate totus sim perfusus. Quamobrem, quod participem hujusce dissertationis facere me volueris, valde te amo, ac debere me tibi plurimum fateor; quod scribis Illustrissimum Card. Berullum de edendo Pentateucho Samaritanis literis exarato

rato cogitare, id mihi consilii vehementer probatur, tantoque Antistite Doctissimo nimirum & Christianæ pietatis inprimis studioso dignum videtur. Ac scias velim, esse hic quoque in Vaticana Bibliotheca aliud Pentateuchi exemplar iisdem Samaritanis litteris scriptum, quod quinque abhinc annis piæ memoriæ Scipio Cardinalis S. Susannæ tunc Bibliothecarius CCC. aureorum pretio compararavit, atque is quidem codex, etsi Characteres habet Samaritanos, Hebraica tamen Lingua, uti & vestrum, confectum est. At vero Petrus à Valle patricius Romanus, qui duodecim totos annos in Orientalibus regionibus consumpsit, & cujus potissimum opera ut audio, pater Harlæus Sancius codicem istum suum nactus est, aliud Pentateuchi exemplar Romam detulit, quod non charactere tantum, sed & idiomate Samaritano conscriptum est. Ac rem me tibi gratam facturum existimavi, si primam periodum ex eo codice descriptam ad te mitterem, quam habebis in schedula huic Epistolæ addita: si qua vero in re hi characteres ab iis forsitan, qui vestro in codice leguntur, variantes erunt, ubi id mihi significaveris, horum ego Alphabetum conficiam, &, si tanti erit, istuc transmittam. Interim delineationes quorumdam siclorum accipies, & alias postmodum tibi curabo; nam plures nunc quidem perquirere per temporis angustiam non licuit: tu nostra,

ut

ut lubet & quoties lubet, opera utere, nihil enim facere gratius mihi potes.

Vale Romæ. Kalendis Maii, MDCXXVIII.

EPIST. VI.

Hier. Aleander eidem de ſiclis quibuſdam Samaritano Charactere exaratis, forma Literæ *Tau* apud Samaritanos.

Jo. Morino viro Doctiſſimo Hieronymus Aleander S. D.

MIſi ad te ſuperioribus ſeptimanis trium ſiclorum delineationes, teque de duobus Pentatuchi Samaritani exemplaribus, quæ hic habemus, feci certiorem: ac lætabor ſane meam tibi diligentiam non infructuoſam fuiſſe, ſaltem non injucundam. Duos hic præterea ſiclos reperi alterum ex recentioribus, iis nimirum quos Sculiger viderat, qui propterea pronunciare auſus eſt, non alios Characteres ſiclis ineſſe, quam quibus hodie Hebræi utuntur; alterum longe minorem, qui aſſervatur in Muſæo Franciſci Gualdi equitis Ariminenſis, in quo Characteres ſunt antiquiores, illi videlicet, quos Samaritani retinuerunt, ſed adeo

adeo detriti, ut nullum inde verbum exculpi possit: ne quid tamen in me diligentiæ desiderares, & hunc delineandum curavi. Perspicies in utraque nummi facie litteram Tau in similitudinem crucis effictam, & mirum sane videri potest, quod cum antiquitus hoc modo scriberetur X posterioribus temporibus in eam *N* degeneravit: verum scribendi celeritatem in causa fuisse existimo, ut enim unico ductu calami efformaretur ita videtur exarari cœpta X *N* quemadmodum nos literam Romanam X cursim hodie scribentes sic pingere solemus X ex quo postea orta recentior illa Samaritana *N*: quicquid sit, mirum non est, Characterum figuras tractu temporis subinde variari. Si quis posthac siclus ad manus venerit meas, non committam, quo minus ejus statim delineationem accipias.

Vale. Romæ. Die penult. Maii 1628.

EPIST. VII.

Hier. Aleander eidem de Sialiis clis Samaritanorum, simulque de Pentateucho Samarit.

Doctissimo viro Jo. Morino Hier. Aleander S.

NOn injucundam tibi fuisse operam meam, ex tuis litteris perspexi a. d. IV. Nonas Junii datis. Jam vero meas alteras ad te perveniisse censeo quibus duorum siclorum delineationes addideram alium: nuper siclum reperi in cimeliis Illustrissimi Card. Barberini, cujus itidem typum ad te mittere volui, tametsi Characteres habeat aliqua ex parte jam vetustate detritos ac fugientes. Rogavi etiam per litteras humanissimum doctissimumque Peirisci Dominum Senatorem Sextiaquensem, ut suorum tibi siclorum copiam faceret; & quoniam vir est juvandis litteris natus, non dubito quin antequam prælo committatur vestri istius Pentateuchi exemplar, ejus tu humanitatis experimentum sis visurus. Petro etiam à Valle persuadere conatus sum, ut Samariticum suum Pentateuchum edi patiatur, nec sane hominem ab hujusmodi editione abhorrere video, dummodo ne suo hoc exemplari

plari careat; opus autem esset, Linguam illam Samaritícam aliquis addiscere, ut Librum Latinè posset reddere: quod ei arduum non fore existimo, qui cum Hebraico idiomate Chaldaicum ac Syriacum calleat. Tu de re tota cogitabis, si consilium secutus Illustrissimi Cardinalis Berulli in ea sententia perstitis, ut vestrum istud lucem videat, idque ere Christiana esse cognoscis. Pulcherrima certe visa mihi sunt, quæ tu ex collatione Samaritici Pentateuchi cum Hebraico observasti; & sane auctor tibi sum, ut qua diligentia facis, de Religione, de que litteris bene mereri pergas.

Vale. Romæ die xiii. *Julii* MDcxxviii.

EPIST. VIII.

Jo. Morinus Hier. Aleandro de eodem Argumento.

Clarissimo & Doctissimo viro Hier. Aleandro Joan. Morinus. S. D.

MIssæ sunt ad me Parisiis Lugdunum quo Lugdunensem Archiepiscopum qui nunc obiit comitatus eram, binæ litteræ tuæ, utraque benevolentiæ erga me tuæ signa secum deferentes, priores duorum fiorum [illegible],

unius vero posteriores; lætitia sane non modica perfusus sum, cum cœpta mea præcesque adeò cordi tibi fuisse animadverti ut de iis juvandis tam sæpè cogitares: rem fecisti mihi gratissimam quæque mè tibi arctissime devinctum tenet. Paulò maturius litteris tuis respondissem nisi Lugduno statim Lutetiam mihi redeundum fuisset; nunc autem improvisis negotiis occupatus raptim scribo, quòd libere & amice hoc audeam non indignaberis: Argenteus siclus Illustrissimi Cardinalis Barberini plane genuinus est & syncerus, literæ quædam obliteratæ sunt sed delineationes superstites, quæ desunt facile demonstrant. In una facie hæc est inscriptio Latine reddita, *Hierusalem sancta*; in altera, *siclus*; deinde litera quæ ad He, proxime accedit, cæteræ deletæ sunt: alius siclus apud Ludovicum Aubery adulterinus est, Characteres non sunt Samaritici sed vulgares Hebræi, quales fere eudebantur ante 80. aut 100. annos, si litteram Coph excipias quæ paulo diversa forma sculpitur. Inscriptionis idem sensus qui aliorum nonnullorum, *Hierusalem sancta*, ex una parte, ex altera *siclus Israel*. De alio siclo qui apud Franciscum Gualdum nondum judicare possum, Characteres enim, ut probe notasti, admodum detriti sunt. Habeo tibi gratias maximas quod litteris tuis apud Doctissimum & Amplissimum servatorem Peresium in mei gratiam intercedere voluisti,

luisti, eandem gratiam ab aliis amicis pariter impetrabo. Plurimum præterea gaudeo quod clarissimus Petrus à Valle Pentateuchum suum publicæ utilitati non invideat; si concedere vellet ut Geneseos liber vel saltem nonnulla capita exscriberentur, eaque ad me mitterentur, de me plurimum mereretur. Reverendus Pater Bertinus noster Amanuensium sumptibus satisfaciet; descriptio autem fieri oporteret qua ejusmodi lineæ ἐκτύπου lineis πρωτοτύπου paginæ paginis æquo numero responderent, ut si quod discrimen in describendo excidat, facilius deprehenderetur: de Lingua Samaritica intelligenda parum laboro; cum enim Chaldaica sit, & Pentateuchus Hebræus Characteribus Samariticis descriptus, alterius sit Interpretatio non admodum difficili negotio: Dialecti istius etiam minutias quasque consequar. Vale, vir Clarissime, & de me bene mereri perge.

EPIST. IX.

Hier. Aleander Jo. Morino de aliis ſiclis Samarit.

Doctiſſimo viro Jo. Morino Hier. Aleander.

POſt tuas illas litteras, quibus ſignificabas, priores quas ad te miſeram ſiclorum delineationes iſtuc perveniſſe, nihil abs te præterea literarum accepi quamquam binis alteris alias itidem ſiclorum delineationes ad te ſubinde perferendas curaverim, nunc duos etiam ſiclos deſcriptos in Schedulis, quas hiſce literis habebis: quorum alterum Venetiis à Nicolao Craſſo, alterum Patavio à Laurentio Pignorio nuper accepi, quamquam poſtremum hunc, in quo Hebraici recentiores, non priſci illi, ſeu Samaritani Characteres leguntur, illi ſimilem eſſe omnino credo, quem alias tibi miſi. Quidquid ſit, tu noſtrum in te ſtudium ſaltem notabis, meque quod te vehementer rogo, amare perges.

Vale. Romæ. die XX. *Sept.* MDCXXVIII.

EPIST.

EPIST. X.

Jo. Morinus Hier. Aleandro. Animadversiones nonnullæ in Pentateuchum Hebræo-Samar. & in Hebræo-Judeum.

Clarissimo & Doctissimo viro Hier. Aleandro, Jo. Morinus. S.D.

POstremas litteras tuas die 20 *Septemb.* datas paulo tardius accepi, quod Parisiis alio diverteram; cum iis Schedulas duas in quibus sicli duo delineati habebantur, unus veteri Samaritanorum Charactere, alter Hebraico recentiore; benevolentiam erga me tuam hisce donis sane cumulasti, studium tuum in re præstanda quam tibi commendaveram non amo & laudo tantum, sed admiror, quas habeam tibi gratias opere ipso demonstrare etiam atque etiam velim animi mei gratitudinem tibi, verba enim quibus testatum faciam vix mihi suppetunt. Reseripsetam tibi de transcribendo geneseos libro ex Samaritano vulgari quam penes te habet vir nobilis Petrus à Valle; sed eum ille se difficilem præbeat consilio meo, sufficient 4 aut 5 capita, codicem enim illum edere nunquam mihi proposui. an cum

Hebraico-Samaritano ad amussim consentiat & verbum de verbo sit redditum scire tantum avebam, quod ex 4 aut 5 capitibus facile deprehenditur; officiosæ tuæ amicitiæ quod rependam quamquam res nihili præ manibus jam versabam: me liberius tecum colloquentem tantisper sustine, *Exodi* 3. ver. 15. Hoc nomen mihi est in æternum, Hebr. scribitur לעלם cum defectu Vau, adesse enim ex Mose deberet ut ibi notant Masorethæ. *R.* S. Jarki in illum locum & cæteri Hebræi hinc colligunt nomen יהוה aliter legi, aliter scribi oportere eo quod עלם abscondere significet, ideoque nomen illud à Deo datum ut abscondatur; sed codex Samaritanus habet plene & perfecte לעולם. In sequenti mysterio vix risum continere possis, *Genes.* 1. ver. 14. *fiant luminaria*, מאורת Vau similiter rationem reddit Jarki quia eo die qui est quartus infantibus angina quædam contingere solet, atque ideo jejunium quartæ feriæ institutum esse. Baal Naturim subtilius philosophatur ut scilicet doceatur solem tunc ad illuminandum datum esse: sed codex Samaritanus perfecte scribit מאורות mysteriaque omnia ista in ventos diffundit. Plurima sunt magni momenti in quibus codex ille ab Hebræo differt & cum LXX consentit, sed de his alias. Vale vir clariss. & quod mihi exoptatissimum est, me amare perge.

EPIST.

EPIST. XI.

Aubertus Miræus Jo. Morino gratias agit de Libro Exercitationum Ecclesiasticarum quo eum donaverat Morinus.

Reverendo admodum Patri J. Morino Aub. Miræus, S. D.

Reverende admodum in Christo Pater,

EXercitationum Ecclesiasticarum Libros duos eruditionis variæ plenos antea mihi non visos, ut primum accepi avide mox percurri; gratiam habeo pro munere, & hortor ut tertium, quartum & cæteros, quorum in Præfatione ad Lectorem meministi, luce publica brevi dones: & vero placent mihi inprimis id genus scriptiones, partim Historicæ partim Theologicæ, utpote quæ fructum ingentem adferunt Ecclesiæ ac Reip. Christianæ, & faciunt quam maxime ad Hæreticos confundendos, atque Orthodoxos in Religione, veteri rectiores. Perge itaque, vir eruditissime, in Antiquit. Ecclesiasticis Illustrandis; & quoniam nunc aliud mihi nihil ad manum, habe pro munere nostras Donationes pias & diplomata Belgica quorum tomus

unus

unus atque alter, si Deus vitam dederit brevi sequetur. Illustrissimo ac Reverendissimo D. Cardinali Berullo, si apud vos est, obsequia omnia ac salutem defero, & Deum rogo ut ipsum atque universos Oratorii Patres quam diutissime servet ac donis spiritualibus augeat, quorum me studiosissimum libentissime profiteor; raptim Bruxellis V. idus Julias CIↃIↃCXXVIII. Reverendæ admodum dominationis vestræ studiosissimus Aubertus Miræus Decanus Antuerp. indignus.

EPIST. XII.

Jo. Morinus, Aub. Miræo similiter gratias agit de libris quibus ipsum donaverat Miræus.

Joh. Morinus, Aub. Miræo S. D.

Cum primum Lugduno Lutetiam veni redditæ mihi sunt literæ tuæ quibus Exercitationes meas Ecclesiasticas, te accepisse cognovi, sed literæ quas ad te miseram serius in manus tuas pervenerunt, tibi tamen postea datas esse nihil ambigo. Plurimum mihi gratulor quod tibi viro in omni scientiarum genere versatissimo placent exercitationes meæ;

ea

ea enim es eruditione & apud omnes eruditos æstimatione ut nulli aut pauci improbaturi sint quæ tuo calculo comprobas. Itaque ut alia atque etiam majora tentare audeam in hoc scriptionis genere tua cohortatione facis, addisque ut ajunt calcaria currenti, præsertim cum videam in ea te esse sententia quæ mentem meam jam olim occupavit, ejusmodi rerum Ecclesiasticarum tractationes, etiamsi ab omni cum Hæreticis contentione abhorrere videantur, ad controversias tamen dirimendas plurimum posse. Pro donationibus piis & diplomatibus Belgicis quæ ad me misisti habeo tibi gratias, pleraque in iis quamvis ab itinere vix quievcrim, avide percurri, nam ejusmodi antiquitatem quæ utramque Historiam Politicam & Ecclesiasticam illustrant, sum studiosissimus; quæ vero legi ita me afficiunt ut cætera quam primum per lecturus sim, interea munusculum quod tibi offero, boni velim consulas: Editionem 70. Interpretum Græcam & Latinam quæ Sixti V. summi Pontificis auspiciis Romæ edita est, Parisiis iterum edendem curavi; inter cætera quæ editioni accesserunt Præfationem præposui, cujus exemplaria pauca super numerum Bibliopolis consuetum, mihi cusa sunt, quæ amicis aliquot communicarem, unum adhuc mihi superesse animadvertens, cui illud consecrem potiorem te neminem habeo: quæstiones magni momenti exagitat Præfatio

ista

ista, qua industria judex esto vir docte, sententiam tuam quæcunque futura sit lubens amplectar; quamquam opusculum istud rebus aliis implicitum sit, Bibliaque ipsa in Belgium aut jam pervenerint aut brevi perventura sint, illud tamen offerre tibi solitarium minime erubesco: ut possim munus tuum hoc qualicunque gratitudinis meæ testimonio remunerari benevolentiamque tuam mihi nostræque Congregationi promereri. *Parisiis* IX. *Kal. Sept.* 1628.

EPIST. XIII.

Jo. Morinus, Nob. viro Petro à Valle de Alphabeto Linguæ Ægyptiacæ, simulque de exemplari *M. S.* Evangeliorum Lingua Coptica; de Samaritanorum Pentateucho eorumque Lingua.

Nobilissimo & Perillustri viro Petro à Valle Joannes Morinus S. D.

MEnses aliquot jam elapsi sunt cum R. Pater Bertinus Alphabetum Ægyptiacum ad me misit quod delineaveras; donum mihi fuit gratissimum & expotatissimum, gratias habui tibi atque nunc habeo maximas, utinam referre possem, divitias enim multas rebus

rebus ejusmodi quæ ad sacræ scripturæ cognitionem conducunt longe postpono: ab eo tempore huc usque huic studio mihi vacare non licuit, nunc cum licet, beneficii accepti gratias ago, & simul importunus esse tibi cogor, sed importunitatem meam ab humanitate tua superatum iri confido; sunt in Bibliotheca nostra quatuor Evangelia Lingua Coptica eleganter atque ab antiquo descripta, quæ R. Pater de Sancy Constantinopoli Lutetiam attulit. Græcus est character, propter literas tamen additicias pauciſſimas voces perfecte legere poteram. Sed Alphabeti tui ope adjutus nihil amplius me à literarum cognitione & syllabarum compositione retardat. Verum scribendi morem sequitur gens illa antiquitus Græcis unitatum: voces enim à se invicem non separat, literas omnes lineæ unius velut dictionem unicam conjungit, dictiones autem sejungere & dividere laboriosum. Hoc nonnunquam mihi causa præstiti variorum locorum in quibus dictiones illæ usurpantur, collatione & fortasse non infelici; sed in isto negotio plurimum me juvare poteris, optimeque de me mereberis, si ex Grammatica tua Coptica, pronominum, præpositionum, conjunctionum & adverbiorum quorumdam breviculum exscribere & ad me mittere curaveris, præterea, an nomina declinentur ut apud Latinos & Græcos, an vero differat tantum singularis à plurali,

rali, ut Hebræis, Syris, Chaldæis aliisque Orientalibus solenne est, qui vero terminatio pluralis à singulari differat, quomodo ut plurimum verborum tempora formentur, atque à se invicem distinguantur, hæc enim si semel assequor, facile patebit mihi ad Linguam istam aditus; facile autem me illa assecuturum spero, si conatibus meis favere importunum tibi non fuerit, hæc equidem forte solus eruere possem, sed maximo cum labore: si quid in ejusmodi studio profecero, totum illud tibi acceptum referam. Istius Linguæ addiscendæ non parvo desiderio teneor, cum enim Ægyptii antiquissimi sint Christiani, versionem antiquissimam illos habere mihi persuadeo, secus de Arabibus & Æthiopibus judicarem; si preces meas non aversatus frueras desiderium meum facile me expleturum nescio an temere mihi tamen persuadeo; accepi præterea ab eodem R.P. Bertino specimen Pentateuchi tui characterę & Lingua Samaritani: Statim illud intellexi, Samaritana enim dialectus quantum ex specimine tuo conjicere possum, pauciſſimis à Chaldaica differt aut Syriaca; contuli deinde specimen istud cum Samaritano Hebræo qui penes me est, deprehendi codicem tuum versionem esse exactissimam Pentateuchi Samaritano-Hebræi, verba enim verbis numero & sensu respondent, interpres enim ille omni paraphrasi abstinet, neque tantum sensum sen-

sui

sui reddit, verum etiam dictiones numerat, ita ut versioni suæ plures non inferat dictiones quàm in prototypo reperiantur, atque ubique nomina nominibus, verba verbis, conjunctiones conjunctionibus, &c. interpretatur, quo sane interpretationis genere nullum est exactius. Tam accurata Interpretandi Religio Talmudistarum sententiam confirmat, qui Samaritanos quos Butæos vocant [illegible] adnumerant, hoc est, Hæreticis quibusdam qui traditiones nullas admiserunt, aridæque literæ mordicus adhærent; quædam suberant errata in schedula tua quæ facile correxi, prius excerptum ex primo cap. Geneseos duas voces in unam miscebat, & in fine tres posterius ex initio 15. cap. Exodi semel resch habebat: scriptum probet & rursum resch pro dalet; si fragmentum aliud ex Pentateucho tuo vulgari Samaritano ad me iterum mittas securius de comparatione ista judicabo: non refert è qua parte Pentateuchi illud extrahas, neque opus est ut in notando capite labores; facile unde evulsum sit conjiciam, atque iterum illud cum Pentateucho meo conferam & comparationis sententiam ad te rescribam; spero planè, vir Nobilissime atque literarum sacrarum amantissime, te precibus meis aliquid concessurum, beneficiumque quo me jam devinctum habes novo beneficio cumulaturum. Vale atque

que ut me plurimum ames etiam atque etiam velim. *Pariſ.* 18. *Kal. Octob. An. Chriſti*, 1629.

EPIST. XIV.

Petrus à Valle Peregrinus de ſuo exemplari *M. S.* Pentateuchi Samaritani; quid de Samaritanorum & Carraitarum ſectis in Aſia dicitur fuſius declarat.

Rev. Patri atque eruditiſſimo Domino meo Patri Joanni Morino Congregationis Oratorii Presbytero à Valle Peregrinus S. P. D.

Erubeſcendum ſane mihi eſt, vir doctiſſime, cum abhinc tot diebus humaniſſimæ literæ tuæ, à R. Patre Bertino mihi redditæ fuerint, & uſque adhuc nullum, uti debebam, dederim reſponſum: Plura certe, & quidem vera poſſem adferre, quæ huic negligentiæ, meæ cauſam dederunt: verum tamen brevitatis gratia omnia illa omittens, ſatis eſſe arbitrabor, ſi apud benigni tatem tuam me deliquiſſe confitear, & ab illa, uti ex tuis ſimilibus ſperare licet, veniam ſecurus expectem. Sed ut ad noſtra veniamus; Pentateuchum Samaritanum, qui apud me eſt, cum primum in Syria reperi, ſemper ea fui mente ut

ac publicæ utilitati in lucem emitterem; pretiosum enim aliquid arcanum in arca reservare, nihil facio: sed quidquid habeo boni, tantum id æstimo quantum aliis omnibus, & præsertim bonis impertire possim. Volvebam igitur animo dare operam, ut characteres isti Samaritani efformarentur, occasione cujusdam Germani, hujus artis peritissimi qui modo Romæ commoratur, nec procul aberam ab impressione libri omni conatu aggredienda, quandoquidem illius adest nobis ad hæc aptissimus vir, Stephanus Paulinus, alumnus olim eruditissimi viri Joannis Baptistæ Raimundi, qui Orientales litteras, & præsertim Arabicas, in Europa semidemortuas, suscitavit, illasque facillime atque elegantissime imprimendi modum primus adinvenit, sed ab his omnibus ea me detinuit cogitatio, quia Pentateuchum Samaritanum absque versione typis mandare infructuosum putavi. Illum vero Latine qui redderet, Romæ non erat; & si fuisset, uti sibi persuadebat optimus amicus noster sacrarumque litterarum studiosissimus Hieronymus Alexander qui ex hac migrans vita, magnum sui nobis desiderium reliquit, Romæ fortassis non facile futurum erat, ut hujusmodi Liber imprimi à superioribus impetraretur, præcipue si textus iste à vulgata editione in aliquo tantisper discordaret; hæc omnia præstiterunt ut ad hanc usque diem nihil amplius sim molitus,

tus, præterquam quod sacræ de propaganda fide Congregationi libenter concessi, ut excerpto ab exemplari meo literarum specimine, ad ejus usum Germanus ille characteres hosce Samaritanos, in quo nunc laborat excudat. Attamen mirum in modum lætatus fui quando R. Pater Bertinus una cum Alcandro, nec non amantissimus ille bonarum literarum de iisque optime meritus Dominus de Peiresc me de R. Paternitate tua admonuerant, virum nempe Linguarum Orientalium studiosissimum æque ac peritissimum esse, & propterea ad id onus suscipiendum Pentateuchi Samaritani tum fideliter interpretandi tum eximia diligentia imprimendi, ante alios omnes longe idoneum itemque paratissimum fore. Persuadentibus idcirco, ut ad te librum in Gallias amandarem facile assensi; dummodo enim publico consulatur commodo, nihil ad me refert an liber Parisiis, an Romæ sit excusus: & quia hic nullum habebamus qui Samaritani idiomatis, nec prima quidem limina attingeret & ab homine linguæ ignaro, qui literas tantum instar pictoris absque ulla intelligentia delineare poterat, si transumptum fieret, parum feliciter res eveniret, libenter etiam in hanc sententiam descendi ut ipsummet originale ad te mitterem; hoc demum promisi me facturum Domino de Peiresc, cui de hac re jampridem scripsi, sed ob exortas, ut puto,

belli

belli & pestis, in suis regionibus turbulentias, nihil adhuc respondit: hoc idem R. Patri Bertino, & tibi ipsi, quem ob egregia merita tua mirifice colo, nunc denuo promitto. Verum enimvero, quemadmodum & Patri Bertino, & Domino de Peiresc significavi, tria in hoc negotio desidero quæ ab humanitate tua certo scio non fore mihi deneganda; primum quidem ut librum ad te quam tutissime mittere possim; cum enim nullum aliud exemplar quam istud Pentateuchi Samaritani in Europa habeamus, & ex Asia adducere difficillimum sit, ne dicam fere impossibile, illud in itinere alicui periculo objicere, imprudentis esset; alterum quod cupio, est ut codex iste meus diligenter adservetur, nec ab impressoribus, ut illis mos est dissolvatur, nec ullo pacto aut secretur aut deturpetur, nam, etsi plura exemplaria typographiæ ac diligentiæ tuæ beneficio in lucem sint proditura, nihilominus ad illorum fidem magis confirmandam, hoc manuscriptum Musæi nostri, quantulumcunque illud sit, insigne ornamentum, perpetuo adservare plurimi facimus. Postremo denique optandum mihi est & à benignitate tua me facile impetraturum confido, ut in perquirendo hoc libro non mediocris in Asia atque in Ægypto adhibita diligentia, atque in illo per tot tantasque itinera Romam usque feliciter, ut Deo placuit, deferendo laboris insumpti non leve

mihi præmium, in illius impressione aliqua mentio fiat mei, qui totum hoc præstiti in Ecclesiæ Catholicæ obsequium atque literatorum oblectamentum, & quomodo illud habuerim, ubi, & quando ac de omnibus circumstantiis ad hoc pertinentibus, cum opus fuerit te certiorem facere non pigebit. Interim accipe R. Pater hoc aliud specimen præfati Pentateuchi quod huic Epistolæ adjunctum mitto: confer illud, uti placet, cum aliis codicibus, nihil enim dubito quin omnia quam facillime assequaris. Et quia in Epistola tua quædam attingis de opinione Talmudistarum circa Samaritanos, quid de illis in Asia compererim coramque sim assecutus, silentio non præteream. Tò Quarraim à Samaritanis Religione longe diversos esse existimo, itidem Chutæos & Samaritanos non eosdem esse puto; nam Cuthæus, seu Cuthi à Cuthe civitate, qui ignoro ubinam sit, Samaritanus vero à Samaria Samri ubicunque vivat appellatur. Porro Samaritani oriundi sunt ab Assyriis illis, quos Sennacherib sive Salmanassar, si benè memini, ex Assyria Samariam in coloniam adduxit translato Israele in Assyrios, cum vero à leonibus infestarentur, & ob alia incommoda ibi vivere non possent, responso accepto ab oraculis, moniti sunt, ut servirent Deo terræ. Quapropter Assyriorum rex misit ad eos nonnullos Aaronitas, seu Levitas antistites, qui

Mosaicis illos ritibus initiarunt; attamen cum ab Idololatris essent orti, Hebraicas cæremonias nunquam perfecte arripuerunt, sed aliquid semper antiquæ gentilitatis retinuerunt; & præsertim columbæ sub cujus figura ab Assyriis Semiramis, ni fallor, colebatur, nescio quid honoris aut cultus exhibebant: unde à Judæis omni tempore, usque ab ævo Servatoris nostri pro hæreticis sunt habiti. Sacrarum autem scripturarum quod tunc extabat, cum primum in Samariæ regionem sunt ingressi, ab initio receperunt, Pentateuchum nempe, & nescio num aliud aliquid: Prophetas vero, & alios libros, qui postea prodierunt cum tunc temporis non extarent, nec hodie inter sacros adnumerant. Contra ol Quarraim, ni decipior, libros omnes sacros Hebræorum recipiunt: sed literalem tantum sensum observant, nulla admissa interpretatione neque traditione majorum, exempli gratia cum dicatur in lege, Die Sabbati nihil esse operandum, neque lucernas noctu incendendas, sed alii Hæbræi lucernas die Veneris accendant, præparentque, ad lumen illius nocte sequenti ministrandum, ol Quarraim ut mandatum custodiant nimis scrupulose lucernas nullo pacto incendunt, & nocte Sabbati penitus in tenebris morantur. Chutæi, num Samaritanis adhæreant, num vel Quarraim, num diverso ab aliis vivant ritu, incertum mihi est, cum ex illis nullos, ex istis

vero aliis omnibus plures sæpe in Asia viderim. Samaritani quidem hodie perpauci sunt, ex his aliquot reperi in Ægypto, Cairi, & Gazæ, quosdam alios in Palestina; in civitate Sichem, à Turcis Naplus nuncupata, quæ nunc Samariæ regionis Metropolis est, Samaria, sive Sebastia civitate funditus diruta, atque etiam Hierosolymis; alios denique Damasci in Syria. Cairi erant circiter septem familiæ eorum, inter quos unus erat quem vidi, Antistes sacrorum de progenie Levi, quod ab illis pro certissimo habetur; nam hujusmodi dignitas hæreditaria semper fuit in progenie Levitarum, qui cum aliis nec matrimonio se unquam miscuerunt, cum ipsi ex Levitis, populi vero quos docent ex gentibus originem deducant. Gazæ, Hierosolymis, ac in urbe Sichem similiter pauci erant, ut Cairi, Damasci profecto aliquantulo plures, at non multo. Ibi domus eorum & Synagogas inspexi, quæ sunt extra civitatem, inter hortos amænissimas; extrinsecus quidem pauperum more, ob metum Turcarum, qui divitiis admodum inhiant, intus vero elegantes, præsertim ædes illis sacræ, picturis & auro decenter cohonestatæ, pluribusque in locis inscriptionibus Samaritano charactere insignitæ. Sed de his hactenus. Quod ad libros Ægyptiacos plures hic habemus; in Bibliotheca Vaticano nonnulli sunt: in Typographia Congregationis de fide propagandæ

aliquot

aliquot alii; apud me vero Psalterium, Evangelium Joannis & quædam alia ex Evangeliis omnibus, ex Epistolis Canonicis, & præsertim Epistola Jacobi, quæ, ni fallor, ab Hæreticis recentioribus impugnatur: & nescio quæ alia Ecclesiastici usus, omnia Arabice, optima atque antiqua versione ab illis populis recepta, interpretata; sed quod pluris æstimo Dictionarium habeo non certe amplissimum, sed satis sufficiens, ad sex fere millia vocum complectens illas nimirum, quæ magis necessariæ sunt, præsertim ad sacrarum literarum intelligentiam, materiarum ordine digestas, & Arabice adamussim interpretatas, unde illarum omnium sensum assequi, mihi parum difficile. Insuper habeo huic vocabulario adjunctos authores aliquot, qui Arabico sermone Ægyptii idiomatis grammaticen, si non cõpiose ad pompam, exacte tamen ad utilitatem quam brevissime pertractant. Hæc omnia modo, Dictionarium scilicet, & Grammaticos, Latinitate donandi sibi onus assumpsit R. P. frater Thomas à Novaria ordinis Sancti Francisci, Arabicæ Linguæ peritissimus, & in regionibus Orientis diu versatus; & jam elapsi sunt dies, à quo feliciter in hoc operam navat. Cum primum absolverit, ea omnia typis tradentur, characteres enim Ægyptiaci superius memoratæ Congregationis jussu, jam sunt efformati; & tunc curabo diligenter, ut illis

quam primum perfruaris. Cæterum te, Pater etiam atque etiam rogo, ut me, sicut facis diligas, meque tibi devinctissimum, ac tui semper observantissimum fore pro certo habeas.

Vale Romæ. Duodecimo Kalend. Aprilis, Anno Domini CIↃIↃCXXX.

EPIST. XV.

Jo. Morinus Petro à Valle Exemplaris M. S. versionis Samaritanæ quod erat Petri à Valle de Samaritanorum Judæorumque Codicibus Annotata.

Nobilissimo & perillustri viro Petro à Valle, Joannes Morinus S.D.

NUdiustertius literas tuas accepi quæ multis nominibus mihi fuerunt gratissimæ. Plurima enim quæ a te rescire exoptabam mihi aperuerunt, in nonnullis etiam desiderium meum humanitas tua prævenit. Sed eo præsertim nomine mihi gratissimæ fuerunt, quod amicitiæ tuæ quæ mihi honorificentissima est, conciliationem nuntiaverunt qua me prosequi & ornare, ut semper velis, etiam atque etiam

etiam rogo. Primum autem habeo tibi gratias plurimas quod exscribere curasti, & mitti mihi specimen aliquod Pentateuchi tui Samaritani; literæ, ut ipse notasti, minus exacte efformatæ erant, sed hoc incommodum nihil me moratum est, cum figuras istas jam longa consuetudine mihi familiares effecerim, negotium aliquod facessserunt dictiones aliquæ perperam in duas divisæ una aut altera plus media sui parte trunca, duæ aut tres Chaldæis & Syris admodum insolentes, hæc tamen non obstiterunt quo minus panculo tempore specimenis sensum caperem, atque ex sensu de quo Pentateuchi loco expressum esset, assequerer. Primum igitur specimen in duas sectiones divisum, ex capite 12. Deuteronomii desumptum est à versu 27. ad finem usque capitis: secundum continet primum Geneseos versum sed non integrum, cui statim subjunctus est versus nonus ejusdem primi capitis, cum quo finiunt pagina & specimen. Quæ amanuensis incuria male scripta sunt, nihil attinet castigare, hæc tantum illustrem Dominationem tuam monebo: comparavi Pentateuchi tui Samaritani specimen cum eodem loco Pentateuchi nostri Samaritano-Hebræi; tuus versio est Samaritana verbum verbo ad amussim respondens, nostro Samaritano-Hebræo versio exactior & rigidior fingi non potest. Interpres ille longe pertinacius ipso

Onkelo

Onkelo Paraphraſte Chaldæo textui Hebræo adhæreat; exactam iſtam tranſlationem, ex alio breviſſimo ſpecimine quod ad me antea nomine tuo miſſum fuerat, jam conjeceram, conjectura iſta ex præſenti periclitatione confirmata eſt. Cum Samaritanum tuum cum Hebræo tam Samaritanorum quam Judeorum conferrem, deprehendi in paucis verſibus ad me miſſis utrumque Samaritanum in nonnullis cum 70 interp. editionis Romanæ conſentire, & ab Hebræo Judaico diſſentire, *v.* 28. *cap.* 12. *Deut.* ita legunt 70. φυλάσσου καὶ ἄκουε καὶ ποιήσεις, &c. in Hebræo abeſt καὶ ποιήσεις ſed illud repræſentant uterque Samaritanus. In fine ejuſdem verſus LXX. τὸ ἀρεστὸν καὶ τὸ καλὸν Hebræi legunt ordine inverſo הישר והטוב καλὸν καὶ ἀρεστὸν uterque Samaritanus bonum & placitum, *Ver.* 32. Hebræi legunt *præcipio vobis*, uterque Samaritanus *præcipio hodie*, 70 vero utramque lectionem jungunt, ἐντέλλομαι ὑμῖν σήμερον, hæc tantum ex ſchedula tua obſervata ſunto: nam plurima ejuſdem generis, ex continua Pentateuchi illius lectione mihi præſto ſunt, quæ Epiſtolii modum longe excedunt; plurima denique ex eodem codice quæ maſoreticas cenſuras, λεπτολογίας, ſuperſtitioſa & ridicula myſteria plane evertunt. Avide legi quæ de Samaritanis ſcripſiſti; non exiſtimabam gentem illam ad tantam paucitatem redactam eſſe: miror quomodo in tam contemnenda

menda paucitate librum legis & ceremonias suas conservare potuerint. Cum ea quæ de sacerdote eorum scribis ad me legebam, innovatum est desiderium quo sæpius affectus sum cognoscere, videlicet an Samaritani cum Judæis in vocum Hebraicarum pronuntiatione conveniant; vocales seu puncta quibus juvetur lectio certum est eos non adscribere, literarum magnarum & minimarum certis in locis efformandarum, dictionum plenarum & defectivarum aliarumque ejusmodi nugarum rationē nullam habere rursus manifestum est ex ipsorum codicibus in quibus ejusmodi μεταγνῶν nulla apparent vestigia: nescio quomodo sciri posset quo sono pronuntient voces Hebræas, video enim non tantum 70 sed etiam Josephum, Philonem & ipsum S. Hieronymum his multo recentiorem à neotericis Judæis in vocum ejusmodi pronuntiationi sæpe dissidere, multo magis, ut suspicor, Samaritani dissidebunt. Dissidium istud in hypothesi confirmat Theodoretus, qui ait Samaritas nomen tetragrammaton Jave pronuntiare; quo sono nomen istud sit efferendum se nunc ignorare omnes fatentur Judæi; illius pronunciationem ab antiquissimis temporibus vulgo fuisse interdictam testes sunt Josephus, & Philo, Eusebius, Theodoretus aliique Patres; Judæorum superstitiones hac in re missas facio, interdictionem istam neoterici Judæi concludunt ex cap. 3. ver.

ver. 15. Exodi ubi dicitur nomen meum esse לעלם in æternam, notant enim vocem istam defective scribi atque cum hoc defectu, explicari posse absconde. Deum igitur dixisse nomen meum est ad abscondendum: hinc glossam præter cæteros tradit R. S. Jarki in hunc locum; sed codex meus Samaritanus vocem istam plene repræsentat לעולם quo mysterium istius radix avellitur, neque præterea est insolens apud Hebræos ut dictio ista defective scribatur, notant enim masorethæ ad hunc locum octodecies sic in Bibliis scribi & loca in massora magna super Psal. 75. enumerantur. Quæ illustris Dominatio tua doctissime scribit de Samaritanorum eorumque religionis origine vera esse existimo, Samaritanos quoque ubique ita appellari, si Judæos excipias qui eos Chutheos semper appellant à Chutheis qui in Israelitidum regionem à Salmanasero rege coloni transmissi sunt, ut constat ex 4 Reg. c. 17. sed videndus Josephus antiquit. Judaic. l. 9. c. 14. & præterea lib. 11. cap. 7. quæ conferre urgente Tabellario non vacat. Quæ exigit illustris dominatio tua in codicis sui commodatione justissima sunt, res ipsa hoc postulat, sincere igitur & Christiane me illa præstiturum, si libri tui commodatione me beaveris ego polliceor. Parisiis pridie nonas Maii 1630.

EPIST.

EPIST. XVI.

Petrus à Valle J. Morino Responsio ad præcedentem Epistolam, diversæ in idem Argumentum cogitationes.

R. Patri atque eruditissimo Domino meo Patri Joanni Morino Congregationis Oratorii Presbytero Petrus à Valle Peregrinus S. P. D.

EX literis tuis, quas R. P. Bertinus mihi reddidit, non minus humanitate, quam eruditione refertis, quam perceperim jucunditatem, verbis haud facile explicare possem; non mediocrem enim benevolentiam, qua me, hoc immeritum, prosequeris, mirifice testantur: & eximii semper aliquid afferunt, unde multa addiscere mihi usu venit; quapropter ut illis aliquando, cum vacat, me recreare non pigeat, te etiam atque etiam rogo. De eo, quod scribis, in specimine jam misso Pentateuchi Samaritani aliquas te reperisse dictiones, perperam in duas divisas, unam aut alteram plus media sui parte truncam, duas quæ aut tres Chaldæis & Syris admodum insolentes, si modo recte erant scriptæ, nihil certi affirmare audeo, cum specimen illud, non à me,

à me, sed ab alio fuerit transcriptum, linguæ penitus ignaro, & qui pictoris more characteres effingebat, absque quod illos dignosceret, ex quo non mirum si aliqua commisisset errata, nec eam ipse adhibuerim diligentiam ut accurate inspicerem, num dictiones illæ absque mendis essent exaratæ. Verum cum alioquin homo ille sit solers atque in his rebus admodum versatus, facile in suspicionem incidi, ne forte dictiones illæ nullam hujusmodi paterentur defectum, sed peculiari quodam modo Samaritani Idiomatis ita se habeant; Linguam enim Samaritanam, etsi ex Hebraica & Chaldaica ortum ducit, mixtione tamen, & proprio ipsius Samaritanismo, in tertium quid ab ambobus diversum, degenerasse arbitror. Dictiones vero Chaldæis & Syris tantopere insolentes, non absurde suspicari licet, Arabicas esse: nam ab Arabismis non puto Samaritanos abhorrere, quippe qui hodie Arabico sermone pro vulgari utuntur. Si voces istas ad me transmisisses, & loca, unde excerpta erant adnotasses, facile in textu meo Samaritano, quomodo se habeant, comperissem. Versiculum 15. tertii capitis Exodi, ubi de nomine ineffabili verba habentur, in codice meo Samaritano reperi quidem, aliquo tamen labore, cum capita capitibus Latini textus, nec numero, nec principiis, sæpe respondeant, verbaque illa ibi sic extant hos charac-

teres

ctexes pessime delineatos esse non dubito, cum huic scriptioni nunquam antea operam dederim, nihil tamen in ipsis magis aut minus quam in originali inesse, pro certissimo habeas. Valde delectatus sum te mihi aperuisse Samaritanos & Cuthæos eosdem esse, & unde Samaritanis Cuthæorum nomen apud Hebræos derivatur; num vero in vocum pronuntiatione, atque in vocalibus, Samaritani cum Hebræis conveniant penitus ignoro; eo enim tempore quo Samaritanos adivi, harum Linguarum notitia nulla mihi erat, ut hæc & similia percipere possem; quinimo eandem ob causam plures etiam mihi oblatos tunc despexi libros, quibus poteram ditari, quod incassum modo me fecisse, acerrime doleo. Hoc mihi compertum est, Hebræos qui Romæ & alibi in Europa versantur, in pronuntiatione quorumdam consonantium, non parum ab Orientalibus Hebræis differre, qui eos eodem efferunt sono, quo Arabes, Chaldæi cæterique omnes Orientales, genuino quodam modo, & antiquissimo; contra vero nostrates Hebræi, & Europæi omnes, qui Hebraicas, Syriacas, Chaldaicas, sive Arabicas literas addiscunt; inter quos nullos fere reperi, qui recte pronuntiare noverint literas quasdam, uti præcipue sunt קצעחחטכ [illegible] sed præsertim literas ח & ע mirum est, quam diverso & quam ridiculo apud Orientales sono nostrates enuncient; quæ sit genuina

nuina harum literarum pronuntiatio, calamo non facile describi potest, voce fortassis non infeliciter ostenderem, cum diu jam Orientalium pronunciationi assueverim. Literæ genuinum sonum Georgius Amira Chaldæus Grammatices auctor inter omnes meo judicio præstantissimus, optime docuit, similitudine mugitus vitulorum. Litera ר quomodo recte efferenda, similitudine tussis in oriente me docuerunt. Differentiam inter כ & ק optime norit, qui K. Græcorum à Q. Latinorum non ignoravit distinguere; sed hæc, & alia hujusmodi omitto, quæ R. P. tuæ forge magis quam mihi, comperta esse existimo. Hoc tantum reliquum est ut me tui studiosissimum omni opere futurum fore commemorem, & abs te ut me diligas, & si quid valeo mihi imperes toto corde expoſcam. Vale vir charissime & ne desinas de literis bene mereri.

Romæ 10. Kalen. Julias, Anno Salutis CIↃIↃCXXX.

EPIST.

EPIST. XVII.

J. Morinus Petro à Valle. Animadversiones in Pentateuchum Samaritanum.

Nobilissimo & perillustri viro Petro à Valle. J. M. C. O. P. S. D.

LIteras tuas avide accepi, Pentateuchum Samaritanum quem nobis polliceris avidius accepturus, gratiam istam ab humanitate & studio quo erga sacras literas incenderis non modo speramus sed etiam expectamus; promissis tuis standi ut occasionem cito nancisceris Deum Opt. Max. & ego efflagito & omnes literati deprecantur; quæ aberrata fuerunt in ἀντιγράφῳ Samaritano quod mihi misisti, quoniam ita desiderasti lubens transmitto: ista exscripta fuerunt ex cap. 12. Deuter. à v. 27. ad finem cap. facile autem hæc reperies si sectiones libri tui sectionibus libri mei respondent. Dividunt Samaritani singulos libros Mosis in varias sectiones quas פרשה vocant quæ parashis Judaicis longe breviores sunt; librum quintum qui nobis est Deuteronomium in 166. Katsin distinguunt quarum 71. ab initio versus 29. atque ab his verbis incipit

pit אני עקר יהוה initio igitur, Ver. 27. ואדמת *sanguinem* א irrepsit, dicendum enim דם ut paulo post, vel דמח nomen illud ut scriptum est terram significat vel rubedinem; fieri tamen potest ut Aleph sit hœmanticum in eo nomine ut aliquando Chaldæis, in fine Ver. 28. באות ponitur pro Hebræo Samaritano בעיני in oculis, suspicor scriptum esse. בחואת in præsentia, nisi sit error explicandum est in desiderio, scilicet Domini. Sed hæc levia: versu 29. ad finem ותדוב ultima litera debet esse Resch non Ber, דור enim habitare significat, Versu 30. באחין *post eos*, loco Aleph reponendum ת Ver. 31. לי אל חך *Domino Deo tuo pro* לי scribendum ליהוה eodem versu דס בא delendum punctum quo in duas dictiones fit separatio & continuo legendum דסבא *quos odit*; eodem versu יקדון delendum punctum ne fiant duæ voces, *combusserunt*; comparatione textus Hebræo-Samaritani facile fuit ista corrigere, sed de quo loco ista eruta essent nescienti negotium facessere potuerunt, voces insolentes Syris & Chaldæis istæ videntur צועיח, qua significatur צוים. *gentes* רעד quæ pro Hebræo נקשו *illaqueare* טלמס *creavit*, quæ vox est secunda Pentateuchi; quæ dixi de superstitione Judaica circa nomen Tetragrammaton quam ex v. 16. c. 3. Exodi eliciunt, vera sunt tantum sicut cætera ejusmodi omnia de textu biblico,

biblico, tantum enim circa textum illum ἀπαναγνῶσι: itaque ad versiones & Paraphrases qualis est Illustris Dominationis tuæ Pentateuchus, ista non sunt transferenda. Recte igitur versio tua habet לעלם quamquam in Hebræo Samaritano sit לעולם. Si Linguæ naturam spectemus alia omnino ratio est, in tuo codice scribi non debuit ut in Hebræo Samaritani עלם *seculum*: non pronuntiant *bholam* cum Vau sed cum A seu camets; Syri ita ܥܠܡ *bhalam*, sic Samaritani ut ex literis apparet: Chaldæi vero addunt Aleph in fine עלמא *bhalma*. Hebræi vero cum Vau efferunt עולם *bholam*, atque vel Vau scribendum vel subaudiendum; si in versione tua haberetur עולם perperam scriptum esset: Vau enim nunquam quiescit in camets, neque camets seu A supplet literam Vau, sed Aleph quæ aliquando exprimitur cum camets, unde fit ut nonnunquam in scriptura legatur קאם pro קם & similia. Itaque ex natura Linguæ Syriacæ & Chaldaicæ tolerabilius esset scribere עאלם quam עולם ad significandam æternitatem. Quæ de pronuntiatione scripseram de literis non intellexi, sed de vocalibus seu punctis & de nomine tetragrammato, circa quæ non existimo Samaritanos Judæorum instar minute Philosophari. Benjaminus in itinerario scribit Chutæos has tres literas non habere הרוש legemque Mosis his tribus literis ex-

ceptis agnoscere, inque harum literarum vicem Aleph substituere. Sed ista Judæorum calumniæ sunt, sicut id quod Aben Ezra in primum cap. Esth. scribit, Cuthæos initio Geneseos pro אלהים ברא אשית repositisse initio *creavit Asima*, Idolum scilicet suum omnia creasse. Notat præterea idem Benjaminus id quod nuper ad me scripseras, Samaritanorum sacerdotes ab Aarone genus ducere & cum suæ superstitionis hominibus connubia non miscere, atque ideo à suis Aaronitas vulgo dici; sed de hisce satis. Recenter legi magna cum animi oblectatione libellum quem edidisti, delle conditioni di Abbas Re di Persia: velim quæ tanti Regni Politiam & Geographiam spectant, descripsisses; hactenus enim admodum obscura sunt hujus regni interiora. Hoc te facturum spero in compendio Historiæ Persicæ quod publico spospondisti, fidemque tuam præstiturum; finem tandem scribendi faciam, si prius ut plurimum me ames, Illustrissimum Dominationem tuam instantissime rogaverim, nihil tua amicitia & suavius & honorificentius mihi contingere posse existimo. Vale iterum dico & me ama.

Parisiis VI. *Kal. Aug.* 1630.

EPIST.

EPIST. XVIII.

Altera ejusdem Argumenti.

Reverendo Patri atque eruditissimo Domino meo Patri Joanni Morino Congregationis Oratorii Presbytero, Petrus à Valle Peregrinus S. P. D.

REverende mi Pater, ad calcem Pentateuchi, disjuncte tamen, & diversis aliis magnitudine exaratos versiculos aliquot reperies, verba scriptoris, quibus ut Orientalibus mos est, nomen suum, tempus, quo volumen hoc scripsit, & alia multa explicantur, quæ non hencassequi potui, cum non extense, sed compendiariis notis sint scripta. Pergratum mihi erit si ea cum optime perceperis, ad amussim quomodo se habeant, & eorum sensum quis sit, ad me rescripseris. Vale iterum & mei memor vive.

In fronte libri, quæ duabus in paginis à tergo Arabice extant scripta syngrapha sunt quorundam Doctorum ex Samaritanis, qui variis temporibus volumen legisse, illudque correctum esse testantur.

Inter interpretandum, quod Paternitati tuæ parvo labori futurum esse existimo, rem summopere gratam mihi facies, si hujusce mei

textus in margine, ut illius usus nostris eo magis facilis reddatur, numeros capitum, versiculorumque Pentateuchi Latini, suis locis, opportune, ac non ineleganti aliquo modo, signaveris; nec non alia in margine, è regione, vel ubi melius videbitur, numeros etiam sectionum juxta Samaritanos: quæ quidem etsi scriptura sint distinctæ, numeros tamen nullos habent. Hoc ipse non præstiti, quia absque errore uti apparebat, illud agere non confidebam.

Nudiustertius R. P. Fr. Thomam à Novaria invisi, & ipse libellum mihi Samaritanum ostendit preces illius gentis ut opinor, continentem; ibique nonnulli erant versus, quorum primæ dictiones incipiunt à literis Alphabeti ordine digestis, veluti Lamentationes Jeremiæ; atque ex his manifeste comprehendi me hucusque in Alphabeto Samaritano samec pro sade, & è contra sade pro samec, perperam usurpasse, nescio qua deceptum conjectura. Putabam enim literam samec esse, & sade; at in eo libro contrarium nempe ab una quintum decimum in Alphabeto locum, ab altera vero decimum octavum occupari vidi tibi significari necessarium duxi, & de eo quid ipse sentias me certiorem facias velim.

Idem Pater à Novaria præ manibus habet Interpretationem Grammatices, quam ei tradidi, Ægyptio-Arabicæ, nec non vocabulari; ipsius-

ipsiusmet diligentiæ calcaria adjungere non desinam: vereor tamen ne ob multa quæ illum premunt negotia, eam tam cito, uti desideramus, ad finem perducat. Nec plura, ac tertio Vale.

EPIST. XIX.

Pet. à Valle J. Morino responsio ad præcedentem de Lingua & Libris Samaritanorum.

R. Patri, atque eruditissimo Domino meo, Patri Joanni Morino Congregationis Oratorii Presbytero Petrus à Valle Peregrinus S.P.D.

NOn mediocrem mihi lætitiam attulere, vir eruditissime, & literæ tuæ quas nuper accepi, & optima, quæ nunc sese offert, occasio mittendi ad te tantopere optatum Samaritanum Pentateuchum. Reverendus Pater Bertinus, nostri amantissimus, una cum Nuncio Pontificis ad Regem delegato, iter in Gallias brevi est aggressurus: mari quidem usque in Provinciam quam vocant, Galliæ, seu Narbonensem oram, sed triremibus, quibus quam tutissime navigari solet; ac inde Lutetiam usque, pedestri itinere, facillime ut opinor, atque expeditissime ad te perveniet,

quod jam expectas feliciter, ni fallor, allaturus, illud namque inclusum capsula, & adversus pluvias, aliosque hujusmodi siniſtros casus optime munitum, illi tradidi; non laborabo in differendo de Pentateuchi locis, quæcumque enim extant in hoc textu animadversione digna, tibimet propriis oculis intueri licebit; tantum dicam, ea omnia errata, quæ in ἀπογράφῳ jam missō adnotasti, in hoc exemplari meo ita prorsus se habere me reperisse, sicut tu corrigenda esse prudenter existimaveras. De pronunciatione vocalium apud Samaritanos nihil ausim dicere, cum neque eorum Linguam intelligam, neque illos legentes unquam audiverim; illud tantum observavi, hujusce exemplaris mei scriptorem, in quibusdam dictionibus, quas evolvendo libro facile reperies, super aliquas literas virgulas quasdam, seu lineolas apposuisse, vel jacentes, vel dextrorsum aliquantulum erectas, instar accentus acuti Græcorum: quod præstitisse proculdubio opinor, ad tollendam lectori omnem de earum pronunciatione ambiguitatem. Verum, si lineolæ illæ, in hac scriptura eandem quam in Arabica vim habeant, quod non inverisimile mihi videtur, cum Samaritani Arabica Lingua hodie pro vulgari utantur, & ad Arabici scribendi ritus exemplum, qui illis familiaris est, in propriis etiam characteribus distinctionis ergo, lineolas illas

effformasse

efformasse possibile sit dum hujusmodi signa ad distinguendum vocales ipsi non habent, nihil aliud profecto, quam A. vocalem, hisce lineolis ab iisdem repræsentari existimo; nam apud Arabes hujusmodi signum, seu motio, ut ipsi dicunt, quam Jathha appellant, valet A. Latinorum, sive E. clarum ad A. declinantem, vel medium quidem sonum inter A. & E. clarum. Cæterum Masoretas illos, & alios recentiorum, qui fuerunt, tam apud Hebræos, quam apud Chaldæos, vocalium inventores, in eo quod ad pronunciationem spectat, multa innovasse, non absre suspicor. Nam Arabes, qui priscarum consuetudinum tenaciores fuerunt, & quorum cum Lingua, Hebraicam atque Chaldaicam maximam affinitatem habere, nemo non fatetur, tres tantum vocales agnoscunt, A. nempe, V. & I. tribus literis quiescentibus, Aliph, Vau, & Je, respondentes; quæ tamen variis in locis, plus vel minus clare prolatæ, virtualiter (ut Scholasticorum vocibus utar) nostrarum quinque vocalium sonum, eorumque brevitatem ac longitudinem, quodammodo referunt; cum revera plures tribus, nec sint, nec esse possint, quandoquidem tres tantummodo existunt quiescentes literæ, quæ vocalibus necessario respondere, & earum sonum ubi opus est apponere, accentu quodam magis producere debent; quod Hebræis etiam & Chaldæis antiquitus

quitus commune fuisse, & Genebrardus mecum sentit, & ipsamet scribendi atque legendi ratio manifeste ostendere, mihi videtur: neque in hac tantum parte novatores illos poteris imposuisse arbitror, sed in alia quoque, vocales nimirum immutando, & aliam pro alia sæpe usurpando in quamplurimis dictionibus sive corruptela Linguæ, sive diversitate τῆς διαλεκτῶ, sive temeritate sive alio quovis casu. Ad hoc credendum me persuadet illud argumentum; priscam scilicet, rectam genuinamque pronunciationem complurium vocum earum Linguarum quæ corruptelas passæ sunt, apud exteros potius, quam apud proprie gentis homines, reperiri; si quidem exteri dictionum sibi peregrinarum pronunciationem fere semper eandem retinent, quam ab initio ab iis, quibus Linguæ illæ propriæ erant, audivere, nulla adhuc in eorum idiomata corruptione illapsa: contra vero cujuscunque nationis homines priscas proprii sermonis voces, non nisi corrupte, pronunciare solent, immutata admodum annorum cursu, non minus sermonis, quam vestium, aliarumque rerum omnium consuetudine. Quod in Italia accidisse videmus, non modo mutata Lingua Latina in Italicam, verum etiam adeo mutata, ut hodie in vocabulis, quæ cum Latinis tum Italis communia sunt, si Hetrusce loquamur, hoc est, majori qua modo possumus elegantia,

regula

regula sit, ut à Latinorum pronunciatione quam maxime fieri potest, aberremus. Hanc eandem corruptionem sermonis, licet non tantam, ipsamet Græcia experitur: Armenia vero, ut de aliis regionibus taceam, tantopere majorem, ut qui hoc sæculo vivunt Armeni priscorum suorum Linguam, nisi illam addiscant, multo minus quam Itali, Latinam, intelligant. Quod autem dixi apud extraneos multarum vocum cujuscumque Linguæ priscam, rectamque pronunciationem reperiri, non paucis exemplis comprobare possem, sed hic nobis satis erit nomen, Cæsar, quod ab Arabibus, à Persis, & ab Orientalibus fere quibuscumque ad hanc usque diem antiquo more apud nos penitus abolito, Caisar efferri consuevit. Idem de vocibus Hebraicis evenire, ut hac scilicet tempestate nonnullæ earum minus recte ab Hebræis, quam ab aliis extraneis, pronuncientur, quid dubium corrupta jam inter Hebræos Lingua, vel temporis injuria, vel Masoretarum, aliorumque recentiorum temeraria innovatione? Plures reperiuntur dictiones, tam Hebræis & Chaldeis, quam Arabibus communes, quæ quidem ab utrisque iisdem prorsus literis scribuntur, diverse tamen pronuntiari solent ob diversam illarum gentium vocales illis affigendi consuetudinem; sed pace recentiorum Masoretarum dixerim, Arabum pronuntiatio mihi magis arridet,

arridet, magisque antiquorum usui consentanea videtur. Exempli gratia dictio חכל quæ juxta Genebrardum in Epistola ad lectorem in Commentariis Psalmorum, ab Hebræis Hecal pronunciatur, & significat armarium illud in Synagoga Hebræorum, ubi volumen legis adservari solet, ab Arabibus iisdem quatuor literis exaratur, diversa tamen vocalium adhibita ratione Hikel effertur, & recte quidem; quomodo enim Hecal dici potest, si secunda hujus dictionis litera est Je quiescens, quæ eum motione, seu vocali caret, nihil aliud legenti, quam tempus aliquantulo diuturnius præcedentis vocalis, si modo sit J. longa, sibi natum respondens innuere potest: sin alia ex vocalibus præcesserit, soni ipsiusmet literæ Je contractiorem in syllabam antecedentem, ita ut si non Hikel saltem Heikel, vel Haikel per diphthongum, ut more nostro loquar, sit legendum; Hecal vero absque ulla literæ J. expressione, nullo pacto. De diversitate autem vocalis A. vel E. in postrema hujus dictionis syllaba, nihil dico, cum id parum interfit, & motio Phathha utramque pariter possit denotare; sed de his hactenus: garrula quippe jam nimis loquacitate, ineptis his meis nugis purgatissimis auribus tuis, importuna cornix, obstrepui, quod præ tua humanitate, ut mihi ignoscas ardenter efflagito. Libellum meum de Rege Persarum te legisse, atque fuisse delectatum

lectatum, valde lætor, quid enim jucundius scribenti accidere potest, quam ab erudito viro, tui simili, sua scripta comprobari? attamen ipse, nequid arrogem, fateor, in eo libro nil aliud esse boni, præter veritatem, cujus semper studiosissimus fui, & diligentiam, qua rerum scriptarum notitiam assequi, exactissime curavi. Quod desideras de Geographia Persici Imperii, non quidem Mathematici, sed potius Historici, ac Politici more, si ea nomina mihi fas usurpare, jam in promptu est: sed Romæ difficilis admodum librorum promulgatio experitur, ob nimium scrupulosas superiorum censuras: longe autem à me patum feliciter hæc typis traderentur, tum ob innumeras voces barbaras, in quarum orthographia si error irreperet, omnia profecto corrumperet, tum etiam quia nomina barbara locorum, non parva cumutilitate eruditorum legentium, Romæ Persicis etiam characteribus in margine facile possent exarari, quod alibi impossibile futurum existimo, chalcographiæ defectu; veruntamen nihilominus fortasse aliquando illud etiam tibi mittam, ut de eo quod libuerit facias; obscura quæ ad hanc ætatem nobis fuere de regionibus illis, non despero futurum, ut hoc meo opusculo aliquantulum illustrentur sed certe multo magis epistolis meis, si unquam prodierint vernacula lingua ad amicum quemdam conscriptis,

in

in quibus universæ peregrinationis meæ narratio diffuse continetur. Has ut publico concedam, eædem me remorantur difficultates, & insuper non parum laboris ac temporis, quod in illis rescribendis expoliendisque, operæ pretium foret insumere. Nihil aliud reliquum est, vir Doctissime, nisi ut te rogem, curiosæ cuidam exercitationi meæ satisfaciendi gratia, ut ad me, cum primum rescripseris, mittas Hebraico inprimis sermone, mox & Samaritano atque unoquoque eorum propriis utriusque Linguæ Characteribus, separatim, correcteque scripta, eademque Latinis etiam literis, ut sonus vocalium cujuslibet dictionis melius à me percipi possit, verba illa, quæ ab ecclesia Catholica in signo sanctæ crucis, necnon in Baptismate, recitari solent, videlicet, In nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti; quæ sane quamquam & ipse efformavi, ne forte in aliquo erraverim, abs te nihilominus magis emendata accipere, summopere cupio. Interim vale, & me tui observantissimum, sicut jam soles ama.

Romæ idibus Sept. Anno salutis, CIↃIↃCXXX.

EPIST.

EPIST. XX.

Jo. Morinus Leoni Allatio, de Libris quos edidit ipse J. Morinus, de Administratione Sacramenti pœnitentiæ, & de Antiquissimis ordinandorum Clericorum ritibus, &c.

Leoni Allatio J. Morinus.

ITa officiose mecum semper egisti, quoties auxilium aliquod literarum, aut consilium à te popoſci, ut semper crediderim mihi facilem fore ad te aditum quoties occasione sese offerente id repoſcerem; ea spe fretus te preces meas admissurum facile confido, nec multa præfari benevolentiæ tuæ conciliandæ causa mihi necessum esse existimo: quapropter ab ipsa prece exponenda exordiar, sed prius de precis causa nonnihil mihi dicendum arbitror. Ante paucos menses copiosum volumen de administratione Sacramenti pœnitentiæ in lucem edidi, administrationem istam per duodecim secula tam in oriente quam in occidente deduxi, varietatesque prope omnes quæ in eo contigerunt enarravi; nunc fert animus in sacras Clericorum ordinationes tam Græcas quam Latinas inquirere, & quæ deprehendi publici juris facere, inquisitionem illam Scholastico

ſtico more non inſtituo; id exiſtimo hac in cauſa, & probationibus quas adhibeo plane inutile, his enim argumentis cedat univerſa Scholaſtica, & illis ſeſe accommodet omnino neceſſe eſt, hujuſmodi eſt totius operis ordo & ratiocinatio, in lucem edo antiquiſſimos ordinandorum Clericorum ritus Latinos, quorum nonnulli è codicibus mille annorum & nongentorum ætatem ſuperantibus, multi octingentorum eruti ſunt; ſunt etiam poſteriores. Græcos edo ſeptem, ſed antiquiſſimis Latinis poſteriores; vetuſtiſſimus è Barberino codice exſcriptus eſt, ſecundus ab eo è Cryptæ Ferratenſis monaſterio; tertius & quartus è Bibliotheca Vaticana, ſed omnes ordinationes in illis non exhibentur, præcipuas tamen repræſentant; quintus è codice S. Andreæ Vallenſis exſcriptus; ſextus è Bibliotheca Regia; ultimus & recentior, ſed omnium ampliſſimus Allatianus eſt, cujus ectypum jam ante multos annos ad me miſiſti; his addo librum de Sacramento ordinis Symeonis Theſſalonicenſis, quem Romæ è Bibliotheca Vaticana deſcripſi, tandem quæ de ordine ſcripſit Gabriel Philadelphenſis, Metropolita; hæc omnia prelo matura ſunt, latinitate donata, & variis adnotationibus illuſtrata, quibus quæ Latinis obſcura eſſe poſſunt breviter explicantur. Ex horum comparatione manifeſtum eſt eodem plane modo ordinationes ſacras apud utrumque

que gentem antiquitus factas esse, & quæ nonnulli Scholastici opinantur esse substantialia, neutram gentem olim usurpasse. His præpono dissertationem qua demonstratur Ecclesiam Romanam Græcas ordinationes & ante schisma, & post schisma semper & continue in hunc usque diem admisisse, & probasse; Græcos Schismaticos ad Ecclesiam conversos nunquam ordinasse, sed non modo in ea ordinatione quam apud suos acceperant admisisse, verum etiam ut à Græcis Catholicis more Græco, si quas ordinationes non accepissent, ordinarentur, permisisse atque etiam procurasse.

His de scopo & opere meo delibatis, quid à solita in me humanitate & benevolentia tua impetrare velim, breviter expono: Cum Romæ essem, & hæc quæstio de ordinatione Græcorum acriter agitaretur, è tomo Symeonis Archiepiscopi Thessalonicensis de Sacramentis qui in Bibliotheca Vaticana asservatur, exscripsi librum sive tractatum de Sacramento ordinis, sive sacerdotii; verum cum non liceat, ut probe scis, in ea Bibliotheca quantum libuerit immorari, brevitate temporis coactus nonnulla passim prætermisi, quæ scopo meo videbantur mihi minus prodesse, ea nunc opera & ductu tuo resarcire & complere vellem, ut illius libri editio quam meditor, perfectior sit & cumulatior. R. Pater Anthonius Petit qui

has literas tibi tradidit, quæcunque erunt necessaria & jusseris Amanuensi persolvet. Rogo tantum ut quæ autoritate tua descriptionis jus obtineas, Amanuensemque qui scribere sciat Græce eligas atque scribenda sunt prænonstres; ut hoc commode & minimo cum labore fieri possit: quæ exscripsi & quæ prætermisi in tabella huic Epistolæ conjuncta adnoto & velut depingo: hoc insuper te rogo ut considerato scopo & opere meo, si qua in re illud juvare potes eum in commodum Græcorum quorum mores sacros illustrare laboro, mihi non deneges, jam multorum debitor sum, plurium esse spero, pluribus apud te non agam quem toties beneficum, & amicorum desideriis & commodis desudantem expertus sum.

EPIST. XXI.

J. Morinus P. à Valle de libris & Lingua Samaritanorum.

Perillustri viro, Petro à Valle Romano Patricio Domino meo admodum colendo Jo. Morinus S. D.

JUre mihi succensere potuisti, quod literis tuis respondere tamdiu distulerim. Videri enim potui parum gratus memoriamque beneficii

ficii accepti admodum subito ex animo excul-
sisse: id tamen vitii quod a me longissime sem-
per abfuit, diuturni mei silentii minime causa
fuit, scribendi tarditatem alia pepererunt.
R. P. Bertinus qui literas tuas mihi reddidit
temporis in itinere suo plurimum consumpsit,
multo vero magis supellex ipsius quæ cum
Illustrissimi Nuntii supellectile vehebatur. Nu-
dius tertius tantum Pentateuchum tuum sa-
num, integrum, nulla sui parte laceratum,
contortum aut maculatum accepi, ante au-
tem libri tui felicem vectionem, ad te scribere
nolebam, ne de literis tuis sine libro acceptis
nuntio adveniente libri in periculum adducti
scrupulum injicerem, admodum autem opor-
tunus advenit; nam folium postremum sub
prælo erat Exercitationum Ecclesiasticarum
quas in Samaritanorum Pentateuchum elabo-
ravi, specimina autem Pentateuchi ad calcem
libri exhibere statui. Itaque cum tuum nactus
sim, utriusque conjunctim exhibiturus sum.
Initio Exercitationum Pentateuchum tuum de-
scribo, & ex speciminibus quæ olim ad me
misisti, judicium facio, nunc autem quæ spera-
bam beneficio & diligentia tua me consecutum
scripsi; quacunque data occasione Exercitati-
onum istarum te participem faciam: Propo-
nebam mihi primum tria aut quatuor foliola,
non plura in Samaritani Pentateuchi Illustra-
tionem typis committere, sed discendi studio

in justi libelli mensuram sub prelo creverunt: Verum his præteritis ad librum tuum redeo.

Cum primum illum accepi nonnulla contuli cum nostro; nostri, id est, Hebræi interpretationem deprehendi literæ adeo mordicus adhærentem, ut hac in parte omnes interpretes superare mihi videatur, duo quidem verba offendi quæ periphrasi vertebantur, non illa multiplicante verba, sed sensum unius verbi altero verbo reddente; scribæ etiam halluci nationem semel aut iterum, Aleph pro Tau scribentis, legi præterea quæ in fine à scriba addita sunt; illa sunt Hebraica ut constat ex prima linea, & nonnullis aliis dictionibus quæ integre scribuntur, cætera quæ plurima compendia sunt dictionum quæ imperfecte scribuntur, illa autem pleraque nihil aliud sunt quam Rabinorum de quibus mentio fit, honorificæ appellationes quales in nostro Pentateucho plures integre describuntur: sensus autem additamenti istius hic esse mihi videtur, *scripsit hanc legem sanctam servus*, &c. *& tradidit eam Josepho filio Justitiæ, filio Josephi sacerdotis in Damasco, & correxit eam Abraham de filiis Matar anno nongentesimo & vicesimo regni Ismaelitarum decima mensis Elul*, itaque anno Christi, 1542. scriptus est, character & papyrus alteram ætatem non videntur arguere; dicam præterea sectiones istius codicis sectionibus nostri omnino pares esse, unoque & eodem

eodem nomine קצין appellari in fine Geneseos 250 adnotantur; in fine Exodi 200, in fine Levit. 130; totidem in nostro iisdem locis numerantur, ad finem numerorum & Deuter. in tuo omissæ sunt: sed æqualitatem ubique esse non ambigo. Petis à me expressionem istorum verborum, in nomine Patris & filii & spiritus sancti, Hebraice & Samaritice; sic Hebraice efferri debent *beschem ab uben ve ruach haquodesch*, אב ובן ורוח הקדש בשם Samaritani ita efferent ࠀࠁ ࠅࠁࠍ ࠅࠁࠍ ࠄࠅ ࠁࠔࠌ. quomodo pronuntient ista Samaritani, hoc est ut Judæorum more loquar, quibus punctis loquendo illa afficerent divinare licet non demonstrare; hoc disci non potest nisi ex Grammatica Samaritana aut ex ipsorum Samaritanorum pronuntiantium auditu. Ego sic pronuntiarem *Bescham. Ab, ubar. veriach quadesch*, quod ad virgulas quas dictionum quibusdam literis imminentes animadvertisti multo frequentiores sunt in nostro codice quam in tuo; usu autem didici illis significare verbum in usitatiori significatione esse sumendum, vel verbum passivè intelligendum, vel contra formam scribi vel quid simile. De Hebraicarum dictionum pronuntiatione plane tibi assentior, multisque argumentis demonstrare possem antiquissimos Judæos multa aliter pronuntiasse quam jubeant Masorethicæ censuræ, ut ineptissimas lectionis eorum argutiolas prætercam.

Cum desideres Sectionum, capitum & versuum tuo codici adnotationem, hoc sedulò & terse inter legendum præstabo. Quæ de Persici imperii Historica & Politica Geographia scripsisti, sive literis ad amicos, sive libris in hanc rem de industria compositis, si mihi commiseris, curabo ut quam emendate hic typis mandentur, cura tantum ut correctè describantur, cæterorum vadem me tibi sisto. Clarissimus vir D. le Jay qui Bibliorum magnorum editionem suscepit & propriis sumptibus præstat gratias mirum quam maximas agit commodati Pentateuchi. Vale Domine mihi omnibusque literarum alumnis colendissime & me ama. 30 Jan. 1631.

EPIST. XXII.

P. à Valle J. Morino de Chronologia Mahumadanorum quid à Persa rerum Mathematicarum peritissimo didicerit explicat.

Reverendo Patri atque eruditissimo Domino meo Patri Joanni Morino Congregationis Oratorii Presbytero Petrus à Valle Peregrinus S.P.D.

NUdius tertius accepi, vir clarissime humanissimas literas tuas, quibus mihi significasti

ficasti adventum R. Patris Bertini, teque ab eo Pentateuchum optime custoditum, uti optabam, recepisse. Id mihi pergratum fuit; namque multis abhinc diebus perveniſſe istuc Pontificis nuncium, apud nos fama vulgaverat, & cum nihil abs te de Patre Bertino, nec de libro audirem, incipiebam quidem in aliquam incidere suspicionem ne quid forte sinistri in itinere illis accidisset. Imprimis summopere jucundum mihi fuit, Pentateuchum ad te fuisse delatum antequam Exercitationes tuæ Ecclesiasticæ prodirent, ut in illis perficiendis, si quid opus erit tibi præsto sit. Eaſdem ipse Exercitationes, quibus me ditare promittis, non mediocri cum desiderio expecto, novi enim quanta eruditione refertæ sint futuræ; verba illa, quæ Hebraice ac Samaritice à te reddita misisti, perquam grata mihi evenere, innumeras de illis tibi gratias ago, nec non de eo quod scribis, te operam daturum, ut lucubrationum mearum si aliquid ad te mittam, typis istic emendate mandetur, id mihi summi beneficii loco futurum esse non dubites, quo ut quam primum perfruar, brevi aliquam earum ad te mittere non desinam, quam exactissime exaratam. De Anno Christi, nempe 1542. si recte quod scripsisti legi, vel 1592. penultima namque hujus numeri figura non satis bene mihi perspicua fuit, licet priori potius modo quam secundo exaratam fuisse existimem, quo

quidem anno tibi persuades Pentateuchum meum fuisse scriptum, cum annotaverit scriba, se id præstitisse anno nongentesimo & vigesimo regni Ismaelitarum, non facile tibi assentior: hoc enim mihi certo constat annum servatoris nostri 1622. quo ipse in Persida eram, anno Ismaelitarum 1031. majori ex parte respondisse, quemadmodum etiam, ut ex literis ad me Constantinopoli datis, postquam Romam reversus fui, collegi ejusdem servatoris annum 1627. Muhammedanorum Hegiræ anno 1036. fere prorsus respondere: quod si accurate perpendamus, nec non Ismaelitarum annum lunarem esse, undecim circiter diebus minorem nostro, qui solaris est, transactos annos retrorsum supputando, certo tamen considerato utriusque anni dierum numero, facile reperies, annum Ismaelitarum nongentesimum & vigesimum in Annum Christi 1514. vel certe 1515. circiter incidere. Memini Davidem Origanum in altera suarum Ephemeridum parte eorumdem annorum, nostri scilicet ac Saracenici, collationem facere; liber iste apud me non est modo: tu illum consulere poteris, attamen quod dixi de annis nostræ salutis 1622. & 1627. eos nimirum respondere annis Muhamedanorum 1031. & 1036. pro certissimo habeas, quidquid in hanc sententiam Origanus adferat, vel alii quicunque; hoc enim ipse, inter Mahumeda-

nos

nos diu versatus, in eorum scriptis atque libris sæpe ac sæpius observatum, oculatus testis omni dubio procul affirmo; & ne quidin hoc argumento desideres, si forte hujus rei certitudinem assequi cupies, ut in interpretatione Pentateuchi, de illius scriptionis tempore differendo ab omni erroris offensione magis securus incedas, tria hic subjungere non pigebit. Primum quidem, undecimam diem mensis Aprilis anni Redemptionis nostræ 1586. qua ipse die natus sum, à doctissimo quodam Persa Mathematicarumque Exercitationum peritissimo viro, mihi familiaritate conjuncto, qui meæ genituræ cœlestem, ut moris est, figuram quam apud me habeo erigere voluit, annorum supputatione sedulo facta, vigesimam secundam diem mensis Rabia etthani, hoc est Rabia secundi (qui mensis in anno quartus est ordine) anni Mahumedicæ Hegiræ 994. Persice scriptam fuisse, secundo vero vigesimam primam diem Martii, qua sol primum punctum Arietis ingredi solet, unde anni solaris initium exactissime Astrologorum more Persæ assumunt, Anno Christi 1622. me, ut dixi, in Perside apud eosdem Astrologos commorante, uti notatum est in Ephemeride Persica illius anni, quæ duplex apud me extat, à duobus nempe Mathematicis separatim elaborata in octavam diem mensis Gemadhiel euvel, hoc est, Gemadhi prioris, qui mensis quintus est illis ordine,

ordine, anni quidem Hegiræ Muhamedicæ 1031. incidisse. Tertio denique, vigesimam sextam diem Junii, Anni Domini 1627, à Turcis Constantinopoli duodecimam mensis Sceuval, qui decimus est ordine, anni eorum Hegiræ 1036. fuisse numeratam, hæc autem sunt nomina mensium Arabicorum, quibus Muhammedani fere omnes in describendis fastis, ut ita dicam utuntur; 1. Muharrem. 2. Sefer. 3. Rabia eleuvel, vel primus. 4. Rabia etthani sive secundus. 5. Gemadhi eleuvel. 6. Gemadhi etthani. 7. Regeb. 8. Scioaban, 9. Ramadhan. 10. Sceuval. 11. Dhilcaade. 12. Dhilhagge; & hi omnes sunt lunares, sex 30. diebus, sex vero 29. alternatim constantes, nisi aliqua intercalatio ad adæquanda novilunia cum mensium principiis occurrat, quæ triginta quolibet, sive viginti novem ni fallor annorum spatio, undecies certo ordine apponi solet ad calcem postremi mensis, qui tunc addita intercalari die, & ipse 30 diebus terminatur. Persæ alios habent menses solares, & aliam solarium annorum supputationem, quam docti non ignorant, & æram Gelalinam appellant, a Rege quodam Gelal nomine, qui illam instituit; sed & ipsi ut plurimum in scriptis & in usu quotidiano, sicut & Turcæ, non alia prorsus quam Arabicæ à me superius memorata æra utuntur, utpote quæ religionis est, nihil enim est aliud Hegira

Muham-

Muhammedis, nisi ejusdem Muhammedis fuga, sive exilium ab urbe Meka voluntarium, necessariumque religionis causa, quando ob ineptias suæ legis, quas promulgare inœperat, resistentibus populis, illumque, ut par erat dignis pœnis afficere volentibus, patria illi cedere necessum fuit: sed jam nimis hisce nugis te defatigavi.

Ob diligentiam, qua polliceris, te in Pentateucho inter legendum capitum & versuum numeros adnotaturum maxime tibi sum devinctus, eodemque tui beneficio multo perfectior evadet. Clarissimo Domino le Jay meo nomine salutem dicas rogo; & ut viro de bonis literis optime merito, me quoque illi una cum orbe universo plurimum debere, fac quæso certiorem; si apud me aliquid aliud reperiri compererit, quod ad publicam utilitatem desideret, paratus sum, omnibus quæ possideo, & ipsi, & literatorum reipublicæ inservire. Tu interim vale, amantissime Pater mihique semper & bonis omnibus merito apprimeque Reverenda, & mei memor vive tui observantissimi. *Romæ, Idibus Martii partæ salutis anno* CIↃIↃCXXXI.

EPIST.

EPIST. XXIII.

P. à Valle Jo. Morino de ſuo exemplari Samaritano.

Admodum Reverendo Patri, utque eruditiſſimo Domino ſuo, Patri J. Morino Congregationis Oratorii Presbytero, Petrus à Valle Peregrinus S. P. D.

NUnquam moleſte tuli, mirifice, culte atque amantiſſime mi Pater, Samaritanorum Pentateuchum, quem tranſactis menſibus, ut typis mandaretur, ad te miſeram, adhuc mihi non fuiſſe remiſſum; conſulto enim putabam id fieri, nempe ut is, uſque ad extremam operis abſolutionem tibi inſervire poſſet; tantum hortantibus amicis, ut alia quædam, in eumdem finem in Gallias allegarem, reſpondi, me, priuſquam alia mitterem velle inſpicere, procuratæ antea Pentateuchi impreſſionis diu expectatum exitum: qua nimirum ſui, meique felicitate liber iſte prodiret, atque ex illius fato de reliquis poſtea decreturum. Nam de futuro ad votum hujus libri eventu non de feſtinata exemplaris reſtitutione, me ſummopere ſollicitum fuiſſe, & quouſque id intuear, mirum in modum conti-

nuo

nuo futurum, syncere fateor. Amplissimus vir nostrique studiosissimus Dominus Peresçius, qui mittendi olim ad te Pentateuchi primus certe mihi auctor extitit optime novit quis sit meus hac super re sensus: quanto scilicet ardeam desiderio vulgationis hujus Pentateuchi à te Latine redditi, ut publico bono consulatur; & quo denique pacto publicæ istius utilitatis curam ac diligentiam quoque meam qua fieri potest, participem fore enixe cupiam. Ille idcirco te de his, atque de aliis ut exopto, certiorem facere non desinet, ac præsertim de summa animi mei erga te propensione: teque, ut illi in omnibus indubitatam, quam meretur, fidem exhibeas, etiam atque etiam rogo: atque illud præcipue amicitiam tuam me tanti facere, ut nemo pluris virtutes quibus es præditus, quam qui maxime venerari; nihilque demum magis in votis habere, quam occasionem nanciscì, ut tibi ex animi sententia inservire, atque aliquod observantiæ in te me ænon vulgare argumentum ostendere valeam. Valè vir Doctissime, & me amare perge, ut soles. Romæ.

EPIST

EPIST. XXII.

P. à Valle Jo. Morino quid de Cabbalisticis Interpretationibus ex Arabum, Persarum, Turcarumque Monumentis hauserit profert.

Reverendo Patri, atque eruditissimo Domino meo Patri Jo. Morino Congregationis Oratorii Presbytero Petrus à Valle Peregrinus S.P.D.

DOctissimæ Exercitationes, quas à te nuper elaboratas, dilecte mi Pater, semperque observande Morine, uti pollicitus fueras, ad me misisti, à R. R. Patribus Congregationis tuæ mihi redditæ fuerunt; earum lectione mirum in modum sum delectatus: nec prius ad te rescribere volui, quam illas, ut feci, à principio ad finem avidissime evolverem. Omnia reperi, sicut jam mente conceperam, non minus doctrina quam curiosa novitate & summa demum eruditione referta, quæ præcipue, de Cabbala explicasti, mihi perjucunda fuere: diu enim aliquid certi rescire concupiveram de reconditis istis Judæorum mysteriolis; non tamen ab ipsis, quos in omni scientia vanissimos esse jampridem compereram. De Cabbalisticis hisce interpretationibus,

pretationibus ex Arabum, Persarumque, ac Turcarum Monumentis, à Talmudistis, ut puto, mutuatis aliquid jam & ipse delibaveram; sed certe primis tantum labiis, quippe qui res illas tanquam levissimi ponderis contempseram: quinimo primis, quæ inspexeram, illius artis fundamentis, ipse etiam proprio Marte nonnulla alia Philosophando adstruxeram, quæ num Hebræis sint usitata ex te cognoscere mihi pergratum erit: videlicet, non modo ex literarum numeris, seu simplicibus seu quadratis, iisque excerptis, vel ex literis simpliciter vel ex literarum nominibus expansis in qualibet dictione, aut nomine, vel si mavis sententia, aliquam reconditi sensus interpretationem Gmetrice, ut loquuntur, elici posse; verum etiam, eodem numero denuo in literas commutato, ex significatione dictionis, quæ ex resultantibus literis emergit, exempli gratia; ex venerabili nomine Jesu, quod ab Arabibus scribitur *Isua*, יסוע si literarum numeros supputemus, colligentur 146. quo numero iterum in literas resoluto exoritur dictio *Camu* קמו quæ Arabice sonat *Inservire*. Recteigitur dicetur de Domino Nostro Jesu Christo, qui, ut iniquitates nostras ipse portaret, servi formam induit, uti scriptum est; attamen hujusmodi interpretationes fallaciissimas esse, ac persæpe inceptissimas, bifariam demonstratur; primo quidem,

dem, ut in exercitationibus prudentissime notasti, quia licet aliquando forte fortuito hac interpretandi ratione, sensus valde appositi ex dictionibus eliciantur, nihilominus sæpe ac sæpius aut nulli deducuntur aut insulsissimi, & quod pejus est, non semel impii: secundo vero, quia sensus isti dictionibus, unde eruuntur, sunt nimis communes; nec verisimile est eidem dictioni vel nomini, vel sententiæ, ubicunque collocatæ, eosdem prorsus sensus omni tempore adaptari posse. Sexcenti reperiuntur Johannes, & Pauli, & horum alii viri optimi existent alii pessimi, singulique ob morum conditionisque varietatem inter se valde diversi; quis igitur existimabit his omnibus, & unicuique eorum eosdem sensus appositè applicari posse, quos ex consimili nominum interpretatione extrahere licebit? quod ad Notaricum attinet, Arabes, Turcæ ac Persæ eo passim utuntur, brevitatis causa, in describendis tabulis Astronomicis, Ephemeridibus, Fastis, & quæ sunt his similia, ita ut absque illius notitia ejusmodi libros quis intelligere non possit. Ego autem illud parvi facio, licet penitus non ignorare necessarium duxerim, quia genus est scribendi erroribus quam maxime obnoxium, cum propter notarum inter se similitudinem, aliam pro alia usurpari, tum ab ineruditis amanuensibus tum à lectoribus non satis expertis, facillimum sit.

Sed

Sed de his hactenus; tantum cupio, ut me quoque certiorem reddas quibus notis apud Hebræos designentur millenaria & centenaria supra 400. nam Arabibus ad millenarium usque designandum propriæ ac peculiares sunt literæ, cum eorum Alphabetum sex literis plusquam Hebraicum abundet; illæque sunt, quæ respondent ת ב ד צ ט ו, quando molles pronuntiantur, ut apud Chaldæos in usu est, præsertim in dictionibus Arabicis describendis: quod tamen ignoro, an Hebræis etiam sit commune, an potius, pro millenariis designandis, primas literas, simplicium numerorum significativas, usurpent, quæ ante notas centenariorum collocatæ apud Arabes etiam aliquando millenaria designant. Sed missis his, quæ forsitan plus quam par erat tibi tædii attulere, modo reliquum est, ut gratias quas referre non possum, tibi saltem innumeras agam, non modo de libro transmisso, verum etiam quod plurimi faciendum est, de multiplici honore, quo me in illo prosecutus es, tot tantisque laudibus me supra quam mereor, extollendo. Erubui sane quoties in illas incidi: at blandientis sibi animi titillationem quis compescet? mei profecto imbecillitatem ut fatear necesse est; non possum his laudibus licet immeritis summopere non oblectari, quippe quæ, tui beneficio, laudatissimi viri nomen meum tam honorifice immortalitati

commendant, ex quo quantum tibi debeam, verbis exprimi posse non duco: manebit tamen dum vixero, alta mente repostum. Duo supersunt, quæ ab humanitate tua, abstinere non possum, quin enixe efflagitem; primum quidem, ut in impressione Samaritani nostri Pentateuchi versione Latina illum minime defraudes: nam, etsi versio Latina Hebræo-Samaritani Samaritano etiam, ut ostendis, est communis, cum iste illius sit exactissima translatio lectori tamen permolestum erit, Samaritani sententiæ quomodo Latine efferantur, longe alibi inquirere, & dubii semper aliquid apud ipsum remanebit, num verba ubique singula singulis bene respondeant: at è contra versionem Latinam, licet prorsus eamdem, utrique suis in locis apponere quid erit impendii? alterum quod expecto est, ut quamvis codex iste Samaritanus magnis illis Bibliis adjunctus proditurus sit, non desinas tamen curare, ut seorsim etiam cum propria illius versione Latina imprimatur, quo facilius omnibus illo perfrui liceat; quod publicæ utilitati quam maxime conducturum existimo, nam magna illa biblia, quæ immania sunt volumina, & magni pretii, cuilibet præsto esse non facile poterunt. Pluribus non est cur te defatigem: tantum vale, & me tibi devinctissimum vivere pro certo habeas.

Romæ, quarto Nonas Julii CIↃIↃCXXXI.

Epistolam

EPistolam tuam quam ad me una cum libro misisti non accepi: Pater qui detulit, dixit, se illam perdidisse, ubi quoquot forinsecus literæ importantur, ob pestis suspicionem, igne purgari solent. Si quid forte continebat quod me non latere cuperes, rescribas quæso, ne aliorum incuria mandatis tuis, quæ vehementer exopto gratissimisque nunciis me defraudet. Vale iterum & me ama.

EPISTOLA XXV.

De Chronologia *Mahumadanorum.*

Nobilissimo & Perillustri Viro Petro à Valle, *Joh. Morinus.*

PRimas Litteras à te accepi, quibus me respondisse non memini. Prioribus difficultatem non immerjtò thones, quod Annum *Arabum* 920. cum Anno Christi 1542. commiserim; ais enim te certissimum esse annum veræ Salutis 1622. cum *Mahummedico* 1031, majori ex parte concurrisse, & 1627 cum 1036, undecimum præterea *Aprilis* anni 1596 cum anno *Hegiræ* 994, & die 22 mensis Rabie secundi. De hisce exemplis nihil ambigo, alia addam, quæ tua nobiliter confirmant. Refert *Gordonus* in Chronologia sua ad annum 622, in Edicto pacis *Caroli* V. Imperatoris, cum *Afro* Rege, annum *Hegiræ* 942, cum anno Christi 1535, copulatum fuisse: In litteris vero *Solimani* ad *Ferdinandum*, annum consimiliter ab Epocha *Mahommedis* 954, cum Christiano 1547, conjunctum. Refert quoque *Mulerius* in Tabulis Astronomicis, *Turcarum* Imperatorem

litteras ad *Belgarum* Ordines anno 1610, reſcripſiſſe, ad quarum calcem æra notabatur 119. Iſta ſane contradicere nobis videntur qui annum *Arabum* 920, cum Chriſtiano 1542, maritavimus. Nodum iſtum qui multis perplexus videri poteſt, paucis enodabimus: Aliud eſt annos ab Epocha *Arabica* juxta *Arabes* & *Turcas* putare, aliud eoſdem annos juxta *Chriſtianos* alioſve populos. *Arabes* annis utuntur mere Lunaribus dierum 354, nec illos curant ullis emboliſmis cum ſolaribus exæquare, abrogata prorſus annorum ſolarium conſuetudine. Emboliſmorum quidem ſpeciem quandam uſurpant, ſed à noſtris prorſus diſſimilem, cum enim annus lunaris juxta Aſtronomorum antiquorum & recentiorum epiloguſmos dierum ſit 354. hor. 8. m. 48. ad finem cujuſlibet anni 354 dierum reſidui ſunt hor. 8. m. 48. quæ ad finem anni tertii collectæ diem præſtant, horaſque duas & 24 min. Tertio itaque anno diem intercalant, quo annus ille dierum conſtituitur 355, ſuperſuntque Epactæ horæ duæ & 24 min. quibus anno quarto horas 8 denuo addunt, & 48 min. & ſic continuant donec compleatur annus trigeſimus. Tum enim undecim emboliſmis unius diei peractis, nullæ prorſus ſuperſunt Epactæ, idemque emboliſmorum & epactarum redit ordo

qui

qui prius effluxerat, quod manifestum & palpabile fit multiplicatis horis 8 & 48 m. per 30, consurgunt enim horæ 264, ex quibus undecim dies exactissime, nullo superfluo, componuntur. Hæc est illa triacontaeteris, seu periodus *Arabica* triginta annorum, qua anni *Arabici* exacte satis juxta lunares motus, nulla solarium habita ratione, definiuntur. Non incassum hæc præmissa sunt: Si quis enim me roget quotus annus hegiræ juxta annos Arabum supputetur hoc mense *Septembri* æræ Christianæ 1631, respondebo 1041. Si autem me roget quotus vero juxta annos Julianos, qui Christiani sunt? respondebo 1010. Annorum 31 est discrimen, hoc est à fuga *Mahumedis* anni *Arabici* effluxerunt 1039, & aliquot dies; anni vero Christiani 1009, sed ista exactissime subducamus: hujus enim rei ignoratio *Genebrardo*, *Gordono* aliisque Chronologis persuasit, *Arabes Asras* Epochen Hegiræ ab anno Christi 591, aut 592, initium ducere. Verum præstantissimi quique Chronologi, istiq; *Arabes* consentiunt, Hegiræ Epochen decimo sexto *Julii* anni Christi 622. cœpisse. Pluribus id probare non opus est; facile enim ex dicendis colligetur. Ab eo tempore usque ad mensis *Julii* 16 diem anni præsentis, effluxerunt anni *Arabici* 1340. Annus ille ut dicimus, dierum est 354, hor. 8.

m. 48. Annus vero solaris juxta *Alphonsum*, & ferè juxta *Tichobrahen*, est 365 dierum, 5 hor. m. 49. Excessus igitur Anni Solaris supra Lunarem *Arabicum* est 10 dierum, 21 hor. m. 1. Cum igitur 1009 anni Solares præterierint, ducantur decem dies, 21 hor. 1 m. in 1009, summa erit 10973 dierum, 13 hor. m. 49. Tot igitur diebus 1009 anni solares superant 1009 *Arabicos*; sed 10973 dies, 13 hor. m. 49, divisi per 354 dies, 8 hor. 48 m. annum *Arabicum*, annos nobis præstant *Arabicos* 30, dies insuper 342, hor. 13. m. 49. itaque anno Christi 1631, 15 *Julii* præterierunt anni *Arabici* ab Hegira 1339, & præterea dies 342, hor. 13, m. 49, ergo annus 1040 *Arabicus* seu *Neomenia Muharram* cœperat octavo *Augusti* anni 1630. Ab octavo enim *Augusti* mensis anni 1630; ad 15 *Julii* 1631, dies 342 numerantur. Præterquam quod Epilogismus iste rectus, huic assentiuntur Tabulæ Astronomicæ; Neomeniam enim ex Alphonsinis Tabulis collegi anno 1630 factam fuisse juxta medios & æquabiles motus, octava die *Augusti*, hora ante meridiem 9. & 3 m. in Romano meridiano. Nunc si 342 diebus, addantur 12, (existimarem enim annum illum esse ἔμβολιμον & intercalarem; etenim triacontateridis *Arabicæ* vigesimus) finietur annus 1040 Hegiræ, *Julii* die 28,

inibit

inibitque Neomenia *Muharran* anni Arabici 1041, *Julii* die 29, Neomenia media juxta Tabulas Alphonsinas accidit *Romæ* 28 *Jul.* hora post meridiem 7. m. 51. sec. 17. paulo post occasum: itaque hodie annus supputatur Hegiræ 1041, & 21 mensis *Sepher*, Christi vero & nostri, 1631, & 16 Cal. *Septembris*, nisi forte propter *Arabicarum* Neomeniarum προέμπτωσιν, de qua mox, cœperit *Muharran* 31 *Julii*, quo casu incidit hoc anno 16 *Septemb.* in 19 mensis *Sepher*. Ut ex annis solaribus datis, *Arabicos* collegimus, ita & contrario modo ex *Arabicis* facile est solares colligere. Hoc in numeris tuis periclitabimur, aliquid enim continent quod animadversione dignum videtur. Ais igitur *Aprilis* undecimum diem anni 1586, concurrere cum 22 die Rabie posterioris anni Hegiræ 994. quia anni *Arabici* numero superant Christianos in eadem dierum collectione, excessus annorum solarium simul collecti, & ex annis Arabicis lunaribus exempti, annorum solarium numerum exhibent. Defectus anni lunaris Arabici à solaris est 10 dier. 21 hor. 1 m. Defectus ille uniuscujusque anni in annis 993 integris consurgit in summam dierum 10799, h. 13. m. 33. Anni vero 29 solares dies conficiunt 10592. min. 41. horas, & minuta ista securi nunc negligimus. Dies igitur 10592, tolle

ex 10799, sive annos 29 à 993, residui erunt anni Christiani 964, & dies 207. rursus eximendi, nam omnes dies defectus lunaris sunt exemptiles. Denuo itaque ab annis Christianis 964, tolle dies 237, annos assequeris 963, dies 158. Dico igitur annos Hegiræ 993 completos æquari annis solaribus 963, diebus 158. Hinc facile est postremum diem Anni Arabici 993 eruere, & Neomeniam *Muharran* anni Arabici 994. Annus solaris Hegiræ semper finitur 15 *Julii*, & incipit 16 ejusdem mensis, à quo die si numeres 158 dies, terminabitur annus ille 20 *Decemb.* inibitque 993 annus Hegiræ *Decemb.* 21. qui duravit per universum fere annum Christianum 1586. Si igitur ab an. 1585, cum quibus concurrebat annus Hegiræ 993, tollas annos solares 963, relinquentur 622 Christi à decima sexta *Julii*, pro initio & radice supputationis Hegiræ, cui Epochæ omnes celebres Chronologi consentiunt, quæque ut vides ex ipsissimis Arabum Epilogismis Astronomice putatis colligitur. Sed ex iis quæ addis, difficultas oritur. Ais enim ex Astronomorum Persarum exacta supputatione, undecimum diem *Aprilis* anni 1586, concurrese cum 22 die *Rabie* posterioris anni Hegiræ 994. nam concursus ille attribuendus videtur *April.* 9, aut saltem 10, uno die citius, menses enim

tres priores Arabici cum quarti 22 diebus, dies componunt 110, atqui dies 110 à vicesimo primo *Decembris* exclusive supputati, decimo *Aprilis* terminantur. Difficultatem augent Tabulæ Alphonsinæ, ex quibus colligo Neomeniam mediam factam fuisse anno 1585, *Decembris* 21 die, hora post meridiem secunda in Meridiano Babylonico, eo prorsus modo quo ex annorum solarium & lunarium epilogismis adnotavi. Astronomi autem tui lapsum non esse ex aliis quæ affers exemplis manifestum est. Refers in Ephemeride Persico, 21 diem *Martii* anni Christi 1622, in octavum diem *Gemadi*, prioris anni Hegiræ 1031 adnotatum fuisse: idem brevissime quod in priori exemplo præstemus. Anni 1030 completi superant 993 completos, annis 137, defectus anni lunaris à solari 16 d. 21 h. 1 m. ducatur in 37, emergent 402 dies, quibus junge 207, residuum superius adnotatum, dies fient 609; hoc est annus solaris & 244 d. quæ juncta annis 29, conficient anni 30, & 244 dies, quo annorum & dierum numero anni Hegiræ 1030 completi superant numerum annorum solarium ejusdem Hegiræ. Demantur igitur à 1030, anni 30, restabunt mille anni solares: ab his iterum deme dies 244, residui erunt 999 anni, dies 121, prorsus æquales 1030 annis Hegiræ completis. Anni

autem 999 solares finiti sunt die 15 *Julii* an. 1621, duravit Hegiræ annus præterea diebus 121; finiit ergo die *Nov.* 13. ac proinde annus 1031 Hegiræ cœpit die 14. *Nov.* anno Christi 1621. Eo die ex Tabulis Astronomicis colligo commissum fuisse Novilunium Babylone hora quarta matutina. A Neomenia autem *Muharran* ad octavum *Gemadi* prioris inclusive 126 dies effluxerunt; sed à decimo quarto *Novembris*, ad 21 *Martii* 128. Tertium uno expediam; 26 dies *Junii* anni 1627, concurrit cum duodecima mensis *Sceval* anni Hegiræ 1036. A Neomenia *Muharan* ad duodecimum diem *Sceval* dies 227, totidem retro numerati à 22 *Jun.* incipiunt à 23 *Septemb.* quo juxta id quod scribis, cœpit Meomenia *Muharran* Sed Tabulæ Astronomicæ exhibent Novilunium *Babylone* die 21 *Sept.* paulo post aut circa mediam noctem. Ex his exemplis constat cœlestes Neomenias duobus diebus Arabicas nunc anticipare, Lunamque primam eos tum pronuntiare cum est tertia, cujus rei causam à te scire velim: num quod Neomeniam ut Judæi, stante Templo, non a Luminarium Synodo, sed à Visione celebrent? Num Cycli ipsorum vitio, ut olim Christiani ante *Gregorii* correctionem, Luna prima dicebatur cum erat quarta: tantus tandem apparuerat enneadecaeteridis inemendatæ

mendatæ defectus, aut quavis alia de causa. Ista nunc introspicere, urgentibus aliis negotiis, non vacat, alias forte non ex tempore ut nunc, sed consulto de hisce differendi dabitur occasio. Quamquam verbosa scriptura mea importunus nimium tibi fuerim, id quod rei à te animadversæ caput est non omittam. Samaritanos aio, non secus ac Judæos annis uti solaribus, non lunaribus, ut Arabes. Hujus rei multa sunt Argumenta, Lex *Mosis* quam profitentur, cujus Festa solari & lunari motui addicta sunt, unde fit ut ipsis & Judæis solemne, lunares menses per Emboliſmos dierum triginta, annuo Solis motui accommodare, atque adeo quamvis eorum menses sint lunares sicut Arabici, nusquam tamen cum illis conveniunt. Præterea hujus rei testes habeo *Mosem Ægyptium* & *Abenezram*, ut à Commentatore Libri *Cozri* citatur, insuper *Scaligerum* cum Calendario Samaritano quod in lucem edidit, denique ipsum librum tuum & meum; nam in Libro tuo cum supputatio annorum initur à regno *Ismaelitarum*, additur mensis *Elul*, in meo vero mensis *Marhesuan* qui menses Judaici sunt, & cum annis lunaribus Arabum accommodari non possunt, nisi quis scrupulosam Astronomorum supputationem advocet. Igitur faciunt *Samaritani* quod nos in eadem causa faceremus.

Si

Siquis enim me rogaret quot hodie 1631, & *Sept.* die 16, anni elapsi sunt ab Hegira seu fuga *Mahometis*? non responderem per annos Arabicos, sed solares vulgares annos scilicet præteriisse 1009. anni vero 1010 diem 63 fuere: nec aliter supputant Chronologi Christiani aut Judæi, sicut vice versa Arabes quæ apud nos fiunt annis Hegiræ suæ applicant. Latine versa est Historia Sarracenica ab Arabe docto & Chronologo exactissimo, *Lugduni Batavorum*, anno 1625 edita: innumeris in locis historias Christianorum recensens Hegiræ annos semper usurpat. Sed de hisce hactenus.

Posteriores Litteræ tuæ mihi lecto decumbenti redditæ sunt, sed tui nominis jucunda recordatione animum recrearunt, febrisque ardorem elevarunt. Quæris à me, eruditissime Domine, num per Judæorum Cabbalisticam Gematriam, numeri ex dictionis resolutione manantes, soleant iterum in dictionem coalescere, qua Mysterium aliquod significetur: exemplo tuo quæstionis sensum aperiam. יהוה *Jesus*, Arabice componit 146, numero illo iterum in litteras resoluto exoritur dictio עבד, quæ Arabice *inservire* sonat, recte de Domino nostro dicitur, qui formam Servi induit, *&c.* Respondeo, Gematriæ Cabbalisticæ genium esse, dictionis unius sensum aut mysterium, ex alia

per

per numeros expiſcari, atque ad id tantum Gematriam inventam eſſe, hinc que ſæpius myſteria emergere. Huic conformia quod ex Arabica Lingua adnotaſti, verbi gratia dictio מצותי, *Præcepta mea*, in numerum 546 reſolvitur. Idem numerus in litteras iterum reſolvitur שמור dictionem componentes, quæ *cuſtodi* ſignificat; quo Myſterio Mandata Dei ſedulo ſervanda eſſe demonſtratur. Huc tendit omne negotium Gematricum, niſi Judæi barbaris nominibus ſæpius obleſtarentur; verbi gratia, nominis barbari *Mitatron*, מטטרון, apud eos maxima eſt reverentia; ſicque Angelum qui primum cœlum movet, vocari fabulantur, eo quod litteræ iſtæ 314 conficiant; qui numerus in dictionem שדי *Schaddai* Iterum reſolvitur; quæ unum eſt ex maximis Dei nominibus. Alterum eſt quod quærit de Numeris Judeorum ſupra quadringenteſimum: duobus modis illos ſolent exprimere, ope ſcilicet quinque Litterarum finalium, ך·ם·ן·ף·ץ. 500, 600, 700, 800, 900, vel alias litteras conjungendo; ut 500, hoc modo, תק, 600, תר, *&c.* Pro millenariis autem, litteris iterum utuntur, ut בראל, 2234 cum apponunt litteras finales illas ſemper ad finem relegant; verbi cauſa, ſumma Verſuum à Maſoretis in Pſalmis ſic adnotatur,

tur, אאכוך, 2527, natura duce sic scribi debuisset, אאלכו, alias pro duobus א uterentur ב. Sæpe millenarios omittunt, & inferiores tantum numeros adscribunt, quod sæpissime faciunt cum annos Epochæ mundi numerant, sed tum sæpius addunt סק hoc est, מרט קטון, juxta Numerum minorem. Exempli causa, aliquid hoc anno accidisse dicerent, שנה שיא, anno 391, juxta Numerum minorem, hoc est, anno mundi juxta ipsorum Numeros, התשיא, 5391. Sed de hisce hactenus. Pentateuchi 17 caput *Levitici* sub prælo est. Pentateuchum tuum integrum cum Hebræo Samaritano contuli; tam exacta est, & verbis adhærens versio, ut Latina duplici minime sit opus, unaque versio utrique textui ad amussim respondeat; alteram versionem condere prorsus est actum agere. Ita autem Samaritanus uterque codex in editione disponitur, ut Latina versio utrique textui ex æquo respondeat, nullaque versio cum archetypo facilius ista comparari possit. Hæc habui, perillustris & mihi observandissime Domine, quæ doctissimis Litteris tuis rescriberem, me ut magis ac magis ames etiam atque etiam rogo.

Responsio

EPISTOLA XXVI.

Reſponſio ad præcedentem Epiſtolam Ephemerides Perſicæ ac Turcicæ, quas penes ſe aſſervabat Auctor Tabularum Aſtronomicarum, quibus nunc Perſæ utuntur, & de his judicium. Diagramma Triacontaeteridis Arabicæ, quam ab Aſtronomo Perſa habuerat.

Reverendo Patri atque Eruditiſſimo Domino meo, Patri Joanni Morino, *Congregationis Oratorii Presbytero*, Petrus à Valle *Peregrinus, S. P. D.*

VAlde delectatus ſum, Doctiſſime, ac mihi ſemper Reverende, mi Pater, iis omnibus quæ ad me reſcripſiſti poſtrema Epiſtola tua; ſed præſertim accuratiſſima ſupputatione qua probas te annum Hegiræ 926, cum anno Æræ noſtræ 1542, recte maritaſſe: quæcunque aſſeris pro certiſſimis habeo, nihilominus illud etiam quod te monui, de tribus illis exemplis, quæ diſcuſſiſti, veriſſimum eſt. Hanc autem differentiam puto evenire, quia in rebus humanis, ut non ignoras, ſæpiſſime accidit, ut aliud

aliud theorice ſpeculando comperiatur, aliud vero practice uſu veniat: & in hac potiſſimum re non mirum, cum defectus illi aut exceſſus horarum & ſcrupulorum, quos optime notaſti, in uſu civili negligantur, & neceſſario ſint negligendi, ut anni principium civile cum principio diei, in quo conſtituitur, ſimul infurgat. Sed cum verum & Aſtronomicum anni principium a principio civili, quod fere ſemper aut præit, aut ſubſequitur, aliquot horis & ſcrupulis diſtet, hæc differentia ſemel atque iterum neglecta, efficit poſtea ut longo annorum decurſu magnas illas reperiamus differentias, quas in noſtro calculo præ manibus habemus. Quod autem dicis de undecima *Aprilis* die anni Chriſtiani 1586, quam Aſtrologus meus cum 22 *Rabiæ* poſterioris anni Hegiræ 994 copulavit; tibi tamen videtur 22 *Rabiæ* poſterioris prædicti anni, cum nona vel decima *Aprilis* anni noſtri conturrere diebus, ne mireris: Arabes enim, ſicut & Perſæ & Turcæ, Neomenias ſuas lunares non in novilunio, hoc eſt, in Luminarium congreſſu, ſed in viſione Lunæ conſtituunt. Verum cum Luna non niſi ſero in occaſu Solis apparere incipiat, & nox apud illos nunquam antecedenti, ſed ſemper ſubſequenti tribuatur diei, unde ſi Luna, exempli gratia, die Martis ſero incipiat videri, ſubſequens dies

Mercurii

Mercurii prima menſis numeratur, hinc fit ut Neomeniæ, duorum ſemper ac fere trium dierum ſpatio, ſint noviluniis poſteriores; nec ubique pari gradu incedant, ſed alii citius, ut Turcæ Orientales (*Turkiſtan* ſcilicet Regionis Incolæ, qui Tartari ſunt) alii vero tardius, ut Perſæ, illas celebrant; quod paſſim in Ephemeridibus omnibus earum gentium manifeſte apparet. Ephemerides aliquot habeo, ut alias tibi ſignificavi, & Perſicas & Turcicas, ſingulas autem unius tantum anni confici ſolent, quemadmodum in Oriente, nam plurium annorum illas ſimul edere, Typographiæ defectu, non facile illis foret: inter has unam quamplurimi præcipue facio, exactiſſime elaboratam à *Mulla Zeineddin Larita* Mathematico & Aſtronomo inter Perſas præſtantiſſimo, mihique amiciſſimo, qui certe, in noſtra etiam *Europa*, inter hujus artis peritos, pares haberet admodum paucos, ſi libris apud nos à recentioribus editis, inſtrumentis nuper repertis, ac demum obſervationibus innumeris, poſterioribus hiſce ſeculis factis ab eruditiſſimis viris, quæ omnia in Perſide ignorantur, non eſſet deſtitutus. Fatebatur mihi quidem Tabulas Aſtronomicas recentiores quibus ipſi nunc utuntur, confectas ab *Olegh Chan*, *Samarcand* Principe, & magni illius *Teimur Lenk*, hoc eſt, *Teimur Clandi*, quem

nos

nos corrupto vocabulo *Tamerlanem* vocamus, ex filio nepote, jam nimis antiquas esse, & ad hæc tempora non satis bene respondere: motus propterea Planetarum aliqua apud ipsos indigere correctione, & alia quamplurima desiderari; quapropter à me petiit ut Ephemerides aliquas, & alios Libros ex nostris sibi mitterem, quos ut percipere posset, notas omnes Arithmeticas, Characteres nostros Astronomicos, necnon Litteras Alphabeti, ac modum legendi sedulo à me addiscere voluit; & si Ephemerides *Magini*, quas illi misi, ad ejus manus pervenerunt, non dubito quin ex illis summam delectationem ac utilitatem sit percepturus. Hujus inquam viri, apud quem in *Lar* civitate, ipsius patria, aliquot menses quotidiana consuetudine familiarissime versatus, complura ab eodem didici scitu dignissima, Ephemerides habeo unius anni ad Meridianum ejusdem Civitatis *Lar* elaboratas, quæ tamen quia ille ad majora intentus, Ephemeridum Auctorem se profiteri dedignabatur, feruntur sub nomine *Mulla Enaiet Larita*, sui fratris germani. qui & ipse Astronomiam pertractabat; hasque ego, veri Auctoris summa diligentia exactissime transcriptas, ab ipsomet *Mulla Zeineddin* dono accepi, in urbe *Lar* cum primum evulgatæ fuerunt, ejusdem anni de quo

agebant

agebant initio. Sæpe miro accensus sum desiderio illas Latine vertendi, existimo enim fore ut ad Chronologiam quam maxime conferrent, ob diversarum Epocharum copulationem, variamque mensium apud diversas gentes rationem, quæ ibi oculis objicitur, quæque una cum adspectibus Planetarum adinvicem certis suis locis accurate collocatis, non dubito quin Chronologis, ad tempora examinanda, opem non modicam afferrent. Verum ab hoc labore plura me deterrueruut, primum quidem quia *Romæ* non facile futurum puto ut à superioribus impetraretur hujusmodi rerum typis evulgatio, alibi vero me absente difficillimum censerem, ut absque innumeris erroribus imprimi possent, cum omnia sint notarice scripta, & captu non facilia, nisi quis fuerit in illis diu versatus. Præterea, ordinarii Characteres quamquam Persici & Arabici, ad imprimendas Ephemerides fortasse non sufficerent ob notarica quædam, quibus multis opus est Literarum compendia. Insuper Amanuensem non habeo, qui mihi Persica transcribat, & ipse nec labori sufficio, nec patientia mihi est ut transcribendo me fatigem, & tempus conteram. Nullo autem remanente apud me transumpto unicum, quod habeo originale, ut imprimatur alio transmittere cum discrimine illius amissionis

nis in itinere proculdubio permoleſtum eſſet. Nihilominus tamen fortaſſe difficultates iſtas ſuperabo, & Ephemeridem integram ad te mittam utroque charactere, Latino nempe & Perſico, ſi fieri poterit δμοιγλῶσαν imprimendam: interim ex ea deliba quæ in alia charta huic Epiſtolæ alligata ſeparatim mitto; ac me fac, quæſo, certiorem, num Pariſiis, ubi typos Arabicos reperiri certiſſimum eſt, Perſica etiam imprimi poſſint, quæ quidem iiſdemmet Arabicis characteribus imprimenda ſunt, ſed ultra quos Arabes uſurpant, tribus aliis opus eſt, qui Arabibus non ſunt familiares, hi vero non ſunt figura diverſi, ſed tantum duplici poteſtate, & Criticis quibuſdam tantummodo punctulis inter ſe diſtincti; nam præter Arabicas litteras ب B. ج E. & ز Z. quæ etiam apud Perſas ſunt in uſu, eodem modo quo ab Arabibus pronunciantur, ad Perſica ſcribenda, illaque peculiari quadam Perſarum pronunciatione legenda utuntur iiſdem litteris criticorum punctorum additamento diverſam habentibus poteſtatem; videlicet, ب P. ج C. *Ital.* & ز Hiſpan. Neceſſe eſt igitur ut Perſica poſſimus typis mandare,

mandare, tres istos characteres habere duplici figura, unico nimirum puncto, eosdemque tribus punctis insignitos. Evolvens fortuito Schedulas meas, reperi folium in quo R. P. frater *Thomas à Novaria* litteras quasdam antiquissimas descripsit, vel Hebraicas, vel Ægyptiacas, vel Arabicas, quæ in deserto Montis *Sinai*, ab Hebræis, ut creditur, qui tamdiu per illa loca errabundi profecti sunt in compluribus petris reperiuntur sculptæ. Plures sunt inscriptiones, ut videbis, quarum ego primam tantum vidi ad radicem Montis *Horeb*, reliquas cum hujus rei ignarus iter facerem, imprudens non animadverti: Pater vero à *Novaria* dum illac accuratius pertransiret, ex multis quas vidit, hasce transcriptas exactissima diligentia designavit: existimans rem esse ex qua facile delectationem percipere possis, transumptum folio, quod una cum hacce Epistola accipies, ad te mitto; Hebræis quibusdam quibus illud hic ostendi, litteræ aliquæ ex his visæ sunt Hebraicis quæ hodie sunt in usu similes esse, aliæ vero Samaritici, aliæ denique cum neutris concordare; sensum tamen ex illis nemo percipere potuit: tu quodcunque erit forsan melius assequeris, quod ad Chronologiam attinet, rogo ut inspicias opus chronologicum *Ubonis Emmii Groningæ* impressum, quod

ipse legi, & in omnibus certe mihi non displicuit; sed præcipue Æram atque Annos Mahomedanorum, eorumque cum nostris copulationem apud hunc Auctorem magis recte disposita reperi quam apud alios quos viderim. In Genealogia tantummodo recentiorum regum Persidis allucinatus est, aliquantulum deceptus ab aliis, quod ego correxi in Libello meo de Persarum Rege; tu de hoc Auctore quid sentias, mihi significes quæso. Agedum, amplius te fastidire nolo: tantum ut me diligas, & si quid tui gratia præstare possim, mandare non desinas etiam atque etiam efflagito. *Vale.*

Romæ postrema *Decembris* die exacti jam Anni 1631.

Plurimum doleo te febri tam graviter fuisse vexatum: spero tamen fore ut hæc Epistola reperiat te jam optima fruentem valetudine; quod ut Deus faxit, toto corde exopto.

Mitto etiam ad te hic inferius descriptum Diagramma Triacontaeteridis Arabicæ, quod habui ab eodem Astronomo amico meo, *Mulla Zareddin Larita*, de quo supra memini. Illudq; mitto Italice scriptum, sicuti extat in chartulis meis, eodem modo quo tunc ab ore dictitantis excepi, ne

ne forte Latine vertendo, aliquid ei detraherem, qua de causa hoc itidem observavi in folio Patris *Thomæ à Novaria*, de antiquissimis litteris in deserto Montis *Sinai* repertis. Periodus vero intercalationis Arabicæ, num viginti novem annis constet, num triginta ignoro; nihil enim de hoc reperi in chartulis meis, nihilque me de hoc ab Astronomo Persa nec audisse nec quæsivisse memini.

L'anno lunare de gli Arabi non ha giorna, o mese alcuno intercalare per pareggiarsi con l'anno solare: ma si ben' ha di quando in quando alcun giorno intercalare, per pareggiar la differenza ide' mesi lunari, che corre traun novilunio e l'altro. E perche nell' anno Arabico sei mesi sono di trenta giorni, e sei di ventinove, il terzo di trenta, il quarto di ventinove e cosi sempre per ordine, ne gli anni, ne' quali si aggiunge il giorno intercalare, si aggiunge all' ultimo mese, che dovendo esser di ventinove giorni, nell' anno intercalare è ditrenta. Hora gli anni, ne quali si aggiunge il giorno intercalare sono i sequenti; il secondo, il quinto, il settimo, il ventesimo primo, il ventesimo quarto, il ventesimo sesto, il ventesimo nono, e cosi sempre vico minciando da capo co'l medesimo ordine. L'anno presente, secondo l'Era de gli Arabi 1031

della Hegira, mà secondo noi 1622 di nostro Seigre, è l'anno primo di questo conto; onde l'anno seguente, che sara il secondo, sarà intercalare. E questo l'houto d'al *Mulla Zeinneddin* Astrologo *Larita* amico mio.

Hucusque in chartula mea, cui postea hic *Romæ* non multos ante dies quod sequitur subjunxi.

Differisce poco de questo la diatrive di *Nicolo Mulerio* nella Chronologia di *Ubbone Emmio*, che secondo le tavole Alfonsine si à incercalari, in vece de gli anni 15. e 17, gli anni 16. e 18, & fa tutto l' periodo di anni 30.

EPISTOLA XXVII.

J. Morinus Illustrissimo Cardinali *Barberino* scribit Apologiam Libri, cui Nomen fecerat *De la Grandeur & Souverinité temporelle Donneé al' Eglise Romaine*, ob cujus Editionem male audiebat *Morinus* apud Aulicos Urbis.

Illust. & Rever. Card. Barberino, *J. Morinus.*

ACcepi à R. Patre *Bertino*, Siniſtra nonnulla Gallia Romam perlata eſſe de libro quem vernacula lingua nuper in lucem edidi. Iſta ut audivi, contempſi, quamquam enim cogitarem vulnus à calumniatoribus inflictum vix ita obduci poſſe, quin cicatrix ſemper emineret, me tamen à calumnia cum de Sedis Apoſtolicæ honore & auctoritate agebatur lædi poſſe non exiſtimabam. Tantam fiduciam pariebant in animo meo conſcientia primum mea, conſilium deinde meum in libro illo ſcribendo, teſtimonium denique illorum qui ante divulgationem, manuſcriptum examinarunt, & qui poſt divulgationem perlegerant. Conſcientia mea, cui nihil antiquius, nihil charius

unquam fuit quam Sedis Apostolicæ autoritatem publicè, & in privatis congressibus quacunque occasione data defendere, qui adolescens aliquot annos in Illustrissimi Card. *Perronii* comitatu vixi, qui postea in Reverendi Episcopi *Lingonensis* familiam, cum primum Episcopus creatus est, adscitus sum, qui inde Congregationi Presbyterorum Oratorii nomen dedi, atque ab eo fere tempore à latere *Caroli Mironii Andegavensis* Episcopi, qui à summo Pontifice, *Lugdunensis* Archiepiscopus & primas electus & constitutus est, eo postulante & ultra modum urgente, ad mortem usque indivulsus fui. Si nunc vita illi superstes esset negotii propter quod catholice & feliciter gestum Brevia duo Apostolica in gratiarum actionem accepit me illi impulsorem fuisse, ne quid amplius dicam non diffiteretur. Si illustrissimum Card. *Spadam* coram nunc alloquerer ea de isto negotio proderem quibus facile cognosceret Archiepiscopum *Lugdunensem* nihil ea in re me inconsulto tentasse, nedum egisse. Strenue & catholice se præbuit in ista causa R. Episcopus *Lingonensis*, quæ egit aut dixit mecum ille communicavit. Tum temporis in libro illo componendo & elaborando totus versabar. Num ego cum periculo clam adstruere conabar quod publice destruere meditabar?

Calumniæ

Calumniæ atrocitas me imprudenter aperire coegit quod æternum latuisse desideravi. Itaque ne immodestius de me verba facere pergam, scriptionis meæ consilium Illustrissimæ Reverentiæ tuæ exponam ex Historia Ecclesiastica, cui ab ineunte ætate præcipue incubui, didicisse mihi videor ante Francorum Reges *Pipinum* & *Carolum*, summos Pontifices continua fere tum Imperatorum, tum Longobardorum tyrannide vexatos fuisse, ab ea tandem Francorum armis vindicatos. In hujus libertatis assertione Libri mei pars tertia tota versatur, cujus scopus unus est demonstrare Francorum peculiare esse pro libertate Sedis Apostolicæ vitam profundere, Ecclesiam Romanam provinciis maximis ditare, honore & gloria cumulare, contra omnes tam Christianorum, quam Infidelium insultus & furores protegere, à nongentis annis magna animi fortitudine & pietate protectionem istam conservasse, hanc Spartam nactos esse, hanc illis ornandam. Unde tacita complexione popularibus meis colligendum relinquo, non modo Religionis, sed etiam Majestatis Franciæ perduelliones esse quotquot à Sede Apostolica Schisma machinantur. Hæc autem ex post facto non dici testatur Epistola ad Regem, testantur prima & ultima tertiæ partis capita. Testantur innumeri loci quibus hanc veritatem

ritatem quacunque data occasione, probo, inculco; mitto nunc Francorum donationes ex antiquis monumentis erutas, quibus demonstratur provincias Sancti *Petri* vix tertiam partem donationum Franciarum nunc æquare, quæ diffuse tractantur ejusdem partis capite 16. c. 20, 22. quæ adversus Italos & Germanos Historicos disputo, c. 23. Nullam Francos in provincias illas supremæ potestatis jurisdictionem sibi reservasse neque *Carolum Magnum* aut ejus Successores Francorum Reges authoritatem confirmandi Pontifices electos Græcorum more sibi usurpasse: quæ præterea adversus Monarchiam Siculam, c. 30. & indirecte sæpius capitibus præcedentibus.

Vera quidem hæc sunt, opponetur forte mihi, sed hoc agens multa passim inseruisti quæ in Sedis Apostolicæ dedecus vel incommodum vergere possunt. Tria sunt præcipua capita Illustrissime Card. quæ de potestate Pontificis disputari solent.

Primum est de Fide Pontifici Religionis Christianorumque omnium à Christo curam esse commissam. Hanc Doctrinam quamquam in Libro isto purum putum historicum me profitear fuse nonnunquam instituta digressione confirmavi, ut 2 part. c. antepenultimo, & 3 part. c. 3. brevius sæpissime quotiescunque scilicet vel tenuissima occasio id ferre potuit. Secundum

Secundum est ex Ecclesiastica illa potestate temporalem indirecte sequi qua Pontifex, reges & principes si Ecclesiam everſum eant, deponendi jus habet, quæ ſententia omnium ferme est Theologorum; illam tamen Card. *Perronius* toto applaudente Episcoporum Francicorum cœtu, problematicam ſcripſit, contrariamque ab Ecclesia tolerari.

Tertium est Canoniſtarum, qui Pontificem totius orbis Dominum directum à Deo datum esſe contendunt. Sententia iſta, ab omnibus fere Theologis exploditur; in ea refutanda plurimum laborat Card. *Bellarminus*. Nunc autem Eruditiſſime Cardinalis, reus ego ſim, pœnam non deprecor, ſi vel litterulam ſcripſi qua non ſecunda ſententia, ſed tertia, cui tamen *Romæ* liberrime contradicitur, vel leviſſime convellatur. Tanto ſtudio à me præcautum & proviſum est quod quilibet Sedi Apoſtolicæ aſſerit, verbis meis vel tantillum læderetur.

Tertium Fiduciæ meæ adverſus calumniam argumentum fuit eorum qui ante & poſt Libri divulgationem illum recenſuerunt. Ante Libri divulgationem, Doctores Sorbonici quatuor, quorum duo regulares fuerunt, nominibus ſubſcriptis non modo approbarunt, ſed etiam laudarunt. De præcipuis Capitibus Illuſtriſſimum Card. *Berullium* conſulueram, illo conſilium meum appro-

approbante, & Editionem urgente, Typis mandatus, & ad umbilicum perductus est, atque si Deus illi corporis sanitatem dies octo prorogasset ipsemet Regi Librum obtulisset. Antequam enim morbo premeretur, traditus fuerat Bibliopolæ compingendus.

Post divulgationem, innumeri homines, Episcopi, Doctores, Clerici, Monachi, omniumq; Ordinum Laici, diverso quisque consilio atque in congregationem nostram affectu legerunt. Nemo tamen vel syllabam notavit qua Apostolicæ Sedi præjudicium aliquod fieret; quæ publice & mihi privatim in operis laudem dicta fuerunt, prætermitto. Illustrissimus Card. à Rupe Fulcadio postquam oculis Librum lustravit, consilium meum statim præsensit, atque non tantum laudavit, verum etiam mihi dixit se diu desiderasse ut quid simile adversus Schismaticos publicaretur; ipse præterea præ cæteris tum adstante Reverendo Archiepiscopo Senonensi, Librum meque ipsum cum honoris præfatione Regi commendavit. Cui credibile fiet ut acerrimi Sedis Apostolicæ defensores, qui Episcopis & Archiepiscopis ne tantillum pepercerunt homuncionis operibus non modo pepercisse, sed etiam famam procurasse.

His ego fretus Argumentis, Illustrissime Card. sinistros rumores animi securus primum contempsi; verum cum secundis litteris

ris ad aures usque tuas perlatas esse didici, animumque tuum abs me nonnihil alienasse, quamquam nullius criminis conscius, graviter tamen commotus sum: ægerrime enim tuli Illustr. Rever. tuam quam omnium maxime obsequio meo mihi conciliatam velim de crimine me suspectum habere, ad quod semper exhorrui, & ad quod propellendum studia omnia collimo. Sed præter conscientiam, quæ à scopo non aberrasse tot augustis testimoniis confirmatur, dolorem meum solatur æquitas tua, quæ librum, cujus auctor, ut de Apostolica Sede bene mereretur, diu noctuque defudavi, non lectum & examinatum nunquam condemnabit. Si in historia mea aliquid non dicam contra Theologos, sed contra Canonistas protuli; si testem necessitate materiæ coactus citavi qui contra Sedem Apostolicam iniquius loqueretur, quem statim adhibito antidoto non correxerim; si Regis aut Imp. actionem enarrivi, quæ Pontificibus injuriam intulerit, quam Tyrannidis execrandæ non accusaverim. Addam & hoc, si occasionem ullam probabilem de Sede Apostolica granditer & magnifice dicendi præterierim, reus esse volo, nec pœnam deprecor. Historiam ita scripsi, Illustrissime Card. & in Francia hoc tempore scripsi. Quid calumniatores mei confidentius ausuri fuissent, novit Deus, hoc

unum

unum novi, qua in re Sedem Apostolicam læserim, hactenus eorum neminem notasse. Scripsisse me notatum est Avenionem Pontificibus à Francorum Regibus dono datam fuisse. Quid criminis in homine Franco? Verum qui hoc asseruit præter Capitis Titulum, de meo libro, nihil legit. Scripsit *Sciaconus* Avenionem à *Clemente* sexto triginta Florenorum millibus emptam, ego vero octoginta millium pretium fuisse demonstro. Scripsi equidem Avenionem Pontifici à Sancto *Ludovico* donatam, Archivorum Tolosanorum, triumque Historicorum qui tum vivebant, authoritate fultus: sed decimo quinto post donationem anno ab *Innocentio* IV. restitutam fuisse Comiti *Raimundo* eadem authoritate probavi, quæ quoniam ibidem luculente narrantur, importunus essem otioque tuo abuteret, Illustrissime, Card. si huc ista repeterem. Quidquid sit, judicio tuo cadere aut stare volo. Antequam tamen scribendi finem faciam, Illustr. Reverentiam tuam etiam atque etiam rogo, ut me Symbolum meum, æra scilicet minuta duo in Domini gazophylacio conferentem, pilosq; caprarum in ædificium portantem favore & patrocinio tuo protegas; præjudicium enim quod concepisti facile obliteratum iri non dubito. Te Deus quam diutissime Ecclesiæ suæ conservet. *Parisiis* sexto Kal. *Augusti*. 1630.

EPIST.

EPIST. XXVIII.

Renatus Geraldus J. Morino, *De iis quæ Romani Aulici in ejus Libro notaverunt.*

Au Reverend Pere le Pere Morin *Prestre de la Congregation de Jesus.*

MOn Reverend Pere, la grace de Jesus pour jamais. Au retour de la Cour qui a esté aux champs tout le mois passé, j'ay fait comme je vous avois fait dire par le P. benin faure, un extrait de la lettre qu'escrivis au P. Bertin touchant vostre livre, & la communiqua à un Gentilhomme du Card. *Barberin*, grand am du P. *Bertin*, lequel me convia de la bailler au plutost à Mr. *Suarez*, lequel enfin je trouvai à la bibliotheque du Card. *Barberin*, duquel il est le bibliothequaire, qui le receut de bon cœur & le voulut conserver, & me témoigna grande affection, & envers vous & vostre livre qu'il loüe & estime, & le lit par ordre du Card. & est arrivé seulement au 3me livre, & dit qu'il ne presse pas la lecture pour vous favoriser d'avantage, & qu'en belle matiere il est beaucoup meilleur de retarder,

der, que le Card. ni penſe peut-eſtre pas à preſent, & qu'il ne l'en veut pas faire ſouvenir, & que lors qu'il luy redemandera le livre, alors il le luy portera, & luy fera ſon rapport fidellement & le plus favorablement qu'il pourra pour vous, & comme il voudroit qu'on le traittât en une ſemblable occaſion, & qu'apres cela ſi on veut luy permettre il traittera avec vous par lettres, & qu'il y a divers poincts qui ſe peuvent accommoder facilement en faiſant une autre impreſſion, & appoſant quelques marges en certains poincts; Je l'ay voulû convier de vous eſcrire, & vous marquer les poincts, mais il dit qu'il n'eſt bon qu'il vous eſcrive à preſent, parce qu'il ſe rendroit ſuſpect, attendu qu'il eſt commis par le Card. pour voir, & examiner le dit livre; mais qu'apres avoir fait ſon raport, il le pourra faire avec permiſſion, il dit que ce frontiſpice a donné peine au Card. voyant un Charlemagne avec ces mots Italos parere ſubebo, que les Italiens diſent que Charlemagne n'a eu guerre, ſi non avec les Lombards. Il eſtime cela peu, il nous a recommandé de ne laiſſer voir l'autre exemplaire ſinon à perſonnes bien affectionnées, parceque d'autres parleroient & aigriroient l'affaire, il l'eſtonne un peu pour le bapteſme des Conſtantin, & dit qu'on aura de la peine à paſſer ici ce poinct

attendre

attendu la tradition ancienne de St. Jean de Latran, il dit que tous les Autheurs que parlent contre ce Baptesme ne sont approuvez en tous leurs escrits, il s'estonne que n'avés veu un livre, qu'il estime beau par excellence, tout de ce Baptesme de Constantin, fait par un nommé Paulus. Il dit que le Card. a receu bien vostre lettre, qu'il la luy fit lire devant luy, & le Card. la leut encore apres luy mesme, & que le Card. vous affectionne ; mais je vois bien qu'il faudra vous accommoder, & leur donner ici contentement accommodant, expliquant & changeant quelque chose. Pour cette affaire de Mad. la Rocheguion, Mr. Marchand a receu les lettres, mais il y a des oppositions à ce que cette affaire ne passe point sous l'Invocation du St. Sacrement, mais sous telle autre qu'on voudra, parce qu'il y a déja un autre Monastere du St. Sacrement erigé à Paris : pour les frais il seront peut estre de 150, ou 160, ou 180 escus, on ne peut pas asseurer au vray, il m'a dit que c'est Monsieur Joisel banquier qui luy a commis cette affaire, tellement que c'est au Sieur Joisel à qui il faudroit payer l'argent, vous aures maintenant le P. Bertin, par de là qui vous informera de tout ce que je vous pourray servir. Je vous prie de commander librement à celuy qui est pour jamais et

nostre Seigneur, & en sa tres sainte Mere, apres vous avoir presenté nos tres humbles recommandations de tous à vos SS. Prieres & Sacrifices.

Mon Reverend Pere,

A Rome, ce 9 Sept. 1630. *Vostre tres humble & tres affectionné Serviteur* Ren. Gezauld. *Prestre de l'Oratoire de Jesus.*

EPIST. XXIX.

Joh. Morinus Dom. Soari, cui impositum fuerat Onus à Cardinale *Barberino* in Opus illud inquirendi.

Admodum Reverendo Domino, Dom. Soari, *Juris utriusque Doctori Eruditissimo,* Joh. Morinus.

RElulit mihi R. P. Bertius, & qui Romæ est, scripsit Goezellus noster, quam in me sis propenso & amico animo. Lætatus sum plurimum, & congratulatus mihimetipsi amari me à Viro, dignitate & doctrina

doctrina & virtute celebri: nihil amicitia tua mihi optatius contingere poterat, aut laude tua honorificentius. Quapropter non possum non amare illorum maledicentiam cujus occasione, & tibi innotui, & benevolentia tua mihi conciliata est. Fœliciter accidit quod est in proverbio, ἀπὸ κακῆς. Nam eorum diligentiâ factum est, ut liber, quem, si ita loqui licet, personato & fucato titulo præsertim adversus schismaticos & sanctæ Sedis Apostolicæ occultos hostes vernaculè & popularibus tantum meis scripseram, Italiam penetraret, & ad manus usq; tuas perveniret, neque odium quod desiderabant, sed mihi desideratissimam amicitiam tuam pareret: itaque unum votis contendendum superest, ut qua amicitia me immerentem ornare cœpisti, merentem in posterum tandem prosequaris. Hoc ab humanitate tua spero, & studio quo tu litteratissimus in litteras incenderis, me consecuturum confido. R. P. Bertius mecum te plurimum salutat. *Vale.* Atque ut pergas amare me etiam atque etiam rogo.

Datum Parisiis *prid. Kal. Febr.* 1631.

EPIST. XXX.

Idem, Eidem Soarem sibi divincere conatur *Morinus*.

Perillustri & admodum Reverendo Domino, Domino Soario, *eruditissimo Juris utriusq; Doctori.*

TAntam benevolentiæ erga me tuæ fiduciam verba Reverendi P. Bertini dederunt, ut te familiariter uti jam parum verear. Amicitiæ enim beneficio, si quid audeam parum modeste, te excusaturum spero. Exercitationes ecclesiasticas in utrumq; Samaritanorum Pentateuchum in lucem jamjam edidi, Pentateuchum utrumque brevi editurus. Si Romam Librum deferendi occasio sese nunc præberet, in amicitiæ qua me colis μνημόσυνον, merito lubensque mitterem. Lucubrationes meas à te Viro eruditissimo sive probari, sive emendari magni facio, occasionem ideo quamlibet occupabo, qua ad manus usque tuas pervenire possint. Interea indicem capitum quæ toto Libro tractantur, amicitia tua familiariter abutens, ad te mitto. Hæc boni consule, quæso, atque ex iis, velut ex ungue leonem,

non

non tantum de Libro judica, sed etiam propensissimum in te obsequium meum, velim existimes. Nunc istam officii erga te mei demonstrandi occasionem nactus sum, ut opportunior sese exhibeat vehementer desidero. Litteras ad te scripsi Kal. Febr. quibus benevolentiæ qua me incognitum prævenisti, gratias egi, neque beneficii à te accepti non esse immemorem testatus sum: illas te accepisse non dubito. Unum itaque mihi supereſt, ut enixissime te deprecer benevolentiam qua me colere cœpisti conserves, & indies augeas.

Datum Parisiis 8 *Idus Martii.*

EPIST. XXXI.

Josephus Maria Suaresius Joh. Morino, Nævos quos ex ipsius Libro eximendos notaverat, aperit.

Admodum Reverendo Patri J. Morino, *Congregationis Oratorii Presbytero, Viro Eruditissimo,* Josephus Maria Suaresius, *S. P. D.*

GRatias habeo non vulgares R. P. Bertino, quod meum erga te propensum, & obsequiosum animum patefecerit, neque

minores egi Goezello qui perscripsit. Ardebam jamdudum fœdus tecum inire immortalis amicitiæ, quam officiis excolerem, atque litterario commercio sancirem, quod optanti, Divum promittere nemo auderet, volvenda dies en attulit ultro. Conqueror tamen quod infestus tibi casus mihi festus fuerit, sed, ut omnino, utrique faustus erit; etenim si te novi ex litteris, quanta tua est doctrina, tanta inest tibi pietas, perlegi volumen eruditione refertum, & eloquentiæ Gallicæ luminibus & pigmentis respersum atque illustratum omnibus, paucos, veniam dabis amico candido, & libertate Gallica tecum agenti, nævos eximendos reperi, & adnotavi, pressique, & premo me penes, mox in sinum effusurus tuum, nam inter nos ex formula fiduciæ cuncta geri, & inter bonos bene agier oporteret: interim gratias habeo ingentes pro indice Ecclesiasticorum exercitationum ad Samaritanam Pentateuchum, qui tui in me benevoli animi & ingenii in sacris historiis, librisque versatissimi fidissimus, & certissimus index est, mox relaturus pro ipsis Exercitationibus, quas Goezellus a te missas pollicitus est, eas ego jam legi apud eminentissimum Cardinalem Mecœnatem meum, & collaudavi uti decebat. Sed vidistin' illud Tertulliani Fragmentum cum Donationis charta, quæ typis

etiam

etiam Lutetiæ fuere mandata: cum à me prius *Romæ* fuissent in lucem edita, tuam ego de his sententiam rogo; verum priusquam feras, abs te peto, ut ab Illustr. V. Rigaltio epistolæ meæ nuperrimæ acceptum exemplum perlegas, Oratiunculas has æqui bonique consulas, & si ad ambas quibus me antevertisti litteras, datas prid. Kal. Febr. & 8. Idus Martias serius rescribam, mihi, quæ tua est humanitas, indulgeas. *Vale.*

Romæ, Prid. Idus Junias CIↃIↃCXXXI.

EPIST. XXXII.

Joh. Morinus Suaresio, suum de fragmento quodam *Tertulliani* nuper edito, judicium interponit, similiter de excepto quodam ex Epistola S. *Maximi* ad Monachos Siculos.

Clarissimo Viro Dom. Suaresio.

LItteras tuas accepi, simulque Orationes duas, quas coram summo Pontifice habuisti. Utramque statim avide legi, nobilissimamque materiam eloquentia tua exæ-

quante, avidius relegi. Dignissimæ Sedis Apostolicæ Bibliothecario orationes, dignissima maximi ingenii, & ad summa quæque nati ἐγχωρήματα. Quantus assurgere author cum libuerit, quam graviter, vehementer, granditer dicere possit ex hoc specimine non conjicere, sed asserere licet. Itaque duplici nomine mihi fuit hoc munus gratissimum, & quod amicitiæ erga me tuæ μνημόσυνον honorificum, & quod eloquentiæ nitidissimæ & ornatissimæ qua maxime oblector, insigne sit monumentum, tuis præterea litteris admonitus, clarissimum virum Rigaltium adii, qui eruditissimam Epistolam quam paulo ante illi rescripseras mihi legendam mutuo dedit. Tertulliani fragmentum istud ostenderat mihi Reverendissimus Aurelianensis Episcopus, cum primum Parisios Roma allatum est; te autem minime cælabo quid mihi tunc dictaverit animus, suppositum Tertulliano fœtum existimabam, ita etiam censebat doctissimus ille Episcopus, sed in charta Donationis nihil adulterini suspicabar. Verum causa ista recens à me retractata, cumque tuis animadversionibus diligenter comparata, adeo probabilis mihi visa est sententia tua, ut ab ipso livore laudari debeat, αὐτῷ τε τῷ μόμῳ ἀνέκειν. Rationes enim quæ fœtum istum, vel ut dubium, vel ut plane rejiculum à Tertulliani sobole

hole abigere videntur consimilium ex ipso Tertulliano exemplorum redhibitione tanta arte elevas, ut iis consideratis hæc & illa ævo prognata esse eodem nemini non fiat probabile. Legi quoque ἀποσμάτιον tuum, ex Epistola S. Maximi, ad Monachos Siculos, quo manifeste demonstratur Maximum, cum ad Pyrrhum scribens, laudibus eum ornavit, id talionis reciprocatione, atque optimo fine præstitisse, ne scilicet animum jam ægrum exasperaret, sed blandis sermonibus ad orthodoxam fidem revocaret; cuivis enim parum erat credibile tantum Christi Athletam in Monothelitarum impietatem quoquo modo deflexisse, ex cujus disputatione contra Pyrrhum, tot egregia argumenta in Honorii Papæ defensionem jamdiu collegerant doctissimi & celeberrimi Cardinales Bellarminus & Baronius. Quod ad Librum meum attinet, quem præ manibus habes, à te laudari viro laudatissimo mihi erat votis omnibus exoptandum. Aliorum judicia, siqua sunt, minus æquata approbante despiciam securus: merito enim tu mihi es, Vir Erud. πάντων ἀντάξιος ἄλλων. Nævos esse non dubito, si nulli notarentur, hoc amicitiæ condonarem, diligentiæ meæ non vendicarem. Verum quicunque illi sint, summo beneficio me afficies, si horum me admonueris, illos statim cara, ut aiunt,

obedientia

obedientia abstergam, obliterabo, delebo, avellam; judicium enim tuum retractare nefas existimo, longissimeque absum ab eorum sententia qui nævos suos lumina vocant. Hoc unum antequam dicendi finem faciam, à te vehementissime flagito & spero, ut me plurimum ames. Litteris tuis maturius respondissem, nisi lenta febris & continuis me his diebus canicularibus integris detinuisset. *Vale.*

Parisiis, 1631. *Sept.* 16.

EPIST. XXXIII.

Petrus Halloix J. Morino. Laudat illius de Baptismo *Constantini* sententiam, quam suam quoque esse libere profitetur.

Admodum Reverendo Patri P. Jo. Morino, *Congregationis Oratorii Jesu Christi Presbytero*, P. Halloix.

Admodum R. Presbyter, Pax Christi.

Litteras tuas longe gratissimas, & una doctissimum illud συλλογον de Sancto Hyppolyto, nuper recepi, pro quo ingentes

tes tibi gratias ex corde ago. Valde enim gavisus sum intelligere, quidnam super difficili & intricata quæstione sentires, atque adeo quibus de causis ad id sentiendum movereris. Equidem nihil dum video quid illis valide opponi possit, si quid post occurrerit scribam. Nunc enim sum in opere, quod quo propius lucem est, hoc magis me distringit. De Baptismo Constantini magni, quem nemo unquam mihi persuadere potuit alias fuisse quam in extrema ejus vita, lætor ita esse à te pertractatum, ut in mea confirmatus sim sententia. Nam ejus nomine Baptisterium in urbe Roma non alia de causa sic est appellatum, quam quia ipse, ut alia multa, liberali ære condidit. Tuas ad Pentateuchum Samaritanum exercitationes oppido doctas legi & probavi, laudo studium, & annos plurimos ad ea quæ superiunt apprecor, & quem nunc decurrimus, ita opto fœlicem, ut fœliciores ac fœliciores succedant. Si quid mihi esset in manu quo tuos promovere aut sublevare labores possem, id neque exposci, neque expectari paterer, sed ultro & cito mitterem. Verum est enim ad eundem tendentes finem fratres fratribus manum dare. Vitas Scriptorum Græciæ Ecclesiasticorum ordine ætatis stilo meo compositas meditor edere, & scripta eorumdem illustrare, ac defendere ea fere forma quam

in

in S. Justini Philosophi ac Martyris ante annos aliquot expressi. Hinc & ipsorum fragmenta si qua uspiam lateant aut alibi, quam in propriis operibus laudata extent perquiro. Aliud in præsentia mihi R. P. nihil occurrit quod addam nisi vota super vota pro tua incolumitate animi & corporis ad utiles ecclesiæ labores. Ita bene vale mei in SS. precibus memor,

Duaci, xiv Jan. MDCXXXII.

Tuus in Christo, P. Halloix.

EPIST. XXXIV.

J. Morinus Francisco Harlæo, Archiepiscopo Rothomagensi, miris laudibus extollit Archiepiscopi illius libellum Heroico Poemate conscriptum.

Francisco Harlæo Archiepiscopo Rothomagensi, Johannes Morinus S. P. D.

Mihi rure redeunti, redditus est Libellus tuus Heroico Poemate conscriptus, quem *Musarum Solatium* inscribis. Opus quamprimum accepi non legi, sed oculis hausi

hausi, autoris jamdudum admiratione captus, & operis gratissima, æque ac difficillima novitate pellectus. Restincta curiositatis ardentissima siti, non feci fateor, & culpam deprecor, id quod oraculo facere jubentur Crotoniatæ δῶρον δ' ὅτι δῷ τις ἐπαίνει, quodque plebeio fertur adagio, quid plebeium voco quo usus est S. Hieronymus, *noli dentes equi donati inspicere*, introspexi enim & attente legi & consideravi ingeniosissimum illud & eloquentissimum Poema, nihilque spem meam fefellit, aut admirationem præceptam minuit. Idem mihi accidit quod splendida palatia, aut ingentes montes prospicientibus. Eminus palatiorum mirantur lata mœnia, minaces turres, sublimia tecta, totiusque operis molem & splendorem, cominus vero murorum compages, vestibula, porticus, tabulata laquearia, universamque architectonicen stupent: montium quoque magnitudo quo propius accedimus, eo procerior & altior apparet; ita mihi Poema tuum minutim consideranti, & ad singula verba mentem advertenti, quæ prius ἐν πλάτει, ut ita dicam, & in fasce elegantia, erudita, & ingeniose elaborata judicaveram, admirationi fuere, meque tenuis & jejunæ laudis pœnituit. Quis in rei impeditissimæ descriptione quam versus horret, perspicuitatem non miretur? Quis hortorum ambages, undarum

undarum mæandros magnificentissimi ædificii, ut cætera prætereant, triumphales statuas graphice effictas non suspiciat? Ad istorum spectaculum Academicos frustra invitas, visendi studium hospitibus nam reddis inane, cognita sic facili carmine cuncta patent, ut non minus acute quam eleganter de Poemate tuo cecinit qui hæc spectat eruditus N. Sealopier. Quis sententiarum lumina, schematum varietatem, verborum majestatem, poetici denique promptuarii ornamenta omnia deprompta, & juxta uniuscujusque rei indolem, decusque nativum collocari non stupeat? nullibi autem Pygmæorum, ut aiunt, acrothinia colosso adaptari, sed grandia granditer dici mediocria temperate, humilia terse, omnia copiose & ornate. Itaque duplici nomine gratias habeo tibi maximas, quod incomparabili poetices specimine me beasti, & quod mei memoriam ex animo tuo obliterari non permisisti, hanc ut in æternum conserves, etiam atque etiam rogo. Vale, & me tibi devinctissimum ama.

Parisiis, xi *Kal.* Sept. 1632.

EPIST.

EPIST. XXXV.

Idem eidem simili ratione laudat Archiepiscopi illius Opusculi de Sacræ Eucharistiæ Mysterio juxta S. *Augustini* Sententiam.

Francisco Harlæo Archiepiscopo Rothmagensi, Johannes Morinus *S. P. D.*

ACcepi Opusculum tuum de Sacro Eucharistiæ mysterio juxta S. Augustini sententiam explicato. Cum autem negotiis quibusdam literariis eodem tempore impeditus essem, attentam illius lectionem quatuor aut quinque dies distuli, donec aliis curis expedito huic uni incumbere liceret. Neque enim pro tua in me benevolentia tibi gratias agere, proque merito tuo tam doctam lucubratiunculam digne gratulari me posse existimavi, nedum quanto ornamento hæc una appellatus decorata sit Ecclesia Catholica tenuiter describere, nisi prius tam pretiosi thesauri reclusis adytis singula illius γυμνάσια lustrassem. Legi itaque, & perlegi libellum tuum, miratusque sum cum, cujus scripta varia legeram, alia adversus hæreticos, non loquentia latine aut prantia, sed

ſed fulgurantia & tonantia. Alia poetice ludentia, & in aſpera materia pegaſeum melos reſonantia, tam repente vernaculam linguam adeo emendate eloqui, ut nihil elegantius, adeo eloquenter, ut nihil ſplendidius. Arnobium, ut recte notaſti, caſtigat S. Hieronymus, ut inæqualem, & nimium, & abſque operis partitione confuſum. At vero quamcunque in partem tua verto & inverto te tibi ſemper æqualem deprehendo, ſive Latina Latinis comparem, Gallica Gallicis, ſiue hæc χιαστῶς permiſceam, ſermo nuſquam tumidus, nuſquam jejunus, nuſquam redundans, nuſquam exanguis, ſed ubique ſanus & vividus, rationibus preſſus, ſenſu ſublimis, figuris effloreſcens, affectibus concitatus; ſalibus paſſim intertextis jucundus, nunquam diſſolutus. Quid partitionis lumen prædicem, cum adeo fulgeat ut vel cæcum oculare poſſit & Myopem excæcare. Auſim itaque adulatione exploſa, veritate ſuadente, quod ex S. Hieronymo de S. Hilario animadvertiſti hac in cauſa uſurpare, Gallicano cothurno attolleris & cum Græciæ floribus adorneris, non longis interdum periodis ut hilarius involveris, ſed ubique compoſitis, numeroſis, teretibus, limpidiſſime fluis. Sane naturæ videtur hoc adagium, non omnis fert omnia tellus: unde merito Hectorem monet Æneas apud Euripidem,

'Αλλ'

Ἀλλ' οὐ γὰρ αὐτὸς πάντ' ἐθέσασθαι βροτῶν
Πέφυκεν, ἄλλῳ δ' ἄλλο πρόσκεσθαι γέρας.

idem iis sacris donis evenire multis docet gentium eloquentissimus Apostolus, 1 Cor. 12. *Divisiones Gratiarum sunt, &c.* Ideo poeticen tentasse Demosthenem nunquam legimus, id fecit Cicero, sed infœliciter; neuter eloquentiæ vernaculæ limites egressus est. Quædam Cicero adolescens græce periclitatus est, sed umbratilem exercitationem potius prolusit, quam serio dixit; quapropter ipse omnia ejusmodi obliteravit, nec unquam ab umbra in apricum eduxit. Absolutam perfectionem mortalibus invidisse natura videtur, ut cum divinæ & humanæ naturæ participes sint, divinam ita cogitent ut humanæ non sint immemores. Verum quidquid tibi libuerit, natura insolenter indulgens tibi concedit, omnia quæ ferre jubet contra morem fœlicissime unam & eamdem tellurem; cui igitur potius gratuler, anceps sum, tibi an S. Augustino, an Ecclesiæ Catholicæ; tibi, qui fortissimum civem ex hostium manibus fortissime ereptum, reipublicæ Catholicæ reddidisti: S. Augustino, quod calumniæ quibus sanctissima ipsius doctrina ab hæreticis appetitur ac obtenebratur, eloquentiæ tuæ fulmine tactæ penitus evanuerint:

vanuerint: Ecclesiæ quæ celeberrimum doctorem suum hostium contumeliis laniatum corpore toto, & lacerum crudeliter ora Æsculapii Rothomagensis studio & opera, sanum & integrum recepit. Sed his omnibus simu, vehementissime gratulari nos oportet, immo Augustinus, immo Ecclesia tibi summopere gratulantur: Augustinus enim Civicæ Coronæ ob sui salutem tibi reus est. Ecclesia vero Catholica ob victoriam de hæreticis reportatam, triumphalis & aureæ: Conatibus quos quotidie pro Ecclesia capessis ingentes, faveat Deus, faxitque ut ex iis frugem boni omnes colligant quam opimam.

EPIST.

EPIST. XXXVI.

Dominus de *Peyresc* J. Morino, de variis Pentateuchi Samaritani exemplaribus M. S S. similiter de aliis gentis illius Libris quos ex Oriente adsportari curaverat, prolixius scribit.

A MONSIEUR.

Monsieur le R. P. Morin Prestre de l'Oratoire.

Monsieur mon R. P.

J'Ay porté avec un extreme regret le retardement du voyage de celuy, qui s'estoit chargé de porter à Paris mes Pentateuques Samaritains, & autres livres & papiers venus de Levant, que vous eussiez receus bien long temps ya, si mes voeux eussent peu sortir à effect; mais ils ont esté traverses tantost par l'interruption du commerce, que la peste de Lyon, & de ces pays de deça renouvellée à diverses reprises avoit causée; tantost par les desordres publics dont cette pauvre ville a esté affligée pendant quelques temps, & tantost par des

maladies qui nous ont assailli par plusieurs fois, tant le Fr. Prieur de Roumoules qui en devoit estre le porteur comme moy dont nous n'avons gueres eu de relache, ni l'un ni l'autre durant la plus part de ce temps là, outre ce que Monsieur de la Poterie Maistre des Requestes intendant de la justice en cette Province, m'avoit tenu quelques mois dans l'esperance qu'il les feroit porter avec ses hardes ; n'aiant pas crû que le Roy l'arrestast si long temps comme il a fait par deca : c'est pourquoy j'estime que quand vous prendres la peine d'en vouloir scavoir la verité, vous me trouverés plus excusable qu'on ne se scauroit possible imaginé : attendu mesme que comme du commencement on m'avoit mandé que Mr. le Jay ne pretendoit pas se prevaloir du Pentateuque Samaritain en l'edition de sa grande Bible, que pour en faire enricher des notes sur son texte Hebraique aux endroits ou les diverses lecons pourroient estre plus considerables. Lorsque par aprés il se fut resolu d'imprimer le texte Hebreu des Samaritains, nous entimes quasi aussitost l'advis qu'il estoit sous la presse de ja grandement avancé comme celuy de sa resolution de l'imprimer, de sorte que nous avions sujet de croire qu'il avoit tout ce qui luy pouvoit estre utile à ce dessein, & qu'il n'avoit gueres

affaire de nos livres. Toutefois ayant sceu depuis qu'il y avoit quelque regret, & que vous desiriés de les voir, j'ay esté bien aise de les vous faire communiquer estant, très-veritable que je ne suis nullement jaloux de ce que j'ay, & que le principal but de toutes mes recherches ne tend qu'à en aider le public, ou à en faire part à ceux qui en peuvent estre curieux, & qui en peuvent mieux faire leur profit que moy dans les infirmités qui me suivent depuis quelque temps; tant est que j'estime que le dit Fr. Prieur de Roumoules soit à ses heures à Paris avec ma caisse de livres, & que Mr. du Puy vous aura mis en main tout ce qui s'y sera rencontre de vostre goust, estant bien marri de n'avoir peu contribuer à vos doctes labeurs des pieces plus dignes de vous, & qu'elles ne soient moins defectueuses que ce qu'elles sont, mais en matieres de vieux livres qui viennent de si loin, & dont il faut aller faire la conqueste parmi des peuples si barbares, il se faut contenter de ce qu'on en peut arracher de vive force, & s'en prevaloir au moins mal que faire se peut. Vous y trouverés trois volumes, & par consequent trois divers exemplaires du Pentateuque Hebraique des Samaritains, dont le plus ancien qui est in quarto, est defectueux de plusieurs cajers, tant du com-

mencement de la fin, & le plus recent (qui eſt en plus grande forme in folio, & qui n'eſt pas de guere plus de ſoixante & dix ou douze ans d'antiquite) n'eſt imparfait que d'un ſeule page de ſon commencement; mais l'autre qui eſtoit le plus important de tous, & qui comme des tritaples eſt eſcrit par triples colomnes en chaque page (qui contient non ſeulement le texte Hebraique primitif, mais auſſi l'ancienne verſion Arabique, & une troiſieme vulgaire que vous aimes mieux appeller Samaritaine que Syriaque) eſt imparfait en tant de divers endroits, qu'il y a bien dequoy deplorer qu'un ſi digne piece ſoit paſsée par de ſi indignes mains, & qu'elle en ſoit demeurée mutilée ainſi de la ſorte, dont je regrette principalement le commencement à cauſe de la conformité des nombres des années, de l'age de ces anciens Patriarches qui eut eſté bonne à examiner en ces deux verſions auſſibien qu'au texte Hebraique, & le livre ſembloit eſtre de ſi bonne marque, ſelon ce qui ſe trouve cotté tant à la fin de l'Exode, que toute la fin du volume depuis plus de quatre cents ans de l'autre qui meritoit bien d'eſtre tenu en plus grande conſideration que beaucoup d'autres. Vous y aures par meſme moyen une petit Lexicon des Samaritains pour les meſmes trois langues, qui eſt pareillement

lement imparfait de plusieurs feüilles à mon grand regret pour l'amour de vous; mais encore en vaut il mieux, si je ne me trompe, avoir ces fragmens que nous en aurez, que de n'en avoir point, & toujours n'est il point si moderne qu'il ne soit de plus de cent cinquante ans. Vous y aurez encore en teste du plus moderne Pentateuque un feuillet d'un plus vieux Pentateuque où il n'y avoit que la version Arabique *è regione* de l'Hebraique avec quoy on avoit pensé suppléer la defectuosité de cet exemplaire où c'est que ce petit supplement est possible plus considerable que tout le reste du volume: mais dans les grands tritaples vous verrez avec quelle simplicité un bon homme de qui on les a recouvrés, avoit pensé suppleer les defectuosités en faisant transcrire en characteres Syriaques tous les cajers que vous y trouverés au commencement du texte Hebraique, & en dechirant un autre vieux Pentateuque Hebraique escrit en papier de damas, escrit pres de cent quatrevingt ans, ya pour en entrelasser quelques caiers & quelques feuillets aux endroits ou l'on en avoit arrache aucuns dans cet exemplaire des tritaples Samaritains. Vous aurez en outre divers petits cajers, ou feuillets volants qui ne sont que fragmens de diverses pieces, ou autres escritures des Samaritains,

maritains que j'ay fait assembler en un petit volume nonobstant leurs imperfections, pour ne rien negliger de tout ce qui peut se retirer de leurs mains où c'est qu'il y aura possible quelque petite chose à profiter quand ce ne seroit qu'en la comparaison de quelques petits escrits Arabiques, avec une autre langue qui semble assez differente de la troisieme colomne des tritaples que nous avons prises pour quelque plus particulier jargon des Samaritains que le commun Syriaque, dont vous serez je m'assure meilleur juge que nous. Finalement vous y aures deux autographes originaux de lettres escrites à feu Monsieur Joseph della Scala, tant par la Synagogue des Samaritains au lieu de Sichem, lesquelles lettres missives ne sont jamais tombées es mains dudit Sr. Scaliger, qui eut esté infiniment aise d'y apprendre la reponse de tout plein de questions qu'illeurs avoit faites, dont il pretendoit se prevaloir vrai-semblablement en ses estudes Chronologiques, & dont je m'assure aussi que vous pourres tirer beaucoup de fruit, si vous daignes prendre la peine de les examiner. Je ne scay comment elles estoient tombées entre les mains de feu Monsieur de Genebrard, qui eut pris plaisir sans doute d'en voir le contenu, s'il se fut donne la peine de les traduire comme il le pouvoit; car il y a de

tres

tres belles curiositez pour les usages & observances de cette secte là qui emprunte des usages de l'Eglise * Romaines, les reglemens de leurs festes mobiles, & de leurs computations plus importantes. Aureste je croy bien que vous aures fait faire instance en Hollande pour avoir la communication du Pentateuque du Sr. Golius, puisque c'est vrai-semblablement le texte de la version contenu en la troisieme colomne des tritaples Samaritains que vous voules faire joindre à leur texte Hebraique en vostre edition; car il importe de ne la point publier que bien correcte & bien complete, ce que vous ne scauries faire avec l'exemplaire du Sr. Pietro della Valle, non plus qu'avec le mien, puisque le mien est imparfait en tans de divers endroits, d'autant que celuy du Sr. Pietro della Valle est si mal correct, qu'en aiant seulement voulu conferer les deux versets du Deuteronome, dont m'aves ci-devant envoiê copie, qui sont le 27 & le 28 du 12 chapitre, nous y avons trouvez plus de huict ou dix paroles, où l'on avoit obmis, ou changé, ou transposé des lettres, essentielles qui en alteroient grandement le vray sens, & en d'autres y avoit des lettres re-

doublées,

* *Id verum non est; Consule Vir. Jo. Morini, qua his Epistolis prafixa est.*

doublées, ou surabondantes, qui agriſſoient un peu la douceur du language Syriaque: les diſtinctions meſmes y eſtoient ſi fautives (comme vous l'aviez remarqué en d'autres paſſages) qu'en un endroit on l'avoit mis apres la premiere parole d'un nouveau verſet, & poſſible n'eſtre que pour telles incorrections ou barbariſmes. Que vous aviez fait difficulté de prendre ce language pour vray Syriaque, comme vous aviez fait, pour raiſon dequoy je me rapporterai toujours volontiers à vos bons advis. Or je ne trouverois pas eſtrange que l'exemplaire dudit Sr. Pietro della Valle fuſſe plus negligement eſcrit que les autres, puis qu'il n'eſt qu'en papier, & non parchemin, & par conſequent qu'il n'eſtoit fait que pour ſervir à l'uſage de quelque perſonne particuliere, là où les copies faites en parchemin pouvoient ſervir à l'uſage public des Synagogues, pour lequel vrai ſemblablement il faloit qu'on y regardaſt de plus prés. Je regrette beaucoup plus la perte des cajers qui manquent en mon exemplaire Tritaple pour la verſion Arabique, que pour les autres deux textes, leſquels ſont beaucoup plus conformes l'un à l'autre que l'Arabique, à cauſe que dans l'Arabique il y a certaines petites diverſités de paroles capables de fournir de tres belles conceptions à

ceux

ceux qui y voudroient mediter, & rechercher l'energie des unes & des autres ; mais je ne sçay s'il se trouvera jamais de moien de perfectionner & suppléer les deffauts de mon Exemplaire, pour le texte de cette version Arabique. Celuy qui me la fait recouvrer en la ville de Damas y est retourné pour l'amour de moy, & usera de toutes les diligences possibles pour en venir à bout, & pour fouiller le plus avant qu'il luy sera possible tans toutes ces familles des Samaritains, qui restent non seulement en la Syrie, mais aussi dans le Cayre, où il veut aller repasser une seconde fois devant que s'en revenir en Chrestienté. S'il recouvre quelque chose que je juge vous estre duisable ou à Monsieur le Jay, vous pouvez vous assurer que je vous en feray telle part que vous voudrés, & que je voudrois bien avoir peu contribuer quelque chose pour faciliter l'Edition si parfaite & accomplie de ces Pentateuques Samaritains, qu'il n'y eusse rien à desirer pour l'importance de la publication d'un si rare monument de la plus haute antiquité lequel nous avoit fourni un entretien des plus agreables que nous eussions jamais favouré en matiere de livres. Des la premiere ouverture que nous fismes de ce volume tritaple, où nous rencontrasmes par hazard au premier mot que nous vous-

lus-

lusmes dechifrer le nom de Benjamin, avec une M. finale au lieu de l'N. finale du texte Hebreu des Juifs, dont l'Etymologie avoit donné tant de vexation aux SS Peres, qui ne s'y fussent pas tant tourmentés, s'ils y eussent veu cette lettre qui rapporte l'Etymologie à la vraye qualité de la naissance de cet enfant aux jours de la vieillesse de son pere: ce qui nous mit en tel gousi, & en telle impatience, que nous ne nous peusmes pas retenir d'entreprendre & achever dans le moins de temps qu'il nous fut possible la collation de tout ce que nous avions de ce texte, avec celuy des Juifs, & avec les Septante, ou nous admirasmes bien comme vous la rencontre de tant de grands & importans supplemens qui s'en pouvoient tirer, & que vous aves si dignement remarques, dont je donneray incontinent un mot d'advis à Mss. du Huy, qui ne tarda pas d'estre suivi de l'eschantillon qu'il vous en firent voir. J'ay appris que dans le Vatican, il a esté mis depuis peu un exemplaire bien entier d'un Pentateuque des Samaritains, & aiant fait voir ce que c'estoit, on m'a assuré que ce n'estoit que le simple texte Hebraique; j'ay appris aussi qu'il y en avoit un autre dans la Biblioteque del l'Empereur à Vienue, dont le Bibliothecaire avoit promis un eschantillon que je luy en avois fait demander par le Sr.

Lucas

Lucas Holſten. afin de voir ſi la verſion Arabique ſe pouvoit ſuppléer, mais je penſe que ces grandes guerres du Roy de Suede nous ont oſté le moien d'en avoir la reſponſe, neanmoins, j'ay creu vous en devoir tenir adverti, en cas que voſtre curioſité vous portaſt à vous en enquerir par autre voye. Il me reſte à vous dire ſur le ſujet de voſtre livre des exercitations, que je vous ſuis trop redevable de l'honneur que vous m'aves voulu faire, & je ſuis bien marri de me rendre ſi indigne comme je ſuis, de la bonne opinion que vous aves voulu prendre de moy, & de me ſentir les reins ſi foibles comme ils ſont pour y pouvoir reſpondre ainſi qu'il ſeroit requis; mais comme c'eſt de la ſeul bonté de voſtre naturel, que vous vous eſtes porté à me faire ſentir de tels effets de voſtre bonté, & de vos bons offices, il faut que voſtre meſme courtoiſie & honneſteté ſupplée mes defectuoſites, & vous en face admettre les excuſes qui ne ſeroient pas recevables ſans cela, en attendant que Dieu m'ouvre de meilleurs moiens de vous teſmoigner l'eſtime que je faits de noſtre vertu nonpareille, & à combien grande faveur je recois l'honneur de voſtre bienvueillance, & de pouvoir paſſer pour l'un de vos tres-humbles ſerviteurs. J'ay veu ce que vous eſcrives des cicles anciens, &

crois

crois bien que je pourrois fournir à vostre curiosité quelque chose de plus que ce qui vous en est tombé en main, car j'en ay plus de trente pieces differentes, & de differente proportion tant d'argent que de cuivre, entr'autres le demi Sicle avec toute son inscription bien entiere, & plusieurs pieces qui portent le nom de Syon, que vostre Rabi Moses Alascarin avoit remarqué de son temps, dont l'un me fut donnée des l'année 1606. de la main de feu Mr. della Scala, qui n'avoit pas pris la peine de la vouloir lire & deschifrer, & qui voulut absolument que je l'emportasse aussitost que je luy en eu dit mon avis: j'ay encore plusieurs pieces battües dans la Judée sous les Rois Herodes & autres Princes, qui peuvent bien aider ce qui est de l'histoire sainte, mais ce n'est pas matiere en un mot qui puisse estre avidable par des simples lettres missives; si vous faisies quelque voyage à Rome, je prendrois grand plaisir de vous gouverner quelque journée en passant. J'ay mesme bonne quantité de médailles en lettres Phœniciennes & Puniques, & à recouvray ces jours passés du costé d'Afrique, une assez grande inscription tirée d'un Mausolée d'importance, qui est pareillement en Caracteres Puniques, dont les figures meritent bien d'estre examinées curieusement

cusement, principalement celles qui peuvent avoir quelque rapport avec la figure de quelques uns des Caracteres Hebraiques anciens, ou modernes Samaritains, dont il importe bien de donner l'Alphabet en son ancienne purité; car il est bien vray, que la longue suitte de tant de siecles, a fait que les Samaritains y ont alteré beaucoup de choses assez considerables, principalement en la lettre Tau, comme vous l'aves tres doctement observé; & si vos presses ne fussent allées si viste, il y auroit possible eu moien de rendre vos matieres, ou caracteres, un peu plus gentils sans s'eloigner de la vraye forme de ces caracteres Samaritains, qui se trouvent dans les livres plus anciens, & de meilleure marque, principalement en ce où le caractere moderne se trouvoit avoir retenu sa forme plus approchante de l'antique, & particulierement pour la lettre Vau: je n'aurois pas voulu laisser la concurrence du plus grand nombre des MSS. pour en suivre un tout seul, mais il estime qu'il seroit trop tard pour y apporter aucun remede, puisque j'entens que l'edition de tous vos textes est deja si avancée, Je ne voudrois insister principalement qu'à faire agir toute sorte d'honnestes & licites moiens d'obtenir des Estats de Hollande, ou du Sr. Golius la communica-

tion

tion de l'exemplaire que feu Mr. della Scala avoit des livres de Josué, des Samaritains, qui meriteroient possible d'estre imprimés à la suite de vostre grande Bible, ou pour le moins de passer par vos mains, ou de quelque autre qui possedast bien la langue Arabique, & qui vous peust donner quelque petit abregé de toutes leurs Chronologies, ce n'estoit que pour parvenir à ce dessein là que Mr. della Scala avoit fait tant d'instance pour avoir le Pentateuque des Samaritains, & principalement la version qu'ils en avoient en Arabe, pour apprendre le moyen d'interpreter plus certainement selon leurs sens lesdits livres de Josué, à quoy je vous prie de songer à bon escient, & de me commander librement en tout ce que me jugerés propre à vostre service, comme celuy qui veut estre à jamais sous vostre bon plaisir.

Monsieur mon R. P.

A Aix, 8. Nov. 1631.

Vostre très-humble & obeïssant Serviteur,

De PEYRESC.

EPISTOLA XXXVII.

Thomas Comberus J. Morino, De exemplari quodam M. S. Pent. Samarit. quod erat in Anglia.

Reverendo admodum Doctissimoque Viro D. J. Morino, *Congregationis Oratorii Presbytero.*

Reverende admodum D. Vir Clarissime Doctissimeque.

Cum resciissem partim ex fama, ad nos per librarios perlata, partim ex prævviis quibusdam lucubrationibus tuis, editionem Bibliorum SS. instructissimam, & cæteris omnibus locupletiorem Parisiis à vobis adornari, avide sane aures animumq; advertí, maxime vero præter additamenta, ornamentaque cætera, Samaritanam quoq; supellectilem nobis Europæis hactenus per secula complura incognitam, & à paucis aliquot desiderari jam cœptam eidem accessuram esse, equidem serio gaudebam. Dabit ea res cum utilitatem, quod tu affatim doces, multiplicem; tum etiam voluptatem è re veteri pariter & nova emersuram. Neq; vero ab Ecclesia alienum quidquid ad Scripturæ nomen pertineat, existimandum est,

nedum Samaritarum hoc insigne Καιμήλιον, ubicunque tandem locorum illud abditum, vel quibuscunque hominibus creditum delituerit, quod à custodibus suis jam profugum, in Ecclesiæ sinum se recipit. Τῇ ἀληθείᾳ πάντα συνῳδὰ, inquit Philosophus, idque usu ipso ita esse comperimus, in veritatis scilicet choro cuncta concinere, & vel discrepando erroris sui indicium, vel consensu harmonicam dare. Sapientiæ quoque divinæ illud ingens argumentum habemus, quæ multa cum diu tanquam semina occultaverit, suo tempore in usum proferre novit. Sed hujus rei fructum uberiorem cum ipsa voluminum editione expectamus, quibus coemendis & pretium seponimus. Nunc quid hoc officii sit quo te homines ignoti longeque diffiti interpellamus, si placet paucis accipe.

Editionis hujus novæ non parum interesse scimus, ut ea plurimorum collatione codicum confirmata in lucem exeat, sed hanc copiam optare his locis, quam sperare promptius. Cum igitur penes nos id genus quiddam haberemus, quod ad rem vestram facere videretur, hocque vobis oblatum haud displicuisse intelligamus, id juris vestri, promissi fidem evolventes jam facimus. Quod si forte hæc unde aut qualia sint requiritis, hoc etiam candoris est nostri ostendere.

Exemplar

Exemplar Samaritanum sat pulchrum, Hebraâ linguâ, charactere Samaritico, sibi ex Oriente comparaverat R. Archiepiscopus Armachanus J. Ussherius Hibernus. Is cum apud nos aliquot mensibus ageret, re cum studiosis quibusdam communicatâ, factaque Codicis sui copiâ, differentias conferendo annotari, & in usum quoque nostrum describi non ægre pro humanitate sua concessit. Liber ipse fere in forma Folii, vel Quarti majore, ita fuit exaratus, ut non versibus usitatis, sed periodis, vel pericopis potius longioribus, pars quædam comprehenderetur, & relicto spatio distingueretur, singulæ fere paginæ tribus forte ejusmodi, vel pluribus pericopis. Quæ res annotari, nisi totum describendo, non poterat; voces item singulæ, interposito puncto, distinctæ. Litterarum quarundum inter se non eadem hic similitudo apparet, quæ in Hebraicis, ex qua re infinita pene judicandi materia subnoritur. Quæ à clarissimo Viro J. Seldeno nostro citata memoras ea, ne forte plura exemplaria suspicamini, ab eodem fonte esse sat scimus, & ipse præfatione ad marmora sua testatur. Codicem ipsum si quid inspici sit opus, in bibliotheca Oxonienſi jam servari accepimus. Unum forte audire non pigebit. Venerat tum temporis ad nos Judæus quidam Italus non incelebris, is inspe-

&to libro, hic liber, inquit, si in manus incideret nostras, esset comburendus, neque enim fas nostris alia litterarum forma, quam usitata, scripturam edere, nec vero alia lingua, ad verbum, sed tantum paraphrastice eam interpretari. Hæc ille ex Judæorum sensu. Nostros quod attinet, præsertim vero eos qui Hebræo Judæorum textui addictiores sunt, licet sufficere etiam versiones non inficientur, hoc unum forte dabit solicitos, quo numero & loco, quo honore & gradu Samaritana hæc, eodem scilicet & pari, an etiam priori quam Hebræa, sint habenda, Quibus enim aiunt concredita sunt eloquia Dei? Quæ ab Esdra sunt, potiora dicis, an quæ à Dositheo & Zacharia? Sed de his plura & meliora vobis sub prælo esse non dubitamus. Vestrum jam erit Vir Rev. quod candide offerimus æqui boniq; consulere: Prolixitati etiam huic nostræ in quam nec opini incidimus amice ignoscere, Jam enim vobis studiisque vestris bene precati epistolam claudimus. Vale V. R. meque vicissim tibi commendatissimum habe.

E collegio Sanctæ & Indiv. Trin. quod est apud Cantabr. Apr. 25. 1633.

Rev. Vest. Studiosissimus Amicissimusq;

Tho. Comberus.

Quod

Quod serius hæc ad te veniant, in causa quidam fuit, qui duorum Librorum annotata ita detinebat, & adhuc detinet, ut ea retrahere nullo modo possimus. Quæ tamen si expetantur, operam dabimus ut postea mitti possint.

EPIST. XXXVIII.

J. Morinus *Tho. Combero* gratias agit ob missas ad se ab eo Codicis Samaritani cum Indice Hebræi collati varias lectiones exemplariorum quatuor M. S S. Pentateuchi Samar. formam transcribit *Morinus*, cum variis in illud Argumentum Animadversionibus.

Thomæ Combero Carlilienſi Decano.

Ampliſſime & Erud. Dom.

ACcepi litteras tuas, quæ mihi non potuerunt non esse gratissimæ, cum amicitiam tuam quamplurimi facio, quamque diligenter excolendam mihi propono, non modo ultro offerant, verum etiam facto comprobent teque demonstrent, οὐ γλώσσῃ φίλον ἀλλὰ ἔργῳ. Simul enim cum humanissimis

tuis litteris accepi codicis Samaritani, qui penes vos est, à Judaico textu varietates. Rem mihi perjucundam fecisti, & magnorum Bibliorum apparatui instruendo perutilem, alias, non ego tantum habeo tibi gratias, sed habebit publica rei Christianæ utilitas. Trium tantum Librorum Mosaicorum cum textu Hebræo collationem ad me misisti, duorum qui supersunt collationem eadem animi tui benevolentia fretus, te missurum spero, atque cum occasio sese obtulerit, ut mittas impensissime rogo. Paucis, Vir amplissime, quoniam res ipsa id mecum quodammodo expostulat, & tu ansam præbes, de Samaritanis codicibus differam: paucis, inquam, nam temporis brevitate plurimum urgeor, nec præsentissimum tabellarii discessum negligere debeo, ne officii mei longiori comperendinatione, beneficii tui immemor, vel tantisper existimer. Sunt mihi quatuor exemplaria manuscripta codicis Hebræo-Samaritani. Primum integerrimum in vitulina pelle majoribus & elegantissimis Characteribus descriptum. In fine Exodi scriptum est, *quadringentis argenteis Damasci emptum esse anno Arabum* 782. In fine Geneseos, litteris maxime attritis, & alia Exodi adscriptione longe antiquioribus scribitur, *ad summum Damasci Sacerdotem pertinuisse*. Sacerdos ille istum codicem aut retractavit,

tractavit, & emendavit ipse, aut id fieri curavit, ante annos quadraginta non serius exaratum existimo. Hunc Manuscriptum codicem in editione nostra secuti sumus. Secundum est trilingue, Hebræo-Samaritan. Arabicum & Samaritan. scriptionis æra adnotatur Ismaelitarum Anno 620. Itaque annis 400, vetustior est, sed Geneſ. capita 23 integra desunt, & 34 major pars, & alibi nonnullæ sunt aliæ lacunæ: Tertium, admodum antiquum & detritum videtur, minori forma complicatum est, alia enim expanso folio exarata sunt, sed desunt septemdecim Genesis priora capita, & Deuteronomii 27 postrema. Quartum est integrum, priori folio excepto, quod alio inserto refarcitum est, sed recenter scriptum ante annos circiter 70, eleganti & magno charactere. Quintum Exemplar, Vir clarissime, tuum erit. Excudi præter ea, curavimus istius Pentateuchi versionem Dialecto Samaritano factam, cujus exemplar integrum Romæ nacti sumus, præter illud quod in columnato nostro codice habemus. Hæc sunt quibus utimur exemplaria. Illa versuum distinctio quam describis, est omnibus exemplaribus communis, atque exacte & rigide ab iis observatur; vocant distinctiones istas פרקי *Lectiones*. Periodorum vero distinctio apud eos, fere ut apud nos est arbitraria; de his

plura in Exercitat. noſtris ad Samarit. Pentateuchum. Horum omnium exemplarium maxima eſt conſormitas, ſi dictiones ſpectes, non autem ſi litteras: in duplici enim hypotheſi illa comparanti nonnunquam deprehenditur. Prior eſt, cum litteræ יהוא, quas Judæi matres pronunciationis vocant, ſubaudiuntur apud Hebræos, tum nonnunquam unum exemplar illas exprimit, alterum ſupprimit, verbi gratia, *Gen.* 50 25. Judæi codices legunt משבע, ſic etiam duo ex meis alia duo cum tuo addunt Jod משבעי Hinc colligitur Samaritanos ibi pronunciare משבע non משבע; pronunciatio enim *Kajasbia*, ſeu litteræ Jod ſcriptori occaſionem dedit illam inſerendi, ſic 2, 15. ejuſdem cap. tuum, & duo ex meis ſcribunt משבא, alia duo inſerunt Jod. Ratio hujuſce rei eſt, quod dicunt Judæorum Grammatici poſt motionem longam, ſubaudiendam unam ex matribus lectionibus, ſcilicet poſt Chiric & Tzere, Jod; poſt Kamets, Aleph; poſt Cholem & Schurek, Vau. Nonnunquam Textus Hebræus illas exprimit, nonnunquam reticet. Itaque ſæpe tranſcriptores in hoc variant; iſtaque Variatio apud Judæos a Maſoretas creberrima erat, atque etiam nunc in ipſis Iſraeliticis numiſmatis conſpicitur, poſt Maſoretas longe minus frequens; multa tamen poſt illud

ſud tempus, illius oſtenduntur exempla, ſed quidquid ſit, variationes ejuſmodi dictionis ſignificationem non variant, ſed pronunciationis adjuvandæ cauſa tantum contingunt. Multo rarius in Littera Aleph varietas contingit. Poſterior hypotheſis eſt permutatio Litterarum Gutturalium אהחע; non omnino ſine cauſa dixit R. Benjamin, Samaritanos tres litteras ע. ח. ה. non habere; omnes enim Gutturales, ut א pronunciant, atque ideo in verſione ſæpiſſime videas in una pagina eamdem dictionem modo per ע, modo per ח modo per ה, ſcriptam, Ain ſæpe pro Aleph & pro ה, licet apud eos nulla ſit litterarum iſtarum ſimilitudo; nos innumera ejuſmodi obſervavimus, & obſervando defeſſi ſumus. Hinc in textu ſacro, licet rariſſime, aliquando tamen in hac re hallucinati deprehenduntur Amanuenſes, ut *Geneſ.* c. 3. v. 24. codex tuus habet לחט; ſic & unus ex meis; at vetuſtus meus לחח, ut Judaicus. Jam Epiſtolii modulum exceſſimus, unius tamen te monitum velim; quatuor mea exemplaria, *Gen.* c. 50. v. 19. conſtanter habent התחת אלהים אני; ſic etiam ambæ verſiones Samaritanæ, Judaica addunt כי, differentiam ibi nullam notas, quaſi tuum exhiberet כי. Una verſio vertit דחיל אלהים אנה *Timens Deum ego ſum*: Cui conſentit Onkelos

kelos & Jonathan Chaldæi interpretes, & antiqua Pentateuchi Samaritani versio Græca, cujus vestigia nonnulla deprehenduntur in Scholiis, quæ citantur in Editione 70 interpretum Sixtiana, καὶ τοῦ φοβούμενος θεὸν εἰμι ἐγώ. Si in tuo exemplari revera est כי videtur sic legisse interpres Græcus. Sed interpretes illi, & Samarita & Græcus, in textu Hebræo Samaritano, & Chaldæi in Hebræo Judaico dictionis התחת litteras sic permutatas legerunt התחת. Altera Samaritana versio quam edidimus החלופת אלה יום אנה *Numquid vice Dei ego sum?* ut legunt & interpretantur Judæi, & antiquitus legerunt Symmachus & Aquila, 70 non legerunt ה. sed sic, בי תחת אלהים אנה ut ex versione manifestum est. Præterea ejusdem 50 cap. v. 23. omnia mea exemplaria constanter habent ביכי יוסק. Sic etiam ambo interpretes Samaritani, adnotas tamen in tuo ברכי scriptum esse, sed על, ut in Hebræo non præcedere, facile ibi hallucinationem existimarem. Cap. 3. v. 24. Exemplar tuum habet חמת פכת error est, duo mea integra scribunt, ut apud Judæos, חממהפכת, & interpres Samaritanus eandem vocem in dialecto sua retinet, חמתה פכין, hæc de multis pauca lecta sunto. Quod scribi de illo Judæo Italo, nugæ sunt, istarum rerum ignarus hæc effutivit.

fativit. Nulli enim Judæi docti Samaritanos Characteres negant apud Judæos olim in usu fuisse, licet nonnulli librum Legis quo in Synagoga utuntur eo charactere describere illicitum affirment. De hac re multis ex Rabbinorum sententia in exercitationibus nostris disseruimus. Verum quidem est eos tanto in Samaritanos odio agitari, ut librum Legis non modo Samaritano Charactere, sed etiam Assyriaco seu Judaico à Samaritano scriptum prophanum censeant, juxta illud Mosis Ægyptii axioma tractat. Thephill. sect. 1. n. 11. כל דבר שצריך מעשה לשמו אבם עשהו הכותי פסול, *Quidquid necesse est fieri nomine tuo, si illud faciat Cuthæus, prophanum est*; sed hoc personæ, non characteris odio. Consimiliter falsum Judæis nefas esse legem κατὰ λέξιν in aliam linguam transferre. Ipsi Talmudistæ Linguam Græcam excipiunt, omnesque Judæi uno R. Azaria excepto Legem à 72 Interpretibus ex Hebræo textu verbum è verbo translatam fuisse testantur. Hic Azarias solus è Libris Chaldaicis Charactere Samaritano descriptis translationem factam fuisse opinatur. Præterea R. Saadias apud Judæos celeberrimus, ante sexcentos & quinquaginta annos Legem κατὰ λέξιν transtulit, quæ Thessalonicæ ab ipsis Judæis charactere Hebræo excusa est, cujus exemplar pe

ne

nes nos est, estq; Paris. ejusdem translationis exemplar Arabicis Characteribus manuscriptum. Cæterum Judaicos * codices cæteris paribus esse Samaritanis quibuscunque præferendos nemo est opinor qui dubitet. Samaritanas tuas Lectiones cum primum usus fuero remittam. Interim communicati mecum laboris tui gratias ago iterum atque iterum. Magno sane munere, cum rem ipsam considero, me affecisti; sed cum animi tui benevolentiam maximo, ξενίων δὲ τε θυμὸς ἄριστος, hunc ut mihi conserves perpetuo, etiam atque etiam rogo. Vale, Vir amplissime, & me tui observantissimum amare perge.

** Videtur tamen Morinus in operibus suis Samaritanos Codices Judaicis seu Hebraicis antoposuisse.*

Parisiis, viij Kal. Junii 1633.

EPIST.

EPIST. XXXIX.

Joh. Morinus *Soario* Vasionensi Episcopo, ob illius in Episcopatum assumptionem congratulatur.

Illustrissimo & Reverendissimo D. D. Soario *Vasionensi Episcopo*, J. Morinus *Congreg. Orat. Presbyter*, S. D.

Reverendissime Præsul,

CUm primum ad me fastigii tui Episcopalis nuntia pervenerunt, tanta animi voluptate perfusus sum, ut ab ea superatus mihi silentium indicere non potuerim: itaque Epistolam importunam, sed gaudii mei nuntiam scribere non reformidavi, mihique indulgere malui, quam negotiosissimæ dignitatis tuæ rationem habere. Dignitatemne tibi gratuler Episcopalem Apostolicæ supparem? Gratulor sane, at non tibi, verum Episcopali Ordini, Ecclesiæ, sacrisque Musis omnibus; non tibi cui onus impositum est Angelicis humeris formidabile: sed Episcopali Ordini, qui tanti Viri doctrina & pietate decorabitur: sed Ecclesiæ, quæ vigilantissimo Pastore donata, inter hostium cu-

neos

neos secura quiescet: sed Musis omnibus, quarum Alumnus es, Dux & Præses. Gloriosum tibi à sanctissimo & eruditissimo Pontifice in Episcoporum collegium cooptari. Verum hoc tibi cum multis aliis commune: Cooptasse sane Pontifici gloriosius. Eximium enim Virum, eruditione & pietate celeberrimum è cæterorum corona exemisse, atque ad Sacerdotii apicem evexisse, quid laudabilius? Soarium ab Urbano VIII. summo Pontifice Episcopatu donatum, non inter postremas Urbani laudes posteritas præteritarum actionum antiquissima judex recensebit, & prædicabit. Ego præterea in hac tecum honoris communicatione eminentissimi Card. Barberini erga eruditos benevolentiam suspicio, atque in iis promovendis vigilantiam & prudentiam, justa animi gratitudine colo, qui te, hoc est, gratias & musas, à comitatu suo indivulsum esse voluit, qui te ut penitus & domi inspectum summo Pontifici studiose commendavit, atque in Provincia in qua Apostolicam habet potestatem Episcopalem nansciscereris, procuravit, ut licet diæcesi obnoxius evaderis, ab eo tamen non divelleris; ita illius animo sedet immotus verus hic & præclarus versiculus, καλλιστὸν ἐστι χρῆμα παιδεία βροτοῖς. Verum Epistolii modus illius laudibus finem imponere cogit, qui de litteris,

ris, litteratisque omnibus bene merendi finem nunquam facit. Unum mihi superest, ut qua sum in te observantia & obsequio in hæc vota precesque non cessem; te, tuamque dignitatem ad Ecclesiæ salutem, Deus Opt. Max. & conservet diutissime, & meritis honoribus augeat, cumuletque quam citissime. Vale, Reverendissime Præsul, & me tui observantissimum amare perge.

Datum Parisiis, Idibus Septemb.
Anno Christiano 1633.

EPIST. XL.

R. Goesaldus J. *Morino* quid præter allata notent Romani Aulici in ejus Libro *De la Grandeur*, &c. scribit.

Mon Reverend Pere,

LA Grace de Jesus pour jamais. J'ay donné vostre lettre à Monseignieur Suarez, qu'il a eue tres-agreable. Je l'ay veu encore depuis pour autre affaire, & m'a dit qu'il vous preparoit une belle réponse, & qu'il vous envoieroit un memoire

tant

tant pour ce qu'il juge que devez changer en voſtre livre *des Grandeurs de l'Egliſe*, que de diverſes choſes qui ſeroient bonnes a y adjouſter, & me parle ſouvent de ce livre, ſans que je luy en parle ; cela vient & commence toujours de luy, & il demeure toujours en cette penſée que devez faire nouvelle impreſſion, & s'accommoder dextrement comme ſeroit dire *redonné* au lieu de *donné*, & autres qu'il vous doit eſcrire amplement. autrement il craint que le Pape & le Cardinal Barberin demeurent toujours dans leur meſcontentement pour ce ſujet, & m'a dit qu'il y a quelque temps qu'un certain chambrier fut en France, & pour faire le bon Valet en apporta un au Pape, qui témoigna beaucoup de meſcontentement de ce livre à ce qu'il dit ; il dit de plus que penſant faire pour le Francois vous faites pour les Allemans, que Charlemagne eſtoit Empereur, & que les Empereurs Allemans peuvent s'attribuer tout ce que vous attribués à Charlemagne, & ainſi vous prejudies au Pape, & à la France. En tout ceci & beaucoup d'autres, je ne ſuis qu'eſcoutant, afin que vous ne croyez que je diſpute du livre. Je n'ay jamais peu avoir nouvelle de ce Mr. Ecchius Medecin Flaman. Il ſera peut eſtre mort en quelque lieu d'Italie, vous vous aviez promis

mis quelque exemplaire de voſtre dernier livre que nous preſentaſmes ya deux à Monſeigneur le Cardinal Barberin. Il ne m'en demeura aucun, je finis par nos tres-humbles recommandations de tous à vos SS. Prieres & Sacrifices, & de nous de la maiſon, & demeure pour jamais en Jeſus & Marie.

Mon Reverend Pere,

A Rome, 22 *Oct.* 1633.

Voſtre tres-humble & affectionné Serviteur René Goez. *Presb. de l'Oratoire de Jeſus.*

Le Cardinal Capucin frere du Pape eſt fait grand Penitencier par la mort du Card. Borgheſe, qui a laiſſé de grands benefices dont le Card. Barberin n'en veut rien prendre ſinon l'Archipreſtré de St. Pierre.

EPIST. XLI.

Godofredus Vendelinus *J. Morino.* Quærit quis ſit Rabbi Eliezer, & de ejus Libro, Antiqua & Nova Judæorum Chronologia, ac ſupputandi Ratio.

Viro undequaque Eruditiſſimo J. Morino, *C.O. Presb.* Godofredus Vendelinus, *S. P.*

DUdum eſt, Eruditiſſime Morine, cum pervagata terrarum orbem prolixa tua in rem litterariam merita, & amorem apud omnes doctos excitarunt tui, & poſt illos admiratione defixum me ſic attinuerunt hactenus, ut quamquam viſendi tui deſiderio incredibilem in modum ardeam, pudore tamen magis retinear quam ipſo jam quadrimeſtri morbo, curiſque aliis, & inter hæc Paſtoralibus. Itaque quoniam פיעלפי affari tenendum datur, quod reliquum eſt, quodque Timotheus Hoius noſter audere ſuadet, ad ſcriptionem iſtam confugio, ſed cujuſmodi tu à me poſſis expectare, cujuſmodi ego ſola venia ſcio placituram, & diſcendi quæ ignoro ſtudio, reſponſum quoque

quoque elicituram. Hoc erit primum Argumentum & auſpicale nobis, omiſſis officiorum iſtis languidis oſtentationibus, quibus tot paſſim bonæ horæ prætereunt bonæ chartæ pereunt.

Ante omnia ergo à te ſcire velim, ecquid Rabbi Eliezer Gamalielis ille gener (forſan & Pauli noſtri condiſcipulus) manuſcriptus tantum extet, an vero etiam editus? & ubi? Nam in Bibliotheca Rabbinica Buxtorfii non comparet. Horum alterum te ſui admonet, ne diutius latere patiaris; alterum infœlicitatem accuſat meam, qui ſicut omnibus aliis, ſic etiam iſto careo, quo vel unico beatus ſim in eo quod mihi ſub manu eſt. Poſtquam enim dudum ætatem temporum ſaxum volvo, & multa mecum de antiquo Hebræorum anno reputo: quem neſcio — qui Catoblepæ non vident etiam Solomonis temporibus mere fuiſſe lunarem, vocarique non ſemel יֶרַח *Menſem*, & addi mox חֹדֶשׁ — ne non ſatis ἱστορικῶς exprimatur hiſtoria, ſedere cœpit apud me jampridem ſententia nihil minus in illa gente ſolemne fuiſſe, quam ut Paſcha ſequeretur æquinoctium, imò enim vero interdum temiſſe vel octiduum totum ante iſtum cardinem. Quaſi dicas novilunium quodcunque Martii Gregoriani primum retuliſſe Niſan: quando neque Mathematicus ullus unquam

olim æquinoctii cardinem vel somniarat. Sane solares observationes omnes ante Hipparchum desumptæ sunt à solstitiis, primusque mortalium Hipparchus æquinoctiorum τροπαιον instituit. Nam quod Tecuphas garriunt rideo: qui in sacris nihil invenio quam תקופת חשנה ות שובה חשנה tempestates istas duas hinc declivis inde acclivis anni; solstitium inquam, divergentis, & brumam convergentis Solis. Posterius factum intelligo, ut תקופת—etiam brumæ communicaretur. Favit mihi luculenter ille tuus Eliezer. Etenim si Tecupha demum Brumæ admoneret Hebræos intercalationis; si, inquam dies 19 Tebeth incidens in Brumam potuit (nisi quid aliud accideret annum ducere communem) vides profecto Nisani proximi diem 22 sic tunc debuisse repræsentare æquinoctium Vernum (Solis Apogæo finem Arietis nondum egresso) ut ne momento quidem posterior sentiretur: ac proin toto ante æquinoctium octiduo Paschatis ritum fuisse legitimum. Luculentus est iste locus Eliezeris, atque auro supra mihi carus, qui tantum jam temporis hoc ipsum testimonium unde comparandum anhelavi. Eliezerum ergo per eruditionem tuam istum ut edas rogo, aut si editus est, ubinam, & quanti præstat, indices.

Hic si frustra sum, alterum metum erit

αἰτημα,

utrique, ut eodem ex authore mihi perscribas ecquot annos numeret ab orbe condito ad Mosen, & ab hoc, ad Templi casum, unde arcessat Sicios illos suos 84; itemque 19 aureum, à quo die Juliano Clavum moveat. Videre mihi videor ex tuis Scriptis attemperatum esse illum majorem ad Sabbaticos annos, ut Moses Ægypto excesserit ineunte nova Semitta, quamquam una cum Juliano anno primo existimem primulum excogitatum ab otiosis Mathematicastris; neque tamen unquam in usum civilem introductum antequam à Christianis quibusdam probari cœperit, atque hic illic usurpari: ut operose nihil egerit Bucherius cum suo anno Judaico ad hanc 84 annorum periodum expanso, quo Christi passionem nobis infulciret anno Vulgaris Epochæ 31. decimo septimo Tiberii, quæ revera debetur anno nostro 33. dieique 3. April. anno Tiberii 19. quo Eclipsin illam stupendam ex Plegonte disertis verbis protulit Philoponus. Sed quia scilicet primum Pascha Apostolicum celebratum fuit est novo ritu die 25 Martii anni 34 nostri, qui fuit Tiberii 22. Hinc obhæsit Ecclesiis (Romanum ac Solarem annum jam sequentibus postquam *Mulier amicta Sole*, cum sua Synagoga *Lunam* calcavit *sub pedibus suis*) bihorium quoque passionem eum-

dem in diem incidiſſe. Plane ut quæ traditio ſane Apoſtolica (ſed ex die 25 Martii, anno 34 orſa) confeſſa ignoratione omnium hactenus ingenia fatigavit, mihi ceſſerit in argumentum deprehenſæ veritatis quampluribus ac luculenter brevi adſtructam dabo. Sane hinc conficio etiam ævo Chriſti menſes Judaicos fuiſſe lunares, & quidem ἀπὸ φάσεως — derivatos ſanctificatoſque. Super his quid ſentias ſcire perquam aveo.

Tertium quod à te diſcere cupiebam, an nihil dum Chronicorum Samaritanorum nactus ſis, tum quid cenſeas de illorum Epochis, imo de conjectura mea, qui exiſtimo numerare illos ad Chriſtianam noſtram æram annos 4306. ac menſes 3. ante diluvium ſcilicet 1327. inde ad natum Abrahamum, 940. ut ſint omnes 2267. hinc ad mortem Moſis, Calendarium eorum exhibet 565. & ſummam colligit 2832. Sunt ergo ex hoc ἐπλογισμῷ anni 2792, ad Exodum, 2712, ad Natum Moſen, pleni omnes ac completi, ut Exodus quadret in 2793. Venerintque Iſraelitæ in fines diviſionum, hoc eſt, ad confinia Idumææ anno 2794, pro eo ac citat Scaliger. Jam vero à Nato Moſe (ad hunc enim modum capio quod illic legitur de ſuccinctione Ephod verbis implicatiſſimis) in fanaticum (Maho-

(Mahometum) exerte habent 2215; quotidem ferme Eusebius & Cyrillus darent. Sunt ergo secundum istos ab Adamo ad Hegiram Mahometis anni 4927 forte an & menses aliquot. Hinc aufer annos 621, & menses 6, vides relinqui ab exordio mundi Samaritano, ad Christum, 4306, sicut dicebam. Fidem facio plenius; Calendarium illorum quod Scaliger putavit esse anni 1584, longe alterius est, ac forte exiftimet quispiam & neque conceptum per novilunia. Imo enim vero nihil aliud repræsentat quam plenilunia; plenilunia, inquam, vera (non media) anni nostri 893, & 894, scrupulosissime computata ad meridianum Aractæ, non Samariæ. Provoco ad Tabulas, & quidem si extant uspiam Albategnianas. Jam vero Calendarium istud profitetur Calendarium Samaritanum annuum.

Millenarium quintum ducentesimum & quartum (sic enim mecum spero leges, non 210 cum Scaligero) quasi anteriores cogitet Christo 4310 annos, solo quadriennii discrimine. Sed vereor ne quaternarii nota redundet, errore hinc nato quod idem annus fuit Seleucidarum 1204. Nam alioquin Samaritani isti anni sic digesti sunt a computistis illorum, ut septimus quisque iniens sit Sabbaticus, & affectatum ut Mo-

ſes exierit Ægypto anno 2793, jam labente Sabbatico 399, Jubilæo eodem 57. Quoniam vero annus Calendarii vocatur ſextus Semittæ, neceſſe eſt annum intelligi 5200, non 5204, ac videſis hoc quoque annum noſtrum 893, vocat ſextum Semittæ, ſed in Succoth jam inchoat Semittam quæ Judæis anno 894 demum in Succoth iniit. Ergo ne Samaritani à Judæis anno ſolido diſſident ac prævertunt? minime gentium: Memorabilis eſt locus Maimonidæ quem Cunæus citat, Sabbaticos ac Semittam inire exeunte anno Jubilæos ineunte, nimirum anno noſtro 887, in Septembri & feſto בכורות publicatus fuerit Jubilæus, quo eodem momento & quinquageſimus numeratus fuerit, & mox poſt quatriduum à סכות Succoth Jubilaici jam ſyſtematis inchoati primus; certe anno 888 inierit annus à Jubilæo ſecundus, ſed γεωργίας primus; anno 889, inierit Jubilæi tertius, γεωργίας ſecundus. Sic anno 890, & iv. & 3. anno 891, quintus & iv. anno 892. ſextus & v. anno 893, ſeptimus in Semitta poſt annum celebranda, idemque revera ſextus γεωργίας, atque ad eum modum deinceps donec annus 936, in Septembri daret quinquageſimum incluſive, & Jubilaicum omnino ſimulque Semittam, hoc eſt, quadrageſimum nonum à deſito poſtremo Jubilaico anno completo

Poteram

Poteram aliunde quoque atque abunde adstruere annos Jubilæos in Epocha nostra ineuntes Septembri anno 5. 54. 103. 152. 201. 250. 299. 348. 397. 446. 495. 544. 593. 642. 691. 740. 789. 838. 887. 936. 985. 1034. 1083. 1132. 1181. 1230. 1279. 1328. 1377. 1426. 1475. 1524. 1573. quique postremus fuit nostro ævo 1622, eritque posterorum 1671. Sed ut aliquid hic tu me quoque juves si quid apud Eliezerum aut alios antiquos (nam recentiores Rabinos nihil moror) ejusmodi indiciorum comperisti, hoc vero fine te exorem; in qua prece finio, & me tibi profiteor

Bruxella, Idibus Decemb. Anno Christi nati 1637. qui est Epochæ vulgatæ 1633.

Addictum in Christo per omnia obsequiorum & communicatoriorum votorum momenta Godefrid. Vendelinum *hactenus Pastorem* Bethasiorum, *nunc Hercanum, sed Canonicum* Gandavensem *designatum.*

EPIST.

EPIST. XLII.

J. Morinus Godofredo Vendelino. Reſponſio prolixa ad præcedentem Epiſtolam, varias quæ apud diverſas gentes diverſis temporibus fuere ſupputandi Rationes, fuſius declarat de Samaritanis Corraitis, ex eorum MSS. nonnulla.

Viro Clariſſimo & Eruditiſſimo Godefrido Vendelino, *Joan. Morinus.*

ACcepi, Vir eruditiſſime, Litteras tuas varia & inſigni admodum eruditione refertas. Gratulatus ſum mihi plurimum non ſolum me tibi cognitum, & amicitia tua cohoneſtatum eſſe, ſed etiam ſcripta mea tibi probari. Cum enim Viro eruditiſſimo, atque eorum quæ ſcripſi ſcientiſſimo placuerint, à cæteris qui iſtud eruditionis genus vel à limine ſalutaverint, non omnino negligenda fore confido. Quam mihi amicitiam offers ultro, hanc avide & gratulabundus amplector, mutuiſque officiis coli & conſervari cupio, velimque maximopere impræſentiarum propenſum erga te animi

mei

mei ſtudium, aliquo argumento demonſtrare; ideo ægerrime fero deſiderio tuo me plane ſatisfacere non poſſe: huc enim miſſus ſum omnibus Rabbinicorum Librorum præſidiis deſtitutus, iiſque præterea negotiis vacaturus, quæ animum meum ab omni pene litterarum ſtudio avertunt. Quod hoc tempore mihi potiſſimum contigit quo feſta ſolemnia celebrata ſunt, iiſque celebratis, iter aliquot dierum mihi ſuſcipiendum fuit. Itaq; hoc Epiſtolium non horis ſubceſſivis, ſed tumultuariis ſcriptum ubique incœpit, ubiq; deſiit. Quantulumcunque igitur illud ſit quod tibi ad quæſita tua reſpondebo, & excuſes, & boni conſulas etiam atque etiam rogo. Benevolentiæ ergo & facilitatis tuæ ſecurus, rem licet vix adumbratam dimiſſurus aggredior.

Quæris primum, Vir doctiſſime, & mihi plurimum colende, an Liber capitulorum Eliezeris editus in lucem aliquando fuerit? Ita eſt: edito uſus ſum; Editio, ni fallor, Veneta eſt, Charactere quadrato, & oculis grato, folio bis complicato, quod vocant in octavo. Hujus Libri meminit in Bibliotheca ſua Buxtorfius, ubi de Zohar agit, atque etiam, ut puto, alibi in eodem Libello, ſed male ſcripſit Librum eſſe Hiſtoricum; nihil enim minus quam Hiſtoriam enarrat. Miſcellaneorum eſt Liber, in quo

quo variæ Judæorum traditiones nulla rerum consequentia edisseruntur. Sæpius in similes scopulos impingit Buxtorfius, cum eos Libros ut plurimum recenseat quos nunquam legit. Ejusdem Libri meminit Drusius, Serrariumque reprehendit, quod cum Libello de capitulis Patrum illum confuderit. Nunc autem istorum Librorum non est mihi copia.

Quæris secundo, quot annos Eliezer ille ab orbe condito numeret ad Mosen, atque à Mose ad Templi casum; unde arcessat Cyclos suos annorum 84; itemque suam ἐννεαδεκαετηρίδα annorum ab orbe condito epilogismum apud Eliezerum non memini me legisse, neque ad Mosen usque, neque ab hoc ad Templi casum. Res autem illa est ejusmodi quam non præterissem si animadvertissem; non semel legi istius Libri quatuor aut quinque priora capita, quibus integris de rebus Astrologicis, anni intercalatione, & computo Paschali pro Judæorum captu differit; sed quos quæris Epilogismos non deprehendi. Cum primum Parisios rediero, quod spero vere proximo, Authorem istum iterum evolvam, & quicquid de hac materia scribit, in tui gratiam exscribam, atque ad te mittam, ut ipse judices. A qua Epoche Cyclos suos ducat consimiliter non exprimit; aliquid tamen addit,

addit, quod in Exercit. noſtris notavimus, e quo quid ſimile colligi poteſt, Deum in Ægypto Moſi & Aaroni apparuiſſe in principio menſis Niſan, cum annus ageretur Cycli magni 15, & Cycli Emboliſmalis 17, atque huic & deinceps numerum illis proceſſiſſe plura in hanc ſententiam non puto continere.

Antequam ulterius reſpondendo pergam, monebo te diu Eliezeris Lectioni me diligentius incumbentem ſententiam de iſtius Libri antiquitate mutaſſe, multa enim interlegendum mihi deprehendiſſe videor quæ tantam antiquitatem minime ſapiunt; quidquid Judæi jactitent, atque ille potiſſimum Rabbinus qui Librum excudendum curavit. Exempli cauſa nonnullorum Rabbinorum mentionem facit, qui poſt verum Eliezerem Hircani filium diu vixerunt, qua ratione fretus, ſcripſit author Libri Juchaſin, Librum iſtum ab Eliezeris diſcipulis ſuis compoſitum. Fabulæ inſuper Talmudicæ paſſim intertextæ, loca Scripturæ ſubtili quodam, vel potius futili acumine ad rem ſubjectam detorta, ut Hiſtoriolæ explicandis locis Scripturæ difficilibus Talmudico more derepente conſictis, longum tempus a Templi ruina, demonſtrare mihi videntur, v. g. initio capitis ſexti Talmudica iſta fabula refertur, quæ etiam extat in Bereſith Rabba,

Rabba, narraturque à Rabbi Salomone in primum caput Geneſ. velut quid maxime notandum, Lunam Solemque æquali magnitudine, forma & lumine creata fuiſſe; inter vero Solem & Lunam ortis de magnitudine rixis Deum altero alterum minorem reddidiſſe, cui fabellæ duos aptat Scripturæ verſus. Alibi fabulam apud Judæos vulgatam confirmat, Ephraimitarum ducenta millia tempus Exodi perperam ſupputantia ex Ægypto annis ante Moſem triginta egreſſa eſſe, atque à Philiſtæis cæſa, & ideo dictum eſſe *Exod.* 13. *v.* 17. Non eos duxit Deus per viam terræ Philiſtiim, quæ vicina eſt, *&c.* cap. 35. Regni Perſici durationem annorum putat 52, quod eſt Talmudicorum, & recentiorum Judæorum portentum. cap. 28. Bis regnum Iſmaeliticum commemorat, atque inter mundi imperia collocat. Horum te admonitum eſſe gratum tibi fore confido.

Sententiam tuam de Æquinoctio in Paſchali feſto à Judæis antiquis non obſervato facile amplector. Græci omnes ante Hypparchum, in ſolſtitiorum propter ludos Olympicos obſervatione deſudarunt, ita Cleoſtratus, Harpalus, Meto, Eudoxus, & Calippus; quam vero in motuum cœleſtium obſervatione infantes fuerint, Ægyptii, Chaldæique omnes nemo, in his rebus mediocriter

mediocriter versatus ignorare potest; cui Græcorum ante Hipparchum infantia perspecta fuerit. Tum enim Græci Ægyptiorum & Chaldæorum adyta omnia penetraverant & lustraverant, licetque ex Græcorum ignoratione Ægyptios & Chaldæos ignorantiæ convincere. En quam motuum Cœlestium periti, stellarum in occidentem motum non deprehenderant; ideo octavam sphæram primum mobile opinabantur, Solem Planetasque cæteros in eccentricis moveri nesciebant. Hinc ab uno æquinoctio ad alterum spatium æquale definiebant, idque non ex speciali observatione, sed ex solstitiorum comparatione, Sol tamen deprehensus est ab Hipparcho à verno Æquinoctio ad Autumnale octidui, & aliquot horarum spatium amplius, quam in sequenti conversione consumere. Quid de eorum circa Æquinoctiorum in anteriora retrocessionem, ignorantia dicam, cum ea fuerit omnibus antiquis Christianis incognita? Existimarunt omnes 21 Martii æquinoctium vernum alligatum esse. Quid de Beda, qui tam operose de computo Paschali scripsit? Opinatur ille æquinoctium vernum 21 Martii contingere, ut in Concilio Nicæno animadversum fuerat, & sic credit sese observasse, at suo tempore 17, non subsequebatur, neque exactius edoctus fuerat à Victorino & Dionysio

Dionyſio Exiguo ſummis computorum magiſtris, licet eorum alter Græcæ eruditionis eſſet peritiſſimus.

Solaris motus cum Lunari concordiam non tentabant fœlicius antiqui Græci. Teſtes ſunt octaëteris Cleoſtrati, & Harpali à vero propius abfuit; Meto cum ſua enneadecaëteride, ſed quam craſſe illam delineavit & pinguiter? exactius paulo Calippus & Eudoxus illam interpolarunt: ſi certiora docuiſſent Ægyptii & Babylonii, Græcos illos, veri ſitientiſſimos, non latuiſſent. Rudia ſcientiarum principia Chaldæi & Ægyptii tradiderunt, ea expolierunt Græci, & innumera quæ illi ignorabant, addiderunt. Sed quid de Chriſtianis, poſt Hipparchum & Ptolomæum dicendum, Lunæ cum Sole concordiam per octaëterida venantibus? Id præſtitit Dionyſius Alexandr. Hippolytus vero per hecædecaeterida; quam hæc ad Rhombum? Nec vitium qui hæc refert Euſebius animadvertit Tandem Anatolius primus Chriſtianorum ad enneadecaeteridæ confugit, quam amplexi ſunt Concilii Nicæni Patres, & retexuit Euſebius. Credebant omnes Lunæ ad Solem hac Periodo abſolutiſſimam ἀποκατάστασιν fieri; credidit hoc Beda, atque annorum mille ſpatio creditum eſt, donec erroris evidentia omnium oculos configente tandem rem aliter ſe habere perſuaſum eſt.

Ne

Ne autem aliquis objiciat, Græcos, Ægyptios, Chaldæos & Christianos antiquos hæc ignorasse, sed Judæis hæc cognita fuisse, quidquid Judæi de his rebus loquuntur ab Hipparcho & Ptolemæo desumptum est, ut cuivis conferenti patet. Quæ antiquiores Judæi cognoverunt, à Græcis Hipparcho prioribus derivata sunt, quod ex Eliezere manifestum est, vel ex ipsis signorum nominibus, quæ Græcis nominibus Hebraice translatis effert. טלה שור תאומי סרטן. ארי בתולה מאזנים. עקרוב קשת גדי דלי. דגים Eadem nomina refert Epiphan. hær. 17. sed in Planetarum nominibus dissentit. Sic Eliezer ut Neoterici omnes Judæi, כוכב לבנה שבתאי צדק מאדים חמה נוגה *Mercurius, Luna, Saturnus, Jupiter, Mars, Venus*, Græcorum nomina deserit. Quomodo æquinoctii rationem habuissent antiqui Judæi in tanta rerum Astrologicarum ignoratione? Thecupharum artificium, ut recte animadvertis, prorsus ignorabant, nec erat illis ullum dignoscendarum subsidium. De his Judæi in terra Israelis non cogitabant; Neomenias enim τῶν νεῶν sanctificabant, Paschatis vero tempus ex spicarum virore & maturitate dijudicabant nulla æquinoctii ratione habita. Intercalationis igitur sola causa erat frugum maturitas.

Paucis referam quod aliquando legi in Commentario Karaitæ cujusdam, ante 300 annos, manuscripto in Legem. Ait Karaitas terræ Israelis incolas annos intercalare pro sola ratione mensis Abith, seu spicarum, ridetque Gamalielis in Talmud pronunciatum propter tria annum intercalari, propter Spicas, propter Tecuphas, & propter Fructus arborum, אין בן כי האביב היא לבדו נזכר alias Rabban. causas ridet, annos nondum grandes, &c. וידע כי בחמטא האביב אי אפשר שאין הכל מתוקנים. ולמה נוסיף על דברי אלהים חיים *Notum enim est*, inquit, *quod cum spica reperitur, impossibile est omnia non esse præparata.* Ideo mensis primus dicitur אביב, *Exod.* 13. 4. Paulo post idem Autor הנה מורה תויית שם חדשינו בראיית הלבנה ואמר עיר שמור חדש האביב ומזה אנחנו מעברין את השנה *Ecce Legislator instituit menses nostros ad visionem Lunæ, dixitque Adhuc custodi mensem Spicarum; hinc nos intercalamus annum.* Ibidem ait sodales suos extra terram Israelis Rabbanistarum intercalationes sequi, & cyclum novemdecim annorum: verum ridet superstitiosas illorum ℵ Adu, Badu, &c. observationes. Sic existimo Judæos, stante Templo, Pascha observasse, primumque mensem instituisse, nec Deus in celebratione Paschatis ullam

aliam

aliam rationem quam maturitatis ſpicarum juſſit haberi, eo quod cum Iſraelitæ ex Ægypto exierunt, maturuerant. Judæi quoque Rabbaniſtæ & Talmudiſtæ licet alia admitterent, ut adnotavimus, hanc tamen paternarum traditionum non omnino obliti nunquam omittebant. Itaque ſæpe Tecupham Paſcha ſubſequebatur, nonnunquam præcedebat. Interrogabor forſan num Judæi cyclis in Paſchatis ſupputatione ante Chriſtum uterentur. Brevi diſtinctone ſententiam meam explico. Judæi aut habitabant in terra Iſraelis, aut in diſperſione gentium. Priores nullos habebant Cyclos Paſchales, nec ullam æquinoctii rationem ducebant, , ſéd tantum ϛῦ אביב & Lunæ μεγαρίου; poſteriores Cyclis utebantur, ſed Brumæ non Æquinoctii Cynoſuram in iis componendis attendebant, ut ex Eliezere demonſtratur. Hujus Epochæ ſeu clavis Paſchalis inſtituendæ cauſa jam indicata eſt. Judæi diſperſionis à Græcis hæc mutuati ſunt. Græcis autem Alexandro regnante, nondum cordi erant æquinoctiales obſervationes, ſed quæ tum maxime vigebat periodus erat Calippica, quæ Brumæ inſita & inoculata erat. Hinc Judæi ante Chriſtum, Calippi Brumam & Enneadecaeterida ſecuti ſunt; eamque Epiphanii tempore ſecuti videntur, ut ex Judiacæ periodi quam enar-

rat cum Eliezerea comparatione fortasse liquebit. Istis autem Epilogismis Judaicis initium factum est regnantibus Alexandri Successoribus. Longo post Christum tempore, R. Samuel Babylone & R. R. adda, & eum secutus Hilel in Palestina, antiquum computum reformarunt, ut perhibent Judæi Talmudistæ; illi autem non Calippi pingues numeros, sed Hipparchicos & Ptolemaicos amplexi sunt, quorum præsertim posterum Judæi omnes sequuntur, seque ad Messiam usque secuturos profitentur; cum autem ab Hipparcho & Ptolemæo æquinoctia essent observata, Paschatis clavem à vicesima Thebeth, in decimam sextam ♈ Nisan transtulerunt, ut Paschati viciniorem, & ad illud supputandum commodiorem.

Verum hanc amplexus sententiam, quæ mihi admodum probabilis videtur, cogitu quid respondendum sit Eusebio & Anatolio, testimoniis Philonis, Josephi, Musæi & Agathobulorum contendentibus antiquos Judæos ex majorum decreto post æquinoctium Pascha celebrasse. Si causa cum causa, res cum re, ratio cum ratione, certet, vicisti: sin vero authoritas decretoria est, causa videris cecidisse. Sane si Eusebii verba cap ultimo, l. 7. historiæ perpendantur, Anatolii verba non intellexit Eusebius, aut ipsissima si retulit, neuter quæ scribebat intellexit,

tellexit. Omnia enim ab iis ἀστρολογικὰ sunt ἀόριστα, vel certe Oedipo qui hæc conciliet opus est. Hoc tamen manifeste sibi volunt, post æquinoctium antiquos Judæos Pascha semper celebrasse. His plura non fert Epistolii modulus; in tuæ sententiæ gratiam nonnulla addam quæ mihi observasse videor.

Primum, Asiaticos tempore Judaico Pascha observasse, nullam tamen cum iis de æquinoctio quæstionem habitam, sed hac de causa solum quod diem Dominicum non morarentur.

Secundo, Christianos primos nullis Cyclis in ea observatione usos, sed ex visione Lunæ primum mensem supputasse.

Tertio, Dionysium Alexandrinum primum Cyclos esse architectatum, atque hujus rei occasione Lunæ visione deserta æquinoctialem Epochen velut Cycli sui polum non sine gravi causa amplexum esse. Primus enim Judæorum mensis, ut recte Liber Henoch, semper circa æquinoctium versabatur.

Quarto, Post illud tempus de æquinoctii anticipatione cum Judæis altercatum, non antea, ipsisque exprobrari cœptum bis eodem anno Pascha nonnunquam celebrasse, cui incommodo medelam posteriores adhibuerunt clave Paschatis à 20 Thebeth, in 16

Nisan translata. Hinc enim in æquinoctio primum illis Pascha contingit. Hæc Sententiæ tuæ subjecta sunto.

Tertium postulatum est de Samaritanorum Chronicis. Sunt mihi quinque Pentateuchi codices Samaritani, dictionarium parvulum, non integrum, & Libellus precum, nihil præterea. Itaque de illorum Epilogismis post Mosen, nihil mihi cognitum est præter illa quæ Scaliger edidit: ad usque vero Mosen omnibus cogniti sunt tam ex iis quæ nos edidimus, quam ex Scaligeriano temporum thesauro. Sunt quidem illius gentis Chronica quæ Arabice conversa habuit Scaliger; ex illius gentis Chronicis Hebraicis longum fragmentum refertur in fine Libri Juchasin de magnis quibusdam Regibus trans Euphratem bellum adversum Josuam præparantibus, sed nihil Chronologiæ memini in eo me legisse. Quæ apud Scaligerum post Mosis mortem, ab iis adduntur, sic explicari possunt, *à Mose ad reditum Sacerdotum gestantium Ephod, qui ministrant in Tabernaculo* 2215 *anni, summa series erit* 5047. *ad diem ingressus Fanatici.* Samaritani litteras gutturales sæpissime permutant; hoc fit ex perversa eorum pronunciatione, qui nullas aspirant, ideo חור & עור pronunciantes אור sæpe scriberent. Hoc Pentateuchum ipsorum Lin-

gua

gua & Charactere Samaritanum legens, millies expertus sum, in Pentateucho Linguâ Hebraicâ studiose evitant, id tamen ipsis nonnunquam excidere animadverti. Itaque in hoc computo singulare quoddam factum à qua Epochen ducunt, quodque circa Mahumetis initium contigit respicere videntur. Nescio quamobrem Scaliger הביה inexplicatum reliquit, cum nihil aliud sit quam חביאה: præterea mihi omnino jungendi videntur anni Mosis summæ sequenti, ita ut à *Mose* sit à morte Mosis ad reditum Sacerdotum, &c. Quare enim illos subtraheret cum prius addiderit, perpetuaque sit Epilogismorum additio? deinde summa ab iis subducta 5047, aliter constare non potest.

Litteræ illæ ἐπιγραφῆς computi Samaritani אהרד non dubito quin sint ראשי תיבות, quibus Samaritani non secus ac Judæi utuntur. Singulæ litteræ dictionem aliquam significant, cujus prima tantum littera describitur. Quæ autem sic scribunt vulgata sunt apud eos, & solemnia quædam rei de qua agitur Epitheta. Quid autem hæc significent à Samaritanis tantum divinari potest. Multa conjici possunt, sed cum in infinitum variari possit quis præter eos verum secernere poterit? Sumi non posse pro numero 210,

ut conjicit Scaliger, hinc manifestum mihi videtur, quod nec Judæi nec Samaritani numeros suos unquam sic disponant, nec Arithmetices illorum hoc patitur, scribendum fuisset יד non aliter. Non ignoro per ipsorum Cabbalistarum Ghematriam editionibus numeros sic exprimi, ut mysteria sua exprimerentur. Verum hæc sunt longe diversissima. Scriberent enim אחרר facere יד, quod est verissimum, deinde dictionem illam cum alia ejusdem numeri potente compararent, ut ex Ghematrica illa æqualitate mysterium aliquod emergeret, denique in utroque Scripturæ loco idem significasse; sed huic computi loco id aptari non potest. Præterea id faciunt tantum in dictionibus aliquid significantibus, ut ex mutuo sensu aliquid eliciant, at אחרר nihil significat. Notarica autem sine ראשי תיבות utplurimum nihil significare possunt. Denique ista Cabbalistica Samaritani plane ignorant. Ejusmodi Ghematria Judæi sæpissime utuntur in librorum excusorum primo folio vel postremo, cum annum mundi quo Librum ediderunt notant. Locum Scripturæ quo Deus operi benedicat, vel Israelem exaltet ita eligunt, ut illius loci una dictio Ghematrice sumpta annum mundi præcise contineat. Neque etiam significare posse mihi videtur 5204, expungendus enim esset

Aleph,

Aleph, hoc modo, חרד, littera ח præcedens ר notam ducentesimi numeri, millenarios repræsentat, nec aliud fert ipsorum Arithmetica.

His incommodis subtilis tua de annis Samaritanorum Sabbaticis dissertatio affici videtur. Nihil dum de ejusmodi annis apud antiquos Rabbinos notavi, quia his animum nunquam applicui. Quid autem illi hac de re scribant, horum Librorum ope hic destitutus nunc inquirere non possum, quam primum potero id me facturum in tui gratiam spondeo. Quod Scaliger retulit de Samaritanis, eorum Calendarium non videtur, nec ulla potest esse periodus, sed mensium Arabicorum tantum illo anno cum Samaritanis solaribus, licet Hebraica sint mensium vocabula, conjunctio & alligatio longe scrupulosior quam civilem deceat administrationem. Mirum est quod ais, istos epilogismos secundum plenilunia vera anni 893 & 894 esse confectos. Unde hæc tam antiqua eruere potuit gens Samaritana, ut ad Scaligerum mitteret, qui horum nihil petebat? Deinde scriptum illud Samaritanum diserte ראש חדשי שנתן *initium mensium anni septimi*. Ipsa dictio צמת eorum dialecto, ut & Chaldaice sonat *Conjunxit*, *Congregavit*, sæpius in Pentateucho hanc significationem animadverti. Mirum est pleniluniis visis in

Arad

Arad meridiano omnia convenire. Fortasse hæc noviluniis veris in anno 1584, aut 1583, in meridiano Sichem, aut Cairi exacte conveniunt. Hæc supputandi nec otium mihi nunc, nec si esset, libri suppetunt: id non tentavit Scaliger; rerum istarum pro captu Critici admodum erat peritus, pro captu vero Astrologi plane ignarus.

Hæc inerudita, Vir eruditissime, boni consule. Jam anni multi prætierunt, cum à Paschalibus & Mathematicis computis animum prorsus averti, nec admodum facile est domesticorum negotiorum diverticulis continenter appetitum iterum ad ea sese convertere. Finiam igitur nimium longam & inanem Epistolam, modo prius sententiam tuam de Epocha Christiana laudavero. Annis quatuor integris à vulgata differs, ideo videris Kepleri & aliorum quorumdam sententiam amplecti. Legi aliquando Kepleri Viri doctissimi luculentam hac de re dissertationem, quæ mihi plurimum probabilitatis semper habere visa est. Iisdem existimo te principiis & Josephi autoritate niti, quam Eusebius & alii non perpendentes annis quatuor aut quinque anticiparunt. Neoterici vero plerique eam cognitam incassum meo judicio traduxerunt. Ad hæc imparatus accedens, nihil præter illa quæ Keplerus adnotavit, quæq; mihi admodum placent, nunc dicendum habeo. *Vale.* EPIST.

EPIST. XLIII.

J. Morinus *Tho. Combero* Gratias agit ob missas ad se iterum diversitates Lectionum Codicis Samaritani à Judæo Hebraico, suum de Exemplari Alexandrino 70 Interpretum affert.

Clarissimo Viro Thomæ Combero *Anglo*, Joannes Morinus *S. P. D.*

ACcepi, Vir Doctissime, Pentateuchi Samaritani ab Hebræo varietates quas ad me misisti. Multis nominibus tibi devinctus sum, parque pari si fors tulerit referendi reus. Neque mihi tantum & humanitati & diligentiæ tuæ agendæ sunt gratiæ, verum universæ eruditorum virorum coronæ id oneris incumbit. Opus enim quod molior publicum & non privatum. Tanta autem sedulitate, id quod postulaveram præstitisti, ut bis quæ in Levitico occurrunt variæ lectiones exscripseris. Bis maluisti eundem laborem desudare, quam semel promissum non exsolvere. Fieri poterit ut ipso Archetypo fruamur, ea quam indigitas via. Textuum

tuum tamen comparatione quam inſtituiſti, laborque mihi ſubeundus fuiſſet, plurimum levatus eſt. Uno enim, ut ita dicam, intuitu quid inter utrumque codicem interſit, Hebræum inter & Samaritanum demonſtras. Quod ad antiquum 70 Interpretum codicem attinet, ab Ægypto in Angliam deportatum, illius quædam ſpecimina legi, quæ Vir eruditiſſimus & clariſſimus Junius, cum R. Patre Philippo communicanda deſcripſit. Textus ille non eſt 70 Interpretum purus & ſincerus textus, ſed quantum ex paucis ſchedulis judicare licet, duobus vitiis laborat; habet admixtas pleraſque ſententias & περικοπὰς ex Hebræo textu, juxta Theodotionem verſo repetitas, quæ à puro 70 Interpretum textu ſemper abfuerunt, quaſque ideo ſub Aſteriſco Bibliis ſuis inſeruerat Origenes. Fortaſſe etiam nonnulla ab illo ſincero textu amputata ſunt quæ Bibliis ſuis ſub Obelo notaverat idem Origenes; verum ex ſchedulis hoc judicare non potui. De iſtorum Aſteriſcorum & Obelorum ratione, deque methodo ſincerum 70 Interpretum textum ab impuro ſecernendi, multa diſſeruimus in Exercitat. noſtris Biblicis. Habet præterea multa, ſed minoris momenti, quæ à ſincero 70 Interpretum textu nonnihil deflectunt, nec cum Hebræo textu utplurimum conveniunt, quibus

bus conjicere est editionem illam esse Hesychianam, ab Hesychio scilicet recensitam, vel certe demonstratur textum illum Ægyptium admodum esse impurum, utpote ab hexaplis Origenis plurimum differentem. Id quod conjicio facile dijudicabit qui textum illum cum Græco textu Esaiæ apud Procopium, & editione textus Josuæ apud Masium contulerit, modo quid sibi velint Origenis Obeli & Asteriſci prius didicerit. Quid autem sibi velint, eorum quos legimus, solus Masius vidit, nec videre non poterat Vir Græce, Hebraice & Chaldaice eruditissimus, qui codicem Bibliorum Syrum de hexaplis Origenis ante mille annos versum cum adnotatis Asteriscis, Obelis, Lemniscis & Hypolemniscis penes se habebat. Quod autem fama est codicem illum à Sancta Thecla descriptum fuisse, nugæ sunt; circa Concilii Nicæni tempora, id à quadam Matrona Ægyptia, Thecla nuncupata, factum esse auguratur ipse Junius; habet codex ille ut ἐκ τῶν ἀντιγράφων colligo, quod singulari animadversione dignum est. Vulgatum est apud omnes doctos, Mathusalem juxta 70 interpret. numeros annis quatuordecim vixisse. Antiquissima quæstio quæ antiquorum Patrum ingenia varie torsit. Notat Eusebius in fragmentis Græcis apud Scaligerum in Thesauro Temporum, p. 4.

Non-

Nonnulla Exemplaria ita legere ut sex annis Mathusalæ mors Diluvium præcesserit.

EPIST. XLIV.

Tho. Comberus J. *Morino* alias mittit in Pentateuchum Annotationes ex Anglicano Exemplari Pentateuchi Samaritani.

Reverendo admodum Eruditissimoque Viro D. Joanni Morino Ordinis Oratorii Presbytero.

Reverende admodum Pater, Vir Doctissime,

ET opportunum satis ad vos, & gratum perveniſſe illud primum officii mei ſpecimen, quod vobis pridem mittendum duxeram, mihi Epiſtolâ tuâ perhumaniter ad me ſcriptâ innotuiſſe, jucundum inprimis fuit, neque hoc pacto amicitiæ benevolentiæque tuæ titulo atq; teſſera donatum immo inſignitum ſerio equidem gaudeo. Quod autem porro in eadem poſtulare te memini, nam mihi reſpondere volenti jam ad manum Epiſtola ipſa non erat, ut quod reliquum fuerat annotationum iſtarum adjiceretur, id quia ſerum jam putabam, cum in procinctu eſſe emittendi

mittendi à vobis Libri viderentur, pene consilium scribendi omiseram, nisi eas adhuc quoque expectari admonitus à quodam ruper essem. En igitur, Vir doctissime, jam tandem posteriorum quoque Pentateuchi Librorum annotationes ab hominibus eisdem excerptas, quarum tarditatem si in culpa esse videtur, vel nimiæ quorundam à quibus detinebantur, pertinaciæ, vel longinquæ meæ ab his locis per aliquot retro menses absentiæ velim attribuas; neque enim immemor interea temporis promissi fui. Utinam vero quod in votis erat, ipsum etiam exemplar Samariticum transmittere potuissem, quo labori atque industriæ tuæ perspicacissimæ materia non deesset uberior. Neque enim intentatum vel illud quoque reliqui. Delitescit autem jam quidem liber iste, quod certius intelligo non in Oxoniensi, sed in privata Cottonorum Bibliotheca apud D. Roberti Cottoni filium & hæredem paterni animi ac studii tenacissimum juvenem, cujus è manibus tale aliquid extrahere nisi probe ei cautum de restituendo sit, nonnisi frustra tentaveris. Ego quidem qui dissitis ab eo locis habito, scribendo nihil proficio. Quod si autem operæ pretium ducas, impetratis, quod facile erit, Reginæ serenissimæ litteris, aliquid effici posse existimem, nam & Frontoni Ducæo factam

olim

olim ab hujus parente librorum copiam ali civi. Qui de his tuo nomine mecum egerunt, cum in Aula Regia versentur, celerius ista conficere possent. De qua re ad D. Malsonium hujus negotii conscium perscribam. Sed detineo te, & pecco in occupationes tuas; hoc unum abs te vicissim peto ubi ad umbilicum perducti Libri erunt, uti eorum exemplaria duo, si commode fieri potest, mihi transmittenda cures, designato cui pretium persolvam, Mercatore, ne librarii scilicet nostris nimium avaris simus prædæ. Ego signa in re tibi commodare possum. Habes devinctissimum paratissimumque, qui te ex animo colit amatque. Vale.

Scriptis his etiam complicandis literis, reddita est tandem conspectui meo Epistola tua, ad quam tamen ne pluribus respondeam, non mea quidem, neque Tabellarii nostri, sed vestra potius quam considerare debeo, in opere accelerando festinatio in causa est. Cæterum cum literis & observationibus tuis mihi gratissimis, Vir Reverende, unius tantum Libri ex tribus, tot enim numeras nempe Exodi tantum, mihi annotationes remisisti cæteras ubi videbitur remittes. Quoniam vero existimaveram ego duorum solummodo me Librorum, Geneseos scilicet & Exodi collationes prius dedisse, ideo nunc reliquorum trium, Levitici, Numerorum,

merorum, Deuteronomii, inclusas addo; ne per errorem forte aliquem, de exemplaris nostri integritate tibi quicquam desideretur. Erat autem in codice hoc nostro quod ferme tu ais de tuo, non solum annus scriptionis, sed etiam nomen ipsum scriptoris, & summi quoque illorum Pontificis adscriptum in fine, sive hoc honoris causa fieret, sive etiam numeris, quo exemplaria examinare & recensere sacerdotes deberent, propter Judæos diversa lectione utentes: cum & ipsi quoque Judæi pro officio suo religione & fide non minori sibi tradita custodirent. Adeo illis ἀεὶ φίλον ἀντιπράττεσθαι ἀλλήλοις. De sinceritate textuum tibi editum scriptum adhuc non vidi, aveo videre. Faciet ad eam rem LXX Interpretum præclara editio, quam D. Patricii, Yongi, sive Junii in manibus esse audio. De Exemplari Regio pervetusto quod primum ex Alexandria comparatum, Sanctæ Theclæ, ut credi volunt, nam eleganter scriptum, Patriarcha Cyrillus serenissimo Regi nostro Carolo per Oratorem suum D. Roëum Constantinopoli nuper transmisit. Hujus specimen jam editum est. Sancti Clementis quæ præfixa erat illa nobilis Epistola jamdiu desiderata olim Ecclesiis legi solita, ad Corinthios: Navigavit olim ex Ægypto Rabbi Moses Narbonum ad consulendum exemplar probatissimum,

quod ibi haberi intellexerat; nos ad hoc ex Ægypto perlatum nunc oculos intendimus. Dabunt ista ad meditandum & inquirendum materiam & segetem ampliorem. Sed iterum pecco dum immodicus fio; Te optamus in Domino fœliciter vivere ac valere.

Stepniæ, 3 Cal. *Octob. stylo quo utimur A. Sal.* MDCXXXIV.

Reverentiæ tuæ Studiosissimus,

Tho. Comberus.

EPIST. XLV.

Philippus *J. Morino* mittit quas à Patricio Junio petierat Morinus Notas ex MS. Exemplari 70 Interpretum.

Au R. Pere le R. Pere Morin *Prestre de l'Oratoire de Jesus.*

Mon Reverend Pere,

LA Grace de nostre Seigneur Jesus Christ soit avec vous à jamais. Enfin j'ay receu de Mr. Young ce que vous avez demandé

il y a long temps du MS. des 70, & plus que vous n'avez demandé pour recompenser le long delay. Il se recommande fort à vous, & m'a escrit que le Doyen de Carlisle luy a promis de vous envoier les differences des deux derniers livres de Moyse, si vous les desires, parquoy il semble que ledit Doyen n'a pas receu la vostre que je luy ay envoyée l'année passée. C'est pourquoy il seroit à propos de luy escrire encore un mot pour montrer vostre desir lequel je luy feray servir par M. Young. Ledit M. Y. nous supplie tres instamment de faire transcrire pour luy, de la Catene Grecque sur les Pseaumes colligée par Nicolas, que le R. P. de Sancy apporta de Constantinople; & est gardée en vostre Bibliotheque de Paris, l'Exposition sur le Pseaume $\overline{\text{οϛ}}$ qui commence ainsi: πενταχῆ τετμημένης τῆς τῶν ψαλμῶν πραγματείας, &c. & sur le Pseaume $\overline{\text{ογ}}$, jusques au commencement du $\overline{\text{οδ}}$, qui est ainsi: εἴρηται καὶ οὗτος ὁ Ψαλμὸς ἐκ προσώπου τῶν ἐν Βαβυλῶνι δορυαλώτων. &c. Parce que ces deux Pseaumes avec leur explication manquent à la copie MS. qu'il a ici. S'il y a quelque chose que vous desirés de la Bibliotheque du Roy, il vous promet le mesme plaisir. Toute la Cour part d'ici pour aller au progrés dans cinq semaines au plus tard, & ainsi si vos lettres

arrivent ici apres ce temps là, elles seront en danger d'estre perdues. Je suis à jamais

Mon Pere,

De Greenwich. vostre 5 de Juin, 1634.

Vostre tres-humble & tres-affectionnée Serviteur R. Philippe *P. de l'Or. de J.*

EPIST. XLVI.

Philippus J. *Morino* quærit utrum verum sit Canones Concilii Tridentini, qui de Fide tractant, non recipi à Doctioribus Sarbonicis.

Au R. P. Morin, Prestre de l'Oratoire de Jesus.

Mon R. Pere,

LA Grace de nostre Seigneur Jesus Christ soit avec vous pour jamais. Mr. Comber vous envoie le reste de ses lections sur le Pentatcuche. Il a fort recommandé que ce pacquet vous soit rendu seulement, c'est pourquoy je vous supplie de nous mander quand vous l'aurés receu & d'escrire

escrire un mot à luy mesme. Il a long temps que je vous ay envoié les diversités entre les exemples des 70 que vous aviez demandé escrites par Mr. Junius mesme. Mais je n'ay pas receu vostre reponse, ni seulement que vous les ayés receues. Je vous supplie de nous faire scavoir maintenant la recepte de toutes deux, & ensemble de nous mander quelque chose touchant vostre Assemblée generale. Je suis à jamais.

Mon R. Pere,

Hampton-Court, 16 *Octob.* 1634.

Vostre tres humble Serviteur R. Philippe *P. de l'Or. de Jesus.*

EPIST. XLVII.

J. Morinus *Fr. Harlæo* Archiepiscopo Rothamagensi in illius laudes excurrit.

Illustrissimo D. Francisco Harlæo, *Eruditissimo Rothomag. Archiepisc. & Normaniæ Primati* J. Morinus *Congregat. Orator. Presb.*

CUm primum longæ peregrinationis tædio, simul ac delectationi finem imposui, domumque me recepi, en otium tuum occupatissimum abrumpo. Alicui forsan audaculus videar qui Episcoporum principem male interpellem ᾧ λαοί τ' ἐπιτετράφαται καὶ τόσσα μέμηλε, qui vel dormiens Achillis clypeo incumbit. Sed hoc probrum ego qui te domestice novi nihili facio, tibi enim negotia obsequuntur, non tu negotiis; tibi homines inserviunt, non tu hominibus; tu libris, studiis, universæque literariæ supellectili dominaris, non ista tibi. Ludens hæc omnia, quæcunque lubet, agis; duces trahis, nec unquam de sede sua & statu mens tua dimovetur. Aeris procellas, furentesque

furentesque nimborum tempestates quæ hæc infima perturbant, hucque & illuc agunt, ferunt non modo salutis securi, sed & quietis dispectant superi. Paris fortitudinis atque etiam capacitatis mihi cognitus est animus tuus, ut mare in quod influunt innumera flumina, nec tamen diffluit; sic mens tua. Itaque licet pro dignitate tua variis & multiplicibus negotiis expositus sis, attamen nullus vel levissimus animum meum timor incessit, ne hoc Epistolium lubens legas & boni consulas: ab eo præterea mittitur, qui dignitati tuæ non assentatur, sed qui tanta in dignitate tuam virtutem & doctrinam supra dignitatem assurgentem amat, colit & admiratur; ab eo mittitur quem amicitia tua arctissime complexus es, quem multis benevolentiæ testimoniis decorasti. Non igitur spe lactor inani, φιλέεις φιλέοντ', ἄγεις ἄγοντα προφρόνως. ut verbis utar Pindari. Hanc benevolentiam ut mihi perpetuam conserves, etiam atque etiam rogo; sic me beneficio maximo afficis, spemque meam pari gaudio cumulabis. Vale.

Datum Parisis xj *Kal. Nov. Anno* CIↃDCXXXVI.

EPIST. XLVIII.

R. Goezaldus J. *Morino*, quo in pretio ſunt Romæ ejus Libri etiam apud Cardinales, ſcribit.

Au R. Pere Jean Morin aſſiſtant du R. P. General de la Congreg. de l'Orat. de Jeſus.

Mon R. Pere,

LA Grace de Jeſus pour jamais. La preſente eſt pour vous donner avis que partant y a bien 3 ſemaines de quelque affaire à Monſeigneur le Cardinal Barberin, il me demanda fort de vos nouvelles, où vous eſtiés, & que faiſiez à preſent, ſi vous ne compoſiés plus rien de nouveau ; Je luy dis que je n'avois pas ouy qu'euſſiés rien fait imprimer depuis le dernier que luy envoiaſtes, il y a trois ans ce me ſemble. Il ne me vint pas en penſée de vous excuſer ſur l'impreſſion de cette grande Bible à quoy je crois qu'aurez emploié un grand temps. Il me commanda de vous eſcrire de ſa part, qu'il vous prie & convie de ne demeurer pas oiſif, ains de continuer a compoſer toujours

jours quelque chose. Il me semble que ce dernier de vos livres qu'il a veu c'est *prior pars Exercitationum Biblicarum de Hebræi Græcique textus sinceritate, &c.* Et vous en promettiés la partie à posterieure, & me semble qu'à la fin vous mettiés la table des Chapitres qui devoient estre contenus en cette posterieure partie; si vous l'avez fait imprimer, je vous supplie de nous en envoier pour en presenter à mon dit Seigneur le Cardinal Barberin, & envoier au Cardinal Spada, & au Cardinal de Bagni, auquel j'en dois presenter deux dans peu de jours des vostres, qui luy manquent, scavoir vostre premier *De Origine Patriarcharum*, & l'autre Exercitationes Ecclesiasticæ in utrumque Samaritanorum Pentateuchum. Je les fais bien relier à ce dessein, il a Monsieur Noudé pour Bibliothecaire, homme docte, & qui fait estat de vos livres; il m'a assuré que mon dit Seigneur le Cardinal Bagni n'a que deux de vos livres, scavoir les susdits *Exercitationes Biblica de Hebræi Græcique Textus sinceritate*, & le Francois, *De la Grandeur de l'Eglise par les Francois*, que mon dit Seigneur le Card. estime. C'est pourquoy je luy veux donner les deux autres, & celuy *De Ara singulari* du R. P. Berthauld, duquel j'en ay receu deux depuis peu de jours. Je voulois

voulois donner l'autre au Cardinal Barberin, mais par hazard j'ay sceu qu'il en avoit de ja un, je ne scay si c'est le dit Pere qui le luy a envoié, il m'eust fait plaisir de m'en advertir. Vous aurez appris nos brouilleries susciteés par le P. Vacher, & par un ou deux des Chappelains qui le soutenoient en sa rebellion, de laquelle mesme il ne nous donnoit pas advis, promettant toujours de s'en aller, & sous main par quantité d'impostures sollicitoient à me renvoier moy-mesme hors de ceans, mais Mr. l'Ambassadeur ne l'a pas permis, par la grace de nostre Seigneur leur procede estoit injurieux à nostre congregation. Je croy qu'aurez eu communication des longues informations que j'en ay escrites à nostre R. P. General. C'est pourquoy je finis par nos tres-humbles recommandations de tous à vos SS Prieres, & de tous de la maison, demeurant en J. & M.

Mon R. Pere,

A Rome, 7 Jan. 1637.

Vostre tres-humble & tres-obeissant Serviteur
Rene Goezald *P. de l'Or. de Jesus.*

EPIST.

EPIST. XLIX.

J. *Merinus* Eminentissimo Cardinali *Barberino* Studiorum suorum, Librorumque tam à se editorum, quam edendorum rationem reddit.

Eminentissime Card.

SCripsit ad me Goezaldus noster, eminentiam tuam non mei non esse immemorem, verum etiam de me, studiisq; meis ab ipso multa percontatum esse. Ad hujus rei nuntium, gratias egi Deo opt. max. cujus Ecclesiæ labores meos ab adolescentia consecravi, quod eorum recordetur, & ad novos incipiendos me hortetur ille, qui summo Ecclesiæ Pastore tam arcto sanguinis vinculo cohæret; qui in Ecclesia regenda non modo à natura, sed potissimum à Jesu Christo Domino nostro Consiliarius summo Pastori datus est & administer. Non est frustrata spes mea, nec, ut ait Sapiens, in ventum me laboravisse experior; est enim quod doctis omnibus placere confidam, quæ tibi non displicuere, & frugem in Ecclesia Dei datura, quæ non infrugifera

fore

fore judicasti. Platonem auditorem unicum nactus, Orator operæ orationi navatæ se non pœnitere testatus est. Amico rescribebat Philosophus eum solum amplum satis esse sibi theatrum. Quid lucubrationum mearum me pœniteat, cum earum non modo approbatorem, sed etiam suasorem & impulsorem nactus sim, qui summa sua autoritate iis potest per universum orbem nomen conciliare, & exquisitissima doctrina existimationem? Quidni igitur audeam Eminentiam tuam hac Epistola studiorum meorum rationem illi redditura tantisper interpellare, maximis licet negotiis quotidie vacantem: Cum præ fulgore Eminentissimæ Purpuræ tuæ pudibundum & reflitantem ipsamet ad id me invitet & excuset? Abhinc igitur triennium licet variis negotiis propter congregationem, cui me dedidi, implicitus fuerim quæ supererant posteriori parti Biblicarum Exercitationum, pro qua edenda fidem meam publice obligaveram, licet priorem materiæ necessitate compellente, multorum foliorum mole superatura sit, fere ad umbilicum duxi, & Deo cœptis favente, ante mensem Majum nihil ei defuturum spero quod ad ipsius adornationem, aut conferre possim, aut conferendum existimem. Fidem meam illorum editione jam liberassem, nisi me bellorum immanitas,

tas, quæ fere per universam Europam grassantur, me retardasset. Qua de re agatur toto illo opere, longum esset hic enarrare, ad finem prioris partis editi Indices 13. mss. id indicant. Attamen hoc unum Eminentiam tuam non celabo, potissimum illo opere mihi propositum fuisse, quidquid unquam Judæi antiqui & recentiores ante vel post Talmud compositum, ad hæc usque tempora, in gratiam & illustrationem Textus Hebræi præstiterunt; eorundem de istius Textus castigatione & dispositione, diversas admodum & pugnantes sententias, varias ejusdem Textus lectiones plus quam bis mille locis adnotatas, aliaque id genus, ex correctissimis ipsorum Biblicis codicibus, ex ipsorum tantum Archivis, & Commentariis antiquis & recentioribus eruere, & Christianis omnibus propalam dare conspicienda: hinc enim luce meridiana clarius est, nihil Judæos in gratiam sui Textus nunquam tentasse quod sit ingentibus Ecclesiæ laboribus in sacri textus conservatione exantlatis comparandum; & hæreticos etiam, nobis tacentibus, ea quæ prorsus ignorabant in immensum temere laudasse, vulgatamque Editionem, adversus quam, furore potius, quam ratione debacchantur, fontibus Hebraicis multo puriorem & limpidiorem fluere. Ante quadriennium excudi curavi

in

in corpore magnorum Bibliorum duplicem Pentateuchum Samaritanum cum Latina versione, Hebræo-Samaritanum, & ejusdem in Linguam Samaritanam versionem; utrumque excusum hac hyeme relegi & recensui, & quæ à Typographo errata fuerant, adnotavi, Hebræo-Samaritanum vero excusum cum quatuor antiquis Manuscriptis comparavi, & varias lectiones exscripsi; Samariticam autem versionem, quæ Judæorum Chaldaicæ respondet, permultis sed brevissimis adnotationibus illustravi. Est mihi præ manibus aliud opus, de antiquo scilicet pœnitentiæ ritu, & confessionis necessitate, cui jam sæpius animum applicui, sed aliis sæpe datis scribendi occasionibus manum applicatam è tabula subducere invitus sæpe subduxi. Ista enim scribendi materies quæ antiquam Ecclesiæ vel disciplinam vel historiam spectat, meam esse cupio, huic cognoscendæ ab adolescentia tempus, otiumq; meum potissimum dicavi; cætera consiliis meis fuere accessaria & [illegible]. Itaque his intra paucos menses expeditis & dimissis, ad antiquam Ecclesiæ disciplinam & historiam, velut rure domum revertar. Diutius æquo te interpello & distineo, Eruditissime Cardinalis, sed ignosce quæso confidentiæ meæ. Principes, quotquot animi dotes opibus prætulerunt, hoc est, quotquot Deo, cujus

vivere

vivere est intelligere, similes esse studuerunt, viris litteras profitentibus multa semper indulsere; deinde si audaci nimium confidentia peccavi, ipse in culpa es, qui summa tua humanitate, & singulari in me benevolentia Eminentiam tuam adeundi, & ei negotiola mea familiariter exponendi confidentiam excilasti. Ecclesiæ suæ Jesus Christus Dominus noster, te, Cardinalis Eminentissime, valentem & incolumem quam diutissime conservet. Iterum vale, meque Eminentiæ tuæ obsequentissimum, ut amare pergas, impensissime rogo.

Parisis, 4. Idus Febr. 1637.

EPIST

EPIST. L.

D. de Peyresc J. *Morino* monita nonnulla de Samaritanorum Pentateucho.

MONSIEUR,

Monsieur le R. P. Morin *Pref. de l'Orat.*

Monsieur Morin, R. P.

IL y a quelque temps que le fils de Mr. Vitray m'apporta une lettre, vostre contenant certaines reliques de monumens Puniques, dont vous me faisiés l'honneur de me demander la communication que je seray tres aise de vous despartir, n'aiant rien que ne soit à vostre service, & à vostre disposition. La question estoit de trouver tems & le loisir de fouiller parmi mes layetes pour entirer ce qui pouvoit vous estre duisable, ce que j'en ay encore pû rencontrer à mon grand regret, & m'attendois à nos prochaines vacations pour tascher de vous pouvoir satisfaire en cela & en toute autre chose que je jugeray pouvoir tomber dans vostre goust. Mais ayant appris que

vous

vous aviés rendu à MSS. du Puy, 4. volumes Samaritains de ceux que j'avois envoiés de par delà pour l'amour de vous, & voyant que vous aures vray-semblablement songé en mesme tems de rendre au Sieur Pietro della Vallé son volume Samaritain, dont il estoit en peine assez long tems ya, j'ay cru d'estre obligé de vous supplier que je sache s'il vous plaist ce que vous en aurez fait, attendu les lettres que j'avois escrites audit Sieur della Vallé pour le vous faire tomber en main. Et ce qu'il m'en avoit fait scavoir principalement depuis que le temps commensoit a luy durer, d'en voir l'edition qu'on luy avoit fait esperer, & la restitution de son volume dont je m'estois rendu garent en son endroit. Il ya de plus un autre subject de m'en mettre en soin sur ce qu'on m'a dit, ce me semble que vous vous estes contenté de faire imprimer seulement le texte Hebraique des Samaritains sur l'exemplaire de Mr. l'Evesque de St. Malo, avec quelques diverses lesons ou expositions de certains mots de la version Syriaque ou Samaritaine, sur l'exemplaire dudit Sr. Pietro della Vallé. Un autre m'aiant voulu asseurer que c'est la version entiere de ce volume dudit St. Pietro della Vallé, que vous avez fait imprimer, & que du texte Hebraique des Sa-

maritains vous n'en avez marqué sinon les diverses leçons de quelques mots plus considerables, auquel cas cette addition nous pourroit suffire à suppléer les imperfections & defectuosités de mon Pentateuque Tritaple. Mais à l'autre premier cas j'aurois grand regret que ce volume fut sorti de ce Royaume sans y avoir fait transcrire les supplements entiers de ce qui manque en la troisiesme colomne de mon volume, comme la seconde colomne se peut suppléer d'un autre volume que j'ay de la version Arabique des Samaritains lequel j'avois envoié à Paris, pour vostre usage; mais je me doute que vostre absence en aura empesché l'effet, outre que possible n'avez vous pas jugé que la chose peusse meriter de s'en mettre en peine, & toutesfois il pouroit bien advenir un jour qu'on desiraſt en meilleure saison d'en faire une edition avec toutes les autres langues avec leur Version Latine pour exercer les plus Curieux. C'est pourquoy je serois bien aise d'envoier dequoy fournir tout ce qui peut estre requis, & serois volontiers la despense d'un Cepiste, s'il y en a là d'assez entendus pour cela, qui prist la peine de suppléer & transcrire dans mon volume les cajers & feuillets qui y manquent, & d'en prendre le texte ou la version sur les 3 volumes

lumes qui y peuvent suffire, mais principalement pour la troisieme colomne sur celuy de Sieur Pietro della Vallé. Mr. de St. Sauveur ou mon frere feront fournir les frais necessaires, & je ne seray pas marri de faire cette petite avance pour l'interest du public, attendant un tems plus calme & plus propre à telles enterprises. Je vous supplie donc de m'y aider, & de disposer à cela celuy que vous pouvez avoir emploié à la transcription ou correction de vostre texte, & de vostre edition en characteres Samaritains, & faites estat de moy en revanche comme.

Monsieur mon R. P. de

A Aix ce 2 Juin 1637.

Vostre tres-humble & tres-obeissant Serviteur,

De PEYRESC.

EPIST. LI.

J. Morinus *Petro à Valle* De Codicibus MSS. Samaritanorum, variisque inter se collationibus nonnulla.

Perillustri D. D. Petro à Valle *Joannes Morinus* S. P. D.

SUspicari non abs re potuisti, perillustris Domine, me tui beneficii quæ à te accepi, immemorem esse, cum jam annus alter effluxerit, aut etiam amplius ex quo de me deque tuo Manuscripto Samaritano nihil prorsus acceperis, aut etiam forte audieris. Rescripseram ab hinc tres menses R. Patri Goezaldo, ut te meo nomine salutaret, & si Romæ commorabaris me certiorem faceret, ut ad te scriberem, rationemque editionis Pentateuchi tui tibi redderem, nec non te monerem nihil aliud nunc me quærere, quam codicis tui restitutionem Sed Goezaldus ad me scripsit, jam annum integrum elapsum esse cum Cajetam diverti̇sti, nec te Romæ ante autumnum à tuis expectari. Licet Romam non

fis

sis rediturus statim, moras tamen omnes rumpere mihi visum est, & animum tuum anxietate liberare. Paucis igitur habe & editionis Samaritanæ, & retardatæ codicis tui restitutionis rationem. Annus jam quartus agitur si bene memini, cum utriusque Pentateuchi, & Hebræo-Samaritani & Dialecto Samaritani editio cum Latina versione peracta est. Editione peracta supervenerunt mihi ab amplissimo Domino Peresio MSS. Codices tres, quorum unus trilinguis erat, Hebræo-Samaritanus, Arabicus & Samaritanus, sed à tuo non sensu, sed verbis admodum diversus, ita ut si non alia versio videretur, tota esset interpolata. Verum Codex ille variis in locis, fere quinta sui parte mutilatus erat. Cum codices illos accepi, illorum comparationem cum editione mea facere instituì; deinde adnotiunculis Asterisscorum quorundam quos sæpiuscule textui Samaritano inscripsi, rationem reddere; quadruplici de causa potissimum Asterisscos inscripseram.

Primo, Ob quasdam dictiones aliquot in locis in Codice tuo præteritas, quarum lectorem admonui, eas cum licuit ex alio codice resarcivi.

Secundo, Ob quædam verba Samaritana rara, & intellectu difficilia, quæ explicui.

Tertio, Cum interpres versioni suæ aliquid addidit quod in textu Hebræo-Samaritano non extabat, hoc notavi & interpretatus sum. Sed iste interpres ita presse textui adhæret, ut ab eo rarissime discedat.

Denique, Cum versio mea Latina Hebræosa textus ab interprete Samaritano variat. Verum occurrentibus aliquot negotiis litterariis, opus hoc quod trimestri aut quadrimestri tempore me completurum confidebam, differo donec reliquorum Bibliorum editione Arabica & Syriaca urgerer. Sed editione illa pedetentim progrediente propter illius qui Syriaca & Arabica Latine vertit lentum nimium, & in labore remissum animum annus unus, & alter, atque etiam tertius elabuntur, necdum tanto temporis spatio ad exitum festinat editio. Itaque hieme proxime præterita, cum ab aliis negotiis inducias obtinuissem, editionem Hebræo-Samaritanam cum prototypo, & quatuor aliis exemplaribus comparo, varias lectiones adnoto, occurrentia errata corrigo, Asterisscorum quas memoravi rationes explico, Samaritanæ versionis textum recognosco: hisque peractis, ad amplissimum Virum Peresicium scribo, codices suos quamprimum sese dederit occasio me remissurum, idem etiam R. Patri Goezaldo

de

de codice tuo significo, eamque ut de salute tua mihi rescribat rogo. Habes, Vir illustris, & mihi plurimum observande Domine, retardationis meæ sinceras excusationes, jam nihil aliud quæro quam codicis tui remittendi occasionem, illum brevi Deo dante recuperabis integrum, Capitum & Versuum perpetua adnotatione auctum. Vale, & me tui observantissimum ut amare pergas etiam atque etiam rogo.

16 *Kal. Jul. An.* 1637.

EPIST. LII.

Pet. à Valle J. *Morino* ad præcedentem Responsio.

Admodum Reverendo Patri, atque Eruditissimo Domino suo Patri Joanni Morino *Congregat Orator. Presbytero*, Petrus à Valle *Peregrinus S. P. D.*

EXimia me jucunditate perfuderunt, amantissime mi Pater, atque observandissime Domine, litteræ tuæ, quas Cajetæ accepi. Vere namque anxius eram, non quidem de restitutione Pentateuchi mei: De hac enim ante annum ad te scripseram

quod in adjuncto folio inspicies; licet ex epistola ob repentinum meum ex urbe discessum, ad te tunc transmissa minime fuerit. Sed certe mirum in modum angebar, tum ob valetudinem tuam, de qua quid esset ignorabam; tum etiam ob jamdiu expectatam, summisque votis expetitam Bibliorum editionem, cujus retardationis causas luculenter modo mihi patefecisti. Non miror interpretem illum Syriacæ & Arabicæ Linguæ pedetentim, ut narras procedere; incredibilis enim, & mea sententia improbi sane laboris est linguarum externarum interpretatio, cum recte peragitur, nec omnes in hujusmodi lucubrationibus tam indefessi viribus, & animo tam pertinacis patientiæ, uti Pater Morinus, esse possunt. Faxit Deus ut multilinguia Biblia ista prodeant tandem, si sero, exacte saltem compilata; quod ad Librum attinet meum immortales tibi gratias ago de inscriptione Capitum, deque annotatione Versiculorum quibus illum ornasti. Tot tantisque beneficiis quibus me perpetuo tibi devinctum fore pro certo habeas, ut unum hoc addas exopto; quando nimirum Pentateuchus Samaritanus cum tua versione Latina impressus, sive Bibliis adjunctus, sive solus publici fuerit juris, ut unico impresso exemplari, in tui memoriam, & in tantæ

reipublicæ

teipublicæ literariæ utilitatis monumentum apud me, pretioso tanquam thesauro adservando, Musæunculum meum quale quale illud sit, locupletari dedigneris. Ego interim cum Romam rediero, ubi & libros & alia mea omnia reliqui, externorum voluminum, quæ apud me extant, judicem ad te mittam, ut si quid ex illis tibi, ab aliis jam negotiis vel induciis, vel manumissione impetrata, in novæ studiorum exercitationis occasionem habere placuerit mihi quamprimum significes; quidquid petieris Parisios usque ad te quam citissime amandaturo. Reliquum vale, & me ama, ut soles.

Cajetæ, viij Idus *Augusti*
CIↃIↃCXXXVII.

EPIST. LIII.

R. Goezaldus *J. Morino*, Aulici Romani urgent ut novam Libri sui *De la Grandeur*, &c. Editionem procudat cum castigationibus quas illi præscribunt, de Congregatione Oratorii nonnulla.

Au Reverend Pere Jean Morin, *Assistant Reverendissime P. General de la Congregation de l'Oratoire de Jesus Christ nostre Seigneur.*

Mon R. Pere,

LA Grace de Jesus vous soit donnée pour humble salut. Il y a quelque temps que je receus la vostre du 16 Juin, avec ce qu'aviez appris de Mr. Mainard, sur ce que je vous prie de scavoir de Berengarius. J'en ay donné copie à cet honneste homme qui me l'avoit demandé, il est fort content, & vous remercie infiniment, & moy aussi tres particulierement, comme aussi nous vous remercions aussi tous tres affectieusement de la décharge des frais des Deputations & Assemblées Generales. J'ay salué de vostre part

part Monseigneur Suarez Evesque de Vaison, qui en a receu contentement, & m'a prié de vous rendre le salut avec multiplication, il m'a encore mis sur vostre livre François, demandant si vous n'aviez point fait faire cette seconde impression avec ces corrections qu'il vous avoit conseillées, & me reitera ce qu'il m'avoit dit autrefois comme Monseigneur le Cardinal Barberin luy aiant commande de voir vostre livre mesme pour satisfaire au Pape qui en estoit un peu esmeu à cause de son Baptistaire de St. Jean de Latran; il l'avoit tenu long temps jusques à ce que la memoire s'en escoulast, & ainsi le laissa comme cela sans en faire son rapport, sinon qu'il vous escrivoit comme il fit des ce temps là, & fit scavoir vostre reponse à Monseigneur le Cardinal Barberin, comme esties disposé à corriger & changer ce qu'on desiroit, & ainsi on n'y pensa plus. Je l'ay remercie derechef de ce procedé qui ce semble estoit le meilleur, parce que depuis on n'en a plus parlé. J'envoiay aussi à Cajette pres de Naples vostre lettre au Seigneur Pietro della Valle, il ne m'a point encore fait de reponse, il y a 18 mois qu'il est là à une maison qu'il y a. Mr. Golstenius est encore à Malthes avec ce Seigneur Alleman frere du Landgrave de Hesse, qui s'estoit converti ici, & que le Pape fit Chevalier & grand

grand Croix de Malthe, & on croit qu'il le veut faire grand Prieur d'Allemagne, Mr. Golstenius avoit contribué à son institution pour la conversion. C'est pourquoy Mr. le C. Barberin l'envoia avec luy. J'aurois remercié Mr. le C. Barberin de vous avoir escrit & témoigné l'estime que faites de ce bonheur; mais je ne luy ay point parlé depuis, tout le temps passé on a fait fort peu d'affaires à cause de la maladie du Pape, lequel se porte bien à present, graces à nostre Seigneur, & on croit qu'il paroistra en public le jour de la transfiguration à la Chapelle de sa creation. Il y a 2 jours que je receus la vostre du 29 du mesme Juin (nostre Courrier a tardé de huit jours à cause des bruits de Contagion de Lyon, les Genevoisnes ne l'aiant pas voulu laisser passer, & a esté contraint d'envoier se valise par un autre Courrier) avec l'ordre pour la nomination des Deputés, & vous dites pour cela que l'assemblée se doit faire le 12 de ce present mois d'Aoust à nostre Dame de Grace, & nos lettres d'ici pour ce pays là ne peuvent partir de Rome, sinon le 8 dudit present mois par le Courier d'Avignon, qui emploie d'ordinaire trois semaines à aller en Avignon, d'où on ne trouve pas tous les jours commodité d'envoier à nostre Dame de Grasse, tellement

ment qu'il y faut souvent une autre semaine, au lieu de 4 semaines nous n'aurons que quatre jours, neantemoins j'ay assemblé nos Peres pour leurs declarer vostre volonté, outre l'excuse de nommer sur l'impossibilité d'en envoier les billets à temps. Ils vous prient tous de ne nous comprendre pas mesme en ces choses, veu que cela est inutile, disent ils, quand mesme on auroit receu les ordres y a cinq semaines: ce qui estoit necessaire pour faire tenir à temps les billets; car nous ne connoissons pas les sujets de delà, & ne pourrions faire aucunement nomination raisonnable sinon par hazard. Il y a trois ans que nous n'avions personne qui conquist ceux de Provence, ausquels vous nous liez, sinonle Pere Mainier, & Mr. Vaché, qui sont deux tresmauvais juges en semblables affaires, & qui feroient toujours elire les plus discoles comme eux, comme ils faisoient pour ceux qu'ils desiroient faire venir en cette residence; ils ajoutent encore que ceux de cette residence ne peuvent jamais avoir voix passive en ces deputations là, & que les Deputées de Provence ne peuvent point representer en l'Assemblée les besoins de cette residence, & des particuliers d'icelle, & diverses autres choses qu'ils alleguent. Il y a trois ans que nous receumes

mes pareillement semblable ordre tout en mesme temps, scavoir le dernier jour de Juillet & nos billets arriverent trois semaines aprés la deputation faite. Il suffit que le R. P. General donne charge à un de ses Assistants de pourvoir aux besoins de cette residence, je vous supplie tres-humblement de nous y assister, & representer nos affaires en ladite prochaine assemblée, & particulierement vous n'oblires pas de supplier pour moy nostre R. P. General d'envoier un autre Superieur pour cette residence, ou en nommer un autre de ceux qui sont ici avec nous, si tant est que les affaires de la Congregation ne permettent pas qu'on en envoie un de France pour cela, & qui seroit neantmoins tres-necessaire pour le bien & honneur de la Congregation, d'avoir ici un homme docte, & vertueux, & exemplaire, & qui peust traiter avec les grands. Croyez moy que le R. P. Bertin y estoit beaucoup plus utile qu'on ne comprend pas par delà, & une infinité de personnes l'ont regretté & le regrettent encore, & il servoit grandement la Congregation, & un grand nombre de personnes de diverses qualitez & ordres, ce qui donnoit grande estime à la Congregation laquelle se trouve fort humilitée à present: si vous ne pouvez pas vous priver en France du R. P. Bertin,

vous

vous en avez d'autres qui sont doctes, & ne prêchent pas, & pourroient ici en faisant les mesmes estudes qu'ils font en France, servir beaucoup la congregation, nous avons une de nos six places vacantes, mais je ne vous presseray pas beaucoup de la remplir, si ce n'est d'un Superieur, ou d'un qui se vouluſt ſtiler à la ſollicitation des affaires, car je n'ay ſecours de perſonne & neantmoins je fais peu de choſe, & vas toujours en affoibliſſant, & diminuant de veue, de force, de ſante, & autres qualitez requiſes; & ainſi il y a eſperance qu'il faudra bientoſt finir, ce ſera quand il plaira Dieu. Sur tout je vous ſupplie de faire en ſorte que je ſois deſchargé de la ſuperiorité dont je ne fais aucunes fonctions qui emportent le nom en eſtant du texte incapable; il eſt probable encore que ces Meſſieurs de la Congregation de St. Loüis n'auront pas de crainte & ombrage d'un autre, comme ils ont eu de moy, ils croyoient quelquefois que tous les pas que je faiſois chez les Ambaſſadeurs eſtoient pour traitter contre leur authorité, & neantmoins je ne fais pas meſme les viſites neceſſaires de complimens, & quand en ſix mois une fois il m'en faut faire quelqu'une, je tremble & n'a y mot à dire, & je ne parle que quand j'ay quelque affaire à recommander, ou quelque lettre à rendre, il

me

me semble que le P. Loüis Simian seroit le plus propre pour estre Superieur. Il est zelé pour l'observance des reglemens, mais il seroit fort à desirer que vous en envoiassiés un de France qui fust docte pour correspondre aux occasions & rencontres particulieres, chose qui nous manque à tous au prejudice de l'estime qu'avoit acquise autrefois la Congregation en cette ville. Je prie Dieu de nous donner ce qui sera plus à sa gloire, & avons tous les contentemens que vous desire celuy qui desire demeurer à jamais en Jesus & Marie apres vous avoir presenté nos humbles recommandations de tous à vos SS. Prieres & Sacrifices, & par vostre moyen au R. P. General, & aux R.R.P.P Bourgoing & d'Orron, & à tous de la maison.

Mon R. Pere,

A Rome, ce pr. d'Aoust 1637.

Vostre tres-humble & tres-obeissant Serviteur
René Goezald, *P. de l'Orat. de Jesus.*

Le R. Pere Esprit partit d'ici par mer pour Aix des le pr. de Juin, & nous n'avons encore aucunes nouvelles s'il est arrivé ou non

non, juges quel temps il faut pour avoir lettres de ce pays là. Nous les avons bien plutost de Paris.

EPIST. LIV.

J. Morinus Patr. *Junio* Exemplaris Græci 70 Interpretum cujus Specimen dederat Junius Indicium suum affert, simulque Criticen prolixam præcipuarum Editionum Græcarum tam veterum quam recentiorum.

Clarissimo & Eruditissimo Viro Patr. Junio *Joan. Morinus.*

JAm fere quadrimestre elapsum est cum Exemplar Libri Job. Londini Græce editum accepi à R. Patre Philippo, ad me tuo nomine missum, titulum præ se fert speciosum admodum, & omnibus, ut opinor, divinorum Oraculorum amantibus εὐπαράδεκτον, *juxta scilicet verum ac germanum 70 Seniorum interpretationem ex venerando Bibliotheca Regia MS. codice & totius orbis antiquissimo*; pridie quam longum iter aggrederer, in quo integrum trimestre consumpsi,

redditum est mihi exemplar illud cum R. P. Philippi litteris. Itaque temporis angustia oppressus, nullam tum potui istius editionis comparationem instituere, sed cum primum Lutetiam redii, mihique per otium licuit exemplar istud lustravi, & cum Romana Editione, nonnulliſque aliis Textibus aliquot in capitulis contuli. Antequam id quod de isto exemplari sentio, tibi aperiam, illius ad me missi gratias agam tibi non leves: tem pergratam sane mihi feciſti, quamque scire & experiri plurimum avebam, ideo me tibi non parum devinctum fateor. Si officiis & obsequiis erga te meis par tibi referre, amicitiamque tuam quæ mihi chariſſima est, promereri possum, ea præstare quam libentiſſime & pro viribus adnitar. Quod ad rem attinet, pedibus manibusque in tuam eo sententiam, Editionem illam veram esse & germanam 70 Interp. interpretationem: An sit totius orbis antiquiſſimus Codex ille ex quo Jobi Editio expressa est, definire difficile, ne dicam ἀδύνατον. Litterarum figura qua Codex ille Regius exaratus est, ut ex earum specimine à te exscripto conjicio, arguit sane venerandam antiquitatem, & annos mille ducentos superantem. Est Parisiis in Bibliotheca Fratrum Puteanorum antiquiſſimus Epiſtolarum Sancti Pauli Codex majoribus litteris

Græce

Græce & Latine descriptus, & Versio & Character Sancti Hieronymi ætatem non potest non æquare; at Character Characteri adeo similis est, ut eadem manu uterque merito judicari possit exaratus. Sunt forsan tibi alia tam reconditæ antiquitatis argumenta, quæ Characteri juncta, tam admirandæ antiquitatis venerationem augeant & tueantur, quibus ego, te judice, facile assentiar. Cum autem dixi Editionem illam Jobi veram esse, & germanam 70 Seniorum interpretationem; non statim colligi velim ἀδιάλειπτον integritatem esse illi tribuendam, ita ut nihil sit in ea παρεγγεγραμμένον: quis adeo istarum rerum rudis est, aut fatue superstitiosus, ut tam insanam opinionem de quo libuerit Codice Græco, Hebræo, Latino in animum suum inducat? Vera igitur & germana est 70 interpretatio, hoc est, non adulterina ne quidem interpolata, sed ea ipsa quam ex Hebraico Seniores illi transtulerunt. Verum nihil prohibet in ea nævos esse & mendas illapsas, & ex Scriptoris vitio, & exemplaris à quo est olim Codex ille exscriptus. De hac re plurimum conqueritur ipse Origenes Tractatu octavo in *Math.* *Multam*, inquit, *differentiam inter exemplaria invenimus, sive per negligentiam scribentium, sive ex temeritate quorundam, sive propter eos qui negligunt*

gunt emendare Scripturas, vel propter eos qui quod ipsis videtur in emendationibus, vel adjiciunt, vel subducunt, &c. Quoties hanc querelam ciet Sanctus Hieronymus, & ei forsan nimium indulget; tu ipse judex esto, qui in eo studiorum genere sæpe & diligenter versatus es. Antiqui Novi Testamenti Codices à se invicem sæpe verbis, & non nunquam sensu discrepant, germani tamen censentur, quidni pronunciabitur idem de veteris Testamenti Codicibus cum præsertim etiam nunc id experientia testetur? Antiqui autem istius Codicis sinceritatem non tantum ex Jobi Textu colligo, sed etiam ex aliis quæ Codex ille genuinus Septuaginta interpr. Editioni habet conformia, ut Exodi Capita 36, 37, 38, & 39. & Hieremiæ Prophetæ à Cap. 25 ad Libri finem: eadem illa sinceritas duobus aliis argumentis quæ latissime sese diffundunt potissimum comprobari potest, si ea scilicet quæ Asteriscis Origenem antiqui Patres antiquæ Editioni addidisse scribunt ab eo Textu, absint; ea vero quæ Obelo notavit, adsint. Ejusmodi plurima in Esaia notavit, Procopius; multa quoque Sanctus Hieronymus Commentariis in majores quæ & minores Prophetas. Vix ego dubito quin ea fere omnia quæ Asteriscо fuerunt olim notata, absint à codice tuo, adsint autem quæ Obelo. Hæc periclitanter plurimum

plurimum adjuvabit Josuæ Editio à Viro Eruditissimo Malio instaurata: antiquissimum enim Codicem Syrum nactus fuerat ex Græco Hexaplorum Origenis quæ Eusebius Cæsarienſis manu ſua correxerat, verbum è verbo Syre ante annos mille redditum. Asteriſcis, Obeliſcis, Lemniſcis & Hypolemniſcis Origenianis inſtructum. Videbis ſi ubique pura eſt, ut facile credo, ea fere omnia quæ Asteriſco apud eum notantur, à Codice tuo abeſſe; quæ vero Obelo, adeſſe; quo ſæpius aderunt illa, hæc vero aberunt, eo κιβδηλίας frequentiora erunt γνησίεια: his duobus argumentis tertium accedit, textus cum teſtimoniis quæ antiquiſſimi Patres referunt, comparatio. In exercitationibus noſtris Bibleis hæc & ſimilia de Editionis Romanæ textu frequentiſſime periclitati ſumus, fereque ſemper deprehendimus quæ Asteriſco notata ſunt, abeſſe; quæ Obelo, adeſſe: quæ textus 70 Seniorum ἀκιβδήλου, qualis ante Origenianarum notarum cum textu confuſionem in Eccleſia legebatur, certiſſima ſunt argumenta. Non enim arbitror te ejuſmodi comparationis peritum, eorum ſententiæ accedere qui illius prorſus rudes 70 Interpretum editionem eo ſinceriorem judicant, quo propius abeſt à textu Judæorum Neoterico: Godicem enim tuum veram & germanam 70 In-

terpretum Editionem inscribis, nec immerito, verum à Judaico Neoterico quantis distat parasangis? Nec istæ differentiæ Neotericæ sunt: easdem deprehendit Origenes, quæ tantæ discordiæ causa fuerit non est hujus loci disputare. Ex iis quæ diximus oritur difficultas quæ cuidam forsan videbitur non levis. Si meâ sententiâ Romana Editio germana est 70 Interpretum, unde fit ut à tuo Codice tantopere dissideat? Primum nego tantum esse dissidium, ut ideo jure non possit utraque dici germana; maximum, inquis, dissidium reperitur in libris Judic. & Job. Jobi multa capita, v. g. sex priora, 24, 30 & 36, & tria posteriora, cum Editione Romana contuli. Confer antiquum aliquem N. T. Codicem Græcum cum excuso Textu, & differentias deprehendes plures & majoris momenti; hoc expertus dico. De illo antiquissimo Evangeliorum & Actuum Codice Cantabrigensi verba non facio, immaniter enim ab excuso distat, sed de quovis alio Manuscripto, qui multo propius ad excusum accedat; imo comparentur duo quilibet antiqui Novi Testamenti Manuscripti, & occurrent tibi varietates vix minus numerosiores. Num ideo alteruter aut neuter Manuscriptus erit N. T. germanus textus. Secundo, Dico istius varietatis triplicem esse causam; primam

mam attigit supra Origenes quæ aliis omnibus Libris communis est, secundam reddit S. Hieronymus præfat. in Paralip. quæ 70 Interpretes potissimum spectat. Triplex fuit 70 Interpretum correctio Origeniana, Hesychiana, & Luciana; hinc Codicum istius Interp. triplex varietas. Hesychiana videtur tua Editio: Audio enim Alexandriæ olim descriptum fuisse Codicem tuum. Masio Lucianus videtur ille Codex ex quo Editio Romana expressa est, mihi vero potissimum Origenianus: Lucianus enim, ut constat ex Eusebio & Suida in verbo Lucianus, interpretationem Ecclesiasticam ubi vitiatam esse illi constabat, ad Hebræi Textus normam castigavit; Origenes vero purum putum 70 Interpretum textum repræsentare sategit; ubi autem ab Hebræo variabat, id Asteriscis vel Obelis notavi; ubi vero Codices 70 à se invicem Lemniscis & Hypolemniscis: Sæpissime autem deprehendes ubi Patres & Scholiastæ monent aliquid esse de Textu 70, sic haberi in Editione R. licet ab Hebræo Textus ille dissentiat. De Asteriscis verba non facio, qui sunt notæ verborum & sententiarum ad repræsentandum Textum Hebræum, ubi Editione Ecclesiastica amplior erat de industria additarum. Sæpissime dico, aliquando enim aliter deprehenditur. Hinc fit sæpius cum differt in re

tantilli momenti ab Editione R. Codex tuus cum Hebræo Textu consentiat. Alia causa quamobrem Origenianam illam Editionem existimem aut potissimum Origenianam, est quod non tantum Asiæ majoris Ecclesiæ Codices Origenianos amplexæ sint, sed Græciæ, Constantinopoleos, Asiæ quoque minoris & vicinarum Regionum, Romæ quoq; & Italiæ Magnates, & Bibliothecæ celebres Origenis hexapla describi ut omnium Editionum correctissima, indeque Editionem 70 exscribi magnopere curabant, ut S. Hieronymus testatur, apparetque ex Authorum qui in illis Regionibus vixerunt commentariis, qui omnes Origenis hexapla maxime commendant. Tertia varietatis causa est, quod multi antiquitus, si quid in Editione Ecclesiastica varium deprehendebant, nescio qua textus Hebraici & ostentandæ πολυμαθείας ξηροκακιζηλίᾳ, illud statim ex Aquilæ aut Theodotionis Editione corrigebant, quis enim tum temporis ex Hebræo textu emendationem illam præstare potuisset? Ex his causis fit ut Codices 70 Interpretum etiam correctissimi inter se nonnihil varient, etiam ubi Amanuensium negligentia aut ignorantia nulla est vel alteratio commissa: Correctissimos dico ne existimes hic de mixtis illis Editionibus me verba facere, quales sunt Complutensis, Antverpiensis,

sis, Francofurtensis, & aliæ. Illæ enim non sunt ullo modo sinceræ 70 Editiones, sed farrago quædam ex Editione 70 Seniorum, & interpretatione Theodotionis collecta. Interrogabor forsan hoc dato, utramque illam Editionem germanam 70 Seniorum interpretationem, utra purior, & ab omni menda defæcatior. Romanam præstare ratio sana & experientia suadere videntur. Ratio Romana est ex Origeniana exscripta, quæ semper habita est sinceriſſima, deinde Vaticani exemplaris ex quo expressa est Romana Character, ut eam describunt qui Editioni præfuerunt, antiquitatem arguere mihi videtur nonnihil reconditiorem quam quæ tuo possit exemplari convenire. Experientia, extat Olympiodori catena in Job. latinitate donata; est etiam apud nos Græcum illius Exemplar, non equidem uncialibus litteris, sed pulcherrime in charta vitulina descriptum. Scriptio quintum aut sextum ante hoc sæculum indigitare videtur. Romanæ Editionis textus cum isto fere semper convenit, & fere ubi dissentit, cum tuo convenit; sed ut plurimum dissensionis causa est, quod Textus tuus & catenæ aliquam dictionem sibi ex Hebræo adscisunt. Idem facile deprehendetur ex Latina istius Catenæ interpretatione. Pauciſſima sunt in quibus Textus Jobi qui in catena ista integer exhibe-

exhibetur ab utroque exemplari dissentiat. His addi possunt vetusta illa exemplaria cum quibus collata est Editio Romana; quorum unum vetustissimum illud, majoribusque literis descriptum, cum eo de quo Editio illa expressa est, per omnia conveniebat. Aldina Editio, ipsa quoque germana 70 Seniorum interpretatio, atque ex antiquis Codicibus exscripta sæpius multo (id in nonnullis capitibus periclitatus sum) cum Editione Romana Jobi convenit quam interpretatio à te edita, licet nonnunquam ab utraque discedat. Utra sincerior ex aliorum Librorum collatione certius dijudicaretur, de quibus plura extant argumenta eorum quæ juxta Septuaginta adesse debent aut abesse. Non præteribo eorum quæ notat Origenes in ἀποσματίῳ quod edidisti, haberi in 70 textu, non autem in Hebraico unum abesse ab Editione Romana, tuæ vero adesse cum aliqua tamen varietate; hoc scilicet περιέφθων τὴν γῆν καὶ ἐμπεριπατήσας ἐν αὐτῇ. Sed R. Editioni consentit catena, necnon ipse Origenes in Commentario, ut Aldinam Editionem omittam, cæterosque libros antiquos quorum ope Editio R. adornata est. Forsan variarunt exemplaria, forsan ab aliquo deleta sunt, eo quod in Hebraico non legerentur statim quæ repetuntur. In fine Jobi notat Origenes multa legi

legi apud 70. quæ apud Hebræos non leguntur. Sic est in utraque Editione; verum tua versiculos tres superaddit quæ omittit Romana. At Romanæ consentiunt Catenæ textus, Origenis Commentarii, Aldina & alii Libri antiqui, ipsaque ratio: continet enim additio illa inane & insulsum glossema. Discrimen omnium quæ deprehendi maximum legitur c. 5. post v. 21. Ibi Editio tua versiculos duos exhibet qui nullibi leguntur, nec in vetustis Rom exemplaribus, nec in Catena Jobi, nec in Hebræo, nec in Ald. In Aldina tamen paucula quædam verba adjiciuntur, quæ alibi non extant; iterum ibidem post v. 23. leguntur in Editione tua quatuor versiculi quæ R. non habet, nec habebant antiqui R. Codices. Horum versiculorum duos habet Aldina Editio, qui ex Hebræo deprompti sunt, sed alios nec Hebræus textus exhibet, nec ullus alius, nec exhibere debuerunt, cum ejusdem rei eidem loco superfluam contineant repetitionem; itaque nihil sunt aliud quam ejusdem rei ex Theodotione, aut alio interprete germano textui assuta interpretatio. Cæterarum differentiarum quæ quidem mihi occurrerunt, nulla est quæ huic possit comparari; omnes sunt unius aut alterius dictionis pluresque in primo capite quam alibi deprehendi. Sed harum præcipuæ iis qui

Editioni

Editioni R. præfuerunt, non fuerunt incognitæ, illas enim ex nonnullis antiquis Manuſcriptis in Scholiis ſuis adnotarunt. At R. Editio præter antiquos Codices catenam illam habet adverſus tuam ſemper fere conſentientem, ut præteream commentarios in Jobum, qui Origeni tribuuntur. Maximi autem facienda eſt Catenæ autoritas, cum ipſa ſit antiqua, & ex plurimis & antiquis patribus collecta: Initio cap. 38 Exodi, quædam verba habet Editio tua, quæ à Romana abſunt, ut & ab Aldina, vetuſtiſque aliis exempl. quæ ex alia interpretatione juxta Hebræam deprompta videntur; ita enim leguntur initio cap. 37. Sunt & alia nonnulla quæ ex Aſteriſcis Orig. ut & in Aldina in tuam videntur intruſa. Quod ad cap. 12 Judicum, tanta revera eſt differentia toto capite in verbis, ut omnino videatur alia tranſlatio, ejuſdem tamen rei, verbis enim non ſenſibus differentia conſtat, ſi primum verſiculum excipias. Nunc quæritur utra 70 Seniorum interpretatio ſincerior? Non eſt mihi antiquus Liber aut Commentarius cujus teſtimonio hanc litem diſcernere poſſim. Verum notæ R. in hoc caput nonnulla referunt ex antiquo Scholiaſte quæ eodem modo ſeſe habent, quo Editionis tuæ textus; ea quæ refert Scholiaſtes ille, ex alia quam ex 70 Interpr. Editione:

tione: Neque omnino juvat Codicem tuum Aldina Editio, quæ hoc loco Codici tuo fere perſimilis eſt. Certum eſt enim in hanc Editionem ſeu Codices ex quibus exſcripta eſt, multa heterogenea irrepſiſſe, cujus irreptionis multa paſſim occurrunt argumenta; nolim, Vir eruditiſſime, hæc à me dicta exiſtimes in tui Codicis præjudicium, multo minus contemptum. Hæc ſcribo, eo quod nonnullis argumentis quæ breviter attigi, ad id adducor: Nolim quoque exiſtimes me Editionem R. omnis mendæ puram credere, habet ſuos nævos hæc Editio; quod non diſſimularunt & in Scholiis & in Præfatione qui eam Romæ curarunt. Exempli cauſa, Gen. cap. 5. v. 25. Ubi de annis Mathuſalæ; ſic cap. 11. v. 24. ubi de Nachor, aliiſque in locis eodem capite, in quibus tua, ſicut Aldina multo ſincerior eſt: Multis tamen nominibus excuſari poteſt. Codex enim ille vetuſtiſſimus ex quo Editio iſta deſumpta eſt, ab initio Geneſeos, ad cap. 47. plurimum mutilatus erat, ideoque Editio R. his locis aliorum Codicum ope reſtituta eſt. Deinde in Numeris ubiq; varietas maxima eſt, & potiſſimum his in locis, ut varias Editiones conferenti, & ea legenti quæ Joſ. Scaliger ex Euſebii & Georgii Syncelli παντοδαπῆς ἱστορίας excerpſit, manifeſtum eſt. *Relege*, inquit S. Hieronymus

ronymus ad Vitalem, *omnes veteris & novi Testamenti Libros, & tantam verborum dissonantiam, & Numerorum inter Judam & Israel, id est, inter regnum utrumque confusionem, ut hujusmodi hærere quæstionibus non tam studiosi quam otiosi hominis esse videatur.* Denique quod ad annos Mathusalæ attinet, sibi consentientes habet Codex Rom. omnes prope Libros Græcos & Latinos ab annis mille trecentis, ut hac de re conqueruntur Eusebius, Sanctusque Augustinus: Græci tamen posteriores defendunt hunc errorem, ut ex Georgio Syncello colligitur apud Scaligerum in Thesauro temporum, initio Notarum ad Eusebii πανοδάπην historiam. Vix occurrent unquam ulli Codices qui interpretationem illam ab omni additamento, & deliberata mutatione immunem exhibeant, nisi saltem exæquent Origenis ætatem. Ut enim Luciani & Hesychii correctiones missas faciam, statim post Origenem Hexapla per Ecclesias divulgata, non modo quæ addidit sub Asterisco, sed etiam nonnulla alia ex heterogeneis interpretationibus in textum 70, intrudi cœperunt. Felicissimi sunt illi Codices qui paucioribus ejusmodi irreptionibus scatent. Editio Romana quantum hactenus judicare potui, omnes alias, tuumque Codicem hac felicitate vincere videtur, idque deprehendes si sinceritatis argumenta

gumenta ſuperius allata de Codice tuo experiaris, στίχωϑ eſt in Codice tuo totus Liber Jobi: excipienda tamen eſſent duo priora capita, ultimumque caput à v. 7. ad finem, ut docent Hebræi, notavitque S. Hieronymus, reſque Hebraice callentibus palam eſt. Sed univerſa illa Libri ſcriptio manifeſtiſſime docet, hodiernas verſuum Hebraicorum diſtinctiones Neotericum eſſe inventum, non modo Codicis tui ſcriptori, ſed etiam Aquilæ, cæteriſque omnibus antiquis Interpretibus incognitum, quod tandem ab Europæis abhinc annis paulo minus centum uſurpari cœpit. Aliquot poſt hoc tempus annis, Novum Teſtamentum in verſus diſtingui cœpit. Sed verſuum diſtinctionem capitum diviſio quadringentis fere annis anteceſſit. Chriſtianam capitum diviſionem, & Concordantiarum artificium Judæi tandem imitati ſunt, utpote Paraſchis ſuis, necnon Sidris Maſorethicis multo faciliorem & tractabiliorem. Meam de Codice tuo ſententiam libere aperui, eam ut æqui boniq; conſulas plurimum rogo. Tuæ forſan contraria eſt, ſed ab æquitate & humanitate tua ſpero te ægre non laturum, ſi libenter & amice quod ſentio, tibi expoſuerim. Fieri poteſt ut cum de Codice tuo plura legerim, ſententiam mutem; non enim is ſum qui abſolutam ſinceritatem, & omnibus ſuis

numeris

numeris velut ἀπαξλογίᾳ quædam constantem Editioni Romanæ tribuam. Si Codex aliquis daretur exacte ut tuus, & magna cum cura descriptus, quique Origenis ætate non esset inferior, cæteris paribus, illi potius in rebus dubiis crederem quam Editioni Romanæ: nec nego multis in locis illam Editionem ex tuo utiliter corrigi posse, vix enim post Origenem Hexapla ullus Codex omnes ἁπλοῦς Asteriscorum & heterogenearum interpretationum irreptiunculas evasit. Epistolæ modum jamdiu excessi: itaque ne molestus tibi sim, scribendi finem facio, sed ne me amandi finem facias plurimum opto. Vale, & me tui observantissimum ama.

Parisis, 7 Kal. Sept. Anno 1638.

EPIST.

EPIST. LV.

J. Morinus Cardinali *Barberino* unionem Abbatiæ Juliacensis domui Parisiensi oratorii postulat.

Eminentissimo & Reverendissimo Principi Cardinali Barberino *Domino suo Colendissimo* J. Morinus *Cong. Orat. Presb. cum humillimo obsequio* S. D.

AUdaculus forsan Eminentiæ tuæ videar, qui gratiam opemque tuam imploraturus, eam rebus maximis gerendis intentam Epistola mea interpellem; verum duæ res sunt quæ me hac suspicione si non penitus liberant, eam tamen ambæ plurimum elevare & excusare mihi videntur; hanc enim confidentiam in animum meum induxit tua in me benevolentia, quam non obscuris verbis & mihi privatim, & aliis publicè testatus es: sed eam potissimum confirmavit res ipsa, cujus causa humilis, supplexque nunc consuetam Eminentiæ tuæ benevolentiam imploro. Concessit Rex Christianissimus in favorem Congreg. nostræ, ut Abbatia, vulgo

dicta de Julii Ordinis Canonicorum regularium S. Augustini milliaribus 7. ab urbe distans, Domui Parisiensi in perpetuum uniretur, atque ut ita dicam incorporaretur, ideoque abdicavit Rex jure Nominationis sive electionis in Abbatem; consensit electioni faciendæ Reverendissimus Episcopus Meldensis in cujus Diœcesi sita est Abbatia illa, cujusque jurisdictioni est obnoxia; resignavit Abbatiam Abbas, eamque S. D. N. Papæ in favorem & commodum unionis deposuit, unionem optant & promovent ipsi Religiosi; his conditionibus quæ veluti præjudiciales actiones requiri judicantur, magno cedentium consensu peractis & præparatis, superest rei forma animaque autoritate summi Pontificis infundenda & introducenda, Abbatiæ scilicet illius unio & incorporatio cum domo nostra Parisiensi sedis Apostolicæ diplomatis instituenda & stabilienda: ut huic causæ quam æquam justamque Rex Christianissimus, & omnes quorum interfuit, censuerint, Summi Pontificis animum gratiamque consilio & autoritate concilies, non ego, quis enim sum ut mei ergô Eminentiam tuam exoratum sperem? Sed optimi Cardinalis Berallii Parentis & fundatoris nostri quem ad supremum Cardinalatus dignitatem summus Pontifex Patruus tuus peramanter evexit, singularia in Ecclesiam Catholicam meri-

ta

ta apud eminentiam tuam intercedunt; intercedit quoque, & quam humili potest cum obsequio, hoc beneficium efflagitat pedibus tuis, mecum provoluta congregatio nostra quæ immatura parentis sui morte, pupilla patronoque orba, & rerum inops in sinum tuum confugit, benevolentiæque tuæ asilum invocat, vere enim & sincere dicam Congreg. nostra domus præsertim Parisiensis a Parente suo pietatem, humilitatem, animumque in Ecclesiæ Catholicæ ministerium propensissimum, & in sedem Apostolicam devinctissimum hausit & expressit; sed opes quibus sustentaretur, & ad scopum in quem collimat assequendum juvaretur, parcissime accepit: ideo licet Abbatia illa paucorum redituum sit Sacerdotium, potissimam tamen fundationis partem unita componet; itaque si unionem istam commendatione tua quam nobis benevolam vehementissimè exoptamus, obtinere nos contingit, non modo tanto beneficio Congreg. nostram devinctissimam tenebis, verum etiam illi fundator alter qui genitam amplexus fueris, teneram foveris, debilem & nutantem sustinueris & confirmaveris. Sicut enim a primo Parente cum vita brachia, manusque accepit; sic, ut ea explicare & movere possit Eminentiæ tuæ beneficio consequetur. Consilia cœptaq; tua Deus properet, teque incolumem Ecclesiæ suæ quam diutis-

ſime conſervet: Vale, Eminentiſſime & Eruditiſſime Cardinalis, & me tui obſervantiſſimum amare ne deſinas.

Pariſiis xij *Kal. Nov. Anno Salutis.*
CIↃIↃCXXXVIII.

EPIST. LVI.

J. Morinus Cardinali *Barberino* ipſum Romam vocanti ſe iterum ſpondet.

Eminentiſſimo & Reverendiſſimo Principi Franciſco *Cardinali* Barberino J. Morinus *Congreg. Orat. Presb. ſumma cum obſervantia S. D. P.*

Eminentiſſime Cardinalis,

LIteras Eminentiæ tuæ reddidit mihi Eminentiſſimus Cardinalis Bichius, quas legens faciem ſenſi ſæpius pudore ſuffundi, ſingulis enim fere periodis animo recurſabat, quæ ſcriptis meis laudes deferrentur quiſve deferret. Me equidem in tenui laborem non impendiſſe, neque ut dicitur, ἐπὶ τῇ φακῇ μώρον effudiſſe, & facile credebam, & res ipſa ſuadebat; verum tenuitatis ingenii mei bene conſcius, quod difficilia tentaverim a nemine improbatum iri ſpe-

ctavi

ctavi tantum; difficilis cœpti persecutionem aliquantulum laudis promerituram vix conjiciebam; at ab Eminentia tua non approbationem modo, sed laudes, easque adeo honorificas reportaturam non speravi, non conjeci, non cogitavi: quidquid de illo honore dicam quo me tam benevolè cumulat Eminentia tua, quæ literis suis non minori eruditione quam suavitate condîtis, me Romam cùm jubere possit, peramanter invitat, idque iterari mihi per Eminentissimum Cardinalem Bichium procuravit, qui me ab Eminentia tua studiosè commendatum humanissimè dicam & officiocissimè excepit, itinerisque sui comitem esse voluit. Ista me obsequio tuo non devinciunt, Eminentissime Cardinalis, quippe qui benevolentiæ tuæ demonstratione me tibi devinctum jamdudum habes, sed animum gratum & obsequiosum testandi, quanquam maxime velim, omnem occasionem spemque præripiunt; non abs re ausim hac in causa usurpare S Patriarchæ Jacobi responsum Patri, de prospero & tam prompto venationis successu, interroganti datum, *voluntas dei fuit ut cito occurreret mihi quod volebam.* Licet enim de me scriptisque meis tam fausta conjicere, aut etiam cogitare non auderem, effecit Deus cujus κρείσσων νόος ἠέπερ ἀνδρῶν, ut cito occurreret mihi quod volebam, audenterque desideraffem, & con-

quisissem nisi consueta amantibus animi impotentia somnia fingere mihi ipsi visus fuissem. His accedit rei cui illustrandæ labores meos destinas, nobilitas, utilitas, sanctitas, quæ me ad tua jussa capessenda mea voluntate currentem vehementer incitant. Christianarum enim musarum hoc est, Sacri textus, historiæque & disciplinæ Ecclesiasticæ semper mihi visa sunt dulcissima studia, de his ausim jactare quod Poeta de suis Musis;

Harum sacra fero ingenti perculsus amore,
Me igitur ille ante omnia ——
Accipiant, cœlique vias, & sidera monstrent.

Id tum mihi contigisse credam, cum me domi tuæ acceperis suavissima conversatione tua, & eruditissimis colloquiis beaveris. Quoniam igitur ita jubes Eruditissime Cardinalis, & βάρευς insuper tam amabilibus alicis, Romano itineri me accingam, deoque juvante ad diem qui mihi ab Eminentissimo Cardinale Bichio circa proximum Pascha condicendum est, expeditus ero, ut ipsius comitatui me possim conjungere, præsentsque propensissimam & devotissimam obsequio tuo animi mei voluntatem, quæ sola mihi gratitudinis demonstrandæ lux affulget, Eminentiæ tuæ consecrare. Deus te incolumem Ecclesiæ suæ, sacrisque literis conservet quam diutissime,

tissime, Eminentissime Cardinalis, faxitque ut me tibi obsequentissimum amare pergas.

Datum Parisiis Anno Salutis CIↃIↃCXXXIX. vij *id. Feb.*

EPIST. LVII.

Lucæ Holstenii Commonitorium *J. Morino* Romæ exeunti.

Commonitorium P. Johanni Morino.

CL. Morine, Lucas Holstenius hoc te abeuntem rogat, ut amici ex animo tibi addictissimi memoriam serves, ut amicos in itinere & Parisiis salutes, hosce potissimum, Senis, Gulielmum Sohier, virum perhumanum & doctum, & Illustrissimum Dominum Piccolominæum Archiepiscopum; Pisii, Paganium Gaudentium, virum multis libris editis Clarum, qui tuo congressu vehementer delectabitur; Liburni, Spiridonem, Monachum Græcum Ecclesiæ Græcæ ibidem præfectum κολλιγράφου, a quo forte aliquid missorum nancisci poteris; Aquissextiis, fratrem Illustrissimi Domini Peirescii, & Cl. Dominum Gassendum; Avenioni, Illustrissimum Dominum

Epiſcopum Vaſionenſem, cujus Præneſten hic edi curo; Pariſiis, Puteanos Fratres, viros omnibus nominibus optimè de me meritos, quibus me & mea ſtudia diligenter commendes; tum Reverendum P. Sirmondum, Petavium, Vaſſæum; & ſi adſit Nic. Rigaltium, tum Dominum Cramoiſy; roges Patrem Sirmondum ut Theodoreti Epiſtolas Manuſcriptas ad Eminentiſſimum Cardinalem noſtrum remittat, ubi ſatis eo exemplari uſus fuerit. Domino Cramoiſy mitto indicem librorum Græcorum qui penes me ſunt, quos tuo arbitratu cum aliis ab ipſo editis commutabo: rem totam plenius ex ipſis literis perſpicies. Cum Dominis Puteanis velim agas de Vitis Pontificum, quas paro; & præſertim de Anaſtaſio bibliothecario, cujus exemplar Pariſiis extare aiunt ab edito longè diverſum. Reverendiſſimo P. Sirmendo quam commendatiſſima eſſe cupio ſtudia mea, cui id velim perſuadeas me nomini ipſius eſſe addictiſſimum: id quoque perquiras num Anaſtaſii Sinaitæ opera græca Manuſcripta meo ſumptu atque ære hic tranſcripta, Domino Craimoiſi tradita fuerint. Nollem enim perire, uti etiam collationes Hoſcæ Prophetæ ad antiquiſſimum exemplar Barberinæ bibliothecæ à me inſtitutas quas P. Philippæo tradendas miſeram: plura tempus vetat, tu amantem redama, & rem feliciter

citer gere : sic tibi iter quod paras cæteraque omnia ex voto tuo meoque proveniant.

Romæ 7 Martii 1640.

Tuus ex animo,

L. Holstenius.

Dissertationes ad Concilium Nicænum ad Illustrissimum Dominum Archiepiscopum Tholosatem mittas, rogo : cui per patrem Bussonem eas jamdudum promisi, iis si commodum erit, adjungas exemplar Demophili mei. *Vale.*

EPIST.

EPIST. LVIII.

J. Morinus Abrahamo Ekellenſi Codices quoſdam *MSS.* qui Bibliis Pariſienſibus quæ tunc edebantur utilitati ac ſplendore futuri erant, Pariſios ſecum deferat illum monet.

Joh. Morinus Abrahamo Ekellenſi.

LItteræ tuæ primo Julii datæ mihi redditæ ſunt, quibus nihil mihi potuit contingere jucundius, cum præſertim ex iis intellexi te ad iter Pariſienſe accingere, huc venias, Deum precor, ſalvus & incolumis; priores tuas literas accepi, iiſque reſpondi. Eminentiſſimum Cardinalem Barberinum Arabica Biblia conceſſurum ſpero, imo confido; aliter ſi fiat, liber Eſther ſimul cum libro Baruch eſſet ex iſto codice exſcribendus. Dictionaria & vocabularia quæcunque habes aut recuperare potes non erit inutile in omnem eventum tecum deferre, quod ad varias illas lectiones quæ apud Cardinalem Pallotum extant, quæ deſcribendi otium tibi aut nullum erit, aut bene admodum commodius eſt ut tecum deferas, poſtquam

quàm hic in lucem editæ fuerint, illas Romam rediens tecum referes. Sanè editæ erunt Bibliis utilitati & splendori, nec hoc opinor, rogatus denegabit Eminentissimus Cardinalis Pallotus, hæc enim unde accepta fuerint declarabitur, & gratiæ commodantibus publicè habebuntur; amplissimum virum D. le J'ay tuo nomine salutavi, te quàm officiosissimè resalutat, & avidissimè expectat, continuationem in adventum tuum differt, tibi se esse devinctissimum ut verum est ubique prædicat. Optatissimus venies; commodissima ut opinor est occasio itineris Eminentissimi Cardinalis Bichii qui in Galliam revertitur ad Episcopatum suum. R. P. Goezaldus in Galliam reversurus est, ambo comitatui Cardinal. vos adjungere potestis, eliges quod erit tibi rebusque tuis magis commodum, itineris sumptus quos judicaveris necessarios, suppeditabit R. P. Goezaldus. Massiliæ præterea & Lugduni, si qua re indigueris ut ea nostris qui ibi habitant abundè suppeditetur, magna cum cura providebo titulos quosdam capitum atque etiam librorum qui in Bibliis Syriacis a me emptis, desunt ex vaticano describere, quæso ne sis immemor; faxit Deus ut salvum & incolumem quam cito hic te amplexemur. Vale & me tui observantissimum & amantissimum ama.

Parisiis 3 nonas Aug. EPIST.

EPIST. LIX.

J. Morinus Hilarioni Abbati Sanctæ Crucis in *Jerusalem, Abrahamum Ecchelensem Romam* redeuntem ei commendat, simulque quid in adornandis Bibliis *Parisiensibus* operam præstiterit *Ecchelensis* declarat.

Hilarioni *Reverendissimo Abbati S. Crucis in* Jerusalem.

GRatulor mihi occasionem datam ad te scribendi, vix enim aliquid suavius mihi contingere potest, quàm ut sæpius animum tuum subeat memoria nostri: in urbem redit Abraham Ecchelensis vir tibi, omnibusque literarum amantibus percharus, quamdiu Parisiis vixit otio nequaquam, verum studiis acerrime semper incubuit, libros Bibliorum Arabicos & Syriacos qui hic non extabant, latine vertit, alia duo opuscula Arabica quæ ad Biblia nihil pertinent, latinè quoque vertit, & typis mandari curavit; revisit quoque & recognovit textum Arabicum & Syriacum jam à Gabriele Sionita excusum, illiusque Latinas versiones; hæc omnia

omnia tam pauculo tempore desudavit. Eminentissimus Cardinalis Richelius magnis pretiis ut hic subsisteret, invitavit; sed nihil se polliceri posse injussu Eminentissimi Cardinalis Barberini prudenter & modestè respondit; reversurum plurimi sperant, & avent, atque ego existimo de re literaria esse ut revertatur: quæ enim ad literas spectant multo commodius Parisiis quàm Romæ instruuntur & conficiuntur. Quidquid futurum sit, hanc te salutandi occasionem, me meaque studia tibi commendandi lubens accipio. Quid enim honorificientius mihi contingere potest, quam a viro tanto amari & commendari? Vale Abbas Reverendissime, meque obsequiosè te colentem continuo amore prosequere.

Parisiis xvj *Kal. Jan.* 1641.

EPIST.

EPIST. LX.

J. *Morinus* Cardinali *Barberino* de eodem Argumento.

Eminentiſſimo Cardinali Barberino.

Eminentiſſime Cardinalis.

REdit in urbem D. Abraham Ekellenſis officio propter quod huc vocatus fuerat, diligenter & magno cum omnium doctorum applauſu defunctus. Abiens vehemens ſui deſiderium illis reliquit; ſperant hic cum bona Eminentiæ veſtræ venia brevi reverſurum, qua de re pluribus aget cum Eminentia veſtra ipſe Abraham, quem illi maximo cum affectu commendarem, niſi ſcirem commendatiſſimum, utpote ab ea & benevolentia ſua & beneficiis cumulatum: admonuit, credo, Eminentiam veſtram Illuſtriſſimus Nuntius de libro quodam paucis ante diebus a Jeſuita compoſito, eumque ad eam aut miſit aut mittit, neceſſe prorſus eſt ut librum legat Eminentia veſtra aut doctoribus legendum committat, & ab iis excerpta videat & diligenter conſideret; ea enim doctrinæ capita continet, quæ ſi affirmavero contineri, aut quivis alius, nemo nobis eſt credi-

crediturus, cum in fronte gestet honorificum à societate testimonium, quapropter illorum enarratione supersedebo. Videt Eminentia vestra sanctitatem suam, libros P. Boni libris prohibitis inserendo nihil profeciſſe, sed animadversionem illam de ridiculo habitam; aliis itaque remediis opus est, quæ frustra nunc a nostratibus Episcopis aut a Sorbona sperarentur. Cæterùm Eminentiam vestram enixissimè rogo ut mei nunquam sit immemor. Deus eam quàm diutissimè servet incolumem.

Parisiis xvij *Jan. Anno* 1641.

EPIST. LXI.

J. *Morinus* Cardinali *Barberino* exponit quid siniſtri acciderit libro *Petri Celloti* Jesuitæ de hierarchia & hierarchis, *Cellotum* notat imperitiæ.

Eminentissimo Cardinali Barberino.

Illustrissimo Nuntio Apostolico Romam redeunti has literas dedi, ut summam meam erga Eminentiam vestram, observantiam & humillimum obsequium, cùm aliter non possim,

poſſim, hoc qualicunque gratitudinis officio teſtarer. Hæret enim animo meo æternumque hærebit, ea qua me domi tuæ complexus es benevolentia, & eam quibuſcunque obſequiis & miniſteriis promereri non deſinam; hoc unum ab Eminentia tua impetrare ſatago, ut mei nunquam ſis immemor. Romam redit illuſtriſſimus Nuntius, maximum ſui deſiderium omnibus qui cum eo converſati ſunt relinquens, ſincerè enim affirmare poſſum me neminem vidiſſe etſi multos viderim, qui habito cum eo colloquio ipſius comitatem, candorem, modeſtiam, & in rebus agendis dexteritatem & minime fucatam prudentiam non amaverit & laudaverit; defert ſecum ad Eminentiam tuam R. P. Celloti Jeſuitæ librum de hierarchia & hierarchis qui ab Epiſcopis noſtris Meduntæ Carnutum congregatis abhinc paucis diebus cenſurâ notatus eſt. Confecta cenſura omnium Epiſcoporum chirographis ſubſcripta & ad Eminentiſſimum Cardinalem Richelium delata, in ejus manibus hactenus ſubſiſtit. Sorbona quoque in hunc librum graviter inſurrexit, multipliceſque propoſitiones notavit. Cenſura pluſquam 80 doctorum ſuffragiis approbata regiſtris Sorbonicis inſcripta eſt; verum eam publicè edere per ſupremam autoritatem hactenus non licuit. Sua Eminentia doctores nonnullos Sorbonicos deputavit qui

cum

cum R. P. Celloto de his propositionibus conferrent; in hunc usque diem de hac collatione nihil publicè editum est, ideo Jesuitæ Cellotum affirmant Sorbonicis satisfecisse, Sorbonici contra malas propositiones malè propugnasse; de hoc libro quid sentiam aperire non possum, cùm illum evolvere nondum per otium licuerit. Pauca folia percurri, sed prima fronte mihi visus est hic autor multis locis figulinam, ut dicitur, in dolio discere materiamque humeris æquam non elegisse; ideo aliis negotiis occupatus lectione supersedi; mirati sunt multi hominem Rhetoricarum Exercitationum πείρωνα, atque ad collegiorum regimen abreptum ad ejusmodi studium repente animum appulisse. Propositionum a Sorbonicis notatarum pauca exemplaria cudi curarunt, sed sine Sorbonicis notis, quarum exemplar ad Eminentiam vestram mitto; ut & alias manu scriptas quæ post Sorbonicam Censuram a nonnullis Sorbonicis ex R. P. Celloti libris excerptæ sunt, quarum exemplar quod in manus meas incidere contigit, similiter mitto, ut Eminentia vestra quid de his pronunciandum sit decernat; fere enim omnibus male audit hic liber; meritò an immeritò propositionibus illis in ipso autoris textu consideratis dicernat hanc litem Eminentia Vestra, quam sal-

vam & incolumem Ecclesiæ suæ Deus quam diutissimè conservet.

Dat. Parisiis xj *Kal. Junii* 1641.

EPIST. LXII.

Admodum Reverendissimo Patri *Johanni Morino* Cardinalis *Barberinus*.

Admodum Reverendissime & Clarissime Pater.

GRatum fuit tua quoque testificatione cognoscere Abrahamum Ecchelensem eam in Bibliis Syriacis recensendis istic præstitisse operam, quam & perspecta ejus eruditio pollicebatur & tanti moliminis opus requirebat; sed non minus mihi jucundum accidit, quod ille vicissim de tuis studiis, & pristino in nos affectu ea retulerit, quæ jam pridem scire avebam; nam in iis pertexendis te nunc versari audio quæ cum apud nos esses de sacra rituum Ecclesiasticorum antiquitate meditari cœperas; quod quidem argumentum eo te cautius tractaturum existimo, quod indies largo proventu succrescere videas Scriptores, qui nihil ad

ad res sacras tractandas præter Philautiam, & innovandi pruriginem afferentes Ecclesiæ agrum periculosis noverum opinionum spinis ita implicant, ut id unum eos agere dicas qui cum adversariis Ecclesiæ patria facere videntur: proinde officium, & diligentiam tuam probo, quod de ejus generis libro nos præmonere voluerit, quem inter Abrahami Ecchelensis Sarcinas adhuc delitescentem, videre nec dum licuit; interim de remedio opportuno cogitare licebit, quod maturè curabitur, utinam eo effectu, ut istorum proteriam suprema Ecclesiæ autoritas compescat. Vale, vir Reverende, & de tuis studiis subinde ad nos scribe.

Romæ, Feb. 1642.

P. Tuæ,

Studiosus,

Franc. Card. Barberinus.

EPIST. LXIII.

Johannes Morinus Cardinali *Barberino* libri *Celloti* prolixa eaque paulo atrior critice, qui sit antiquus & nuperus Curiæ Francicæ Stylus in iis de quibus agit *Cellotus*.

Cardinali Barberino.

Eminentissime Domine,

Accepi literas Eminentiæ tuæ quibus novum benevolentiæ tuæ mihi testimonium dedisti, cum & mei & studiorum meorum adeo memorem sese demonstrat; confidenter igitur illi aperiam, quibus animum meum detineam. Operi quod jam Romæ meditari cœperam, quantum alia negotiola literaria non prævidenti passim occurrentia sinunt, sedulus incumbo: spero brevi me coronidem impositurum, nihil enim tota hac æstate aggrediar; nec amplius ab hoc opere quoad potero me avelli permittam: existimabam necessarium huic operi nonnulla inserere de Ecclesiarum antiquarum figura & forma interiori, ut commodius Episcopi in Sanctorum Sanctorum Tribunal, Presbyterorum & Diaconorum & Altare aut circum Altare ædes, aliorum inferiorum ministrorum in choro

choro seu Sanctuario confessus; fidelium tam virorum quàm mulierum extra chorum distincti ordines, variæque Pœnitentium post ambonem stationes, explicarentur: cùm autem interior illa figura & structura non parum illustrari possit Templi Hierosolymitani quale erat Jesu Christi & Apostolorum sæculo comparatione (multa enim ad illius exemplar instituerunt primi Ecclesiæ fundatores) nonnulla etiam de illius delineatione cogitaveram; verum quod pauculis capitulis me conficere posse sperabam, fœcunditate materiæ in molem excrevit: ideo separato libello hæc edere constitui, iisque illustrationis causa addere quæ Judæi de Templi structura commentantur, atque ut id ordine & dilucide fiat, R. Mosis Maimonidis de templo sive domo electa tractatum Latinitate donare, quo abundè Christianis suppeditabitur quidquid hac de re Judæorum traditiones commemorant.

Quoniam autem Eminentia Vestra de quibusdam libris Parisiis recens editis ad me scribit, quos cum Ecclesiæ adversariis paria facere ait, spem facit opportuno remedio se curaturum, ne ex eorum pernicie res Christiana damnum capiat, ausim ut id faciat eam exhortari: nisi enim remedium illud a sede Apostolica exoriatur, nulla spes est ut aliunde proveniat; cùm enim nunc Episcopi

Parisiis non conveniant, & eos convenire certis de causis sit difficile, illius libri censuram edere non possint nisi singuli, at qui probabile fiet Episcopi unius Censuram libri istius authoritati prævalituram qui a celeberima Societate testimonium habet publicum & publicam approbationem? Morbus tamen celerrimum efflagitat remedium, non enim serpit Cancer iste, sed longis passibus graditur, omniaque circumcirca late vastat & depascitur; si hæresim prima fronte disseminaret liber ille, parvum hinc aut fere nullum damnum nunc temporis emergeret; omnes enim Catholici librum hunc librique autorem ut aspidem horrerent, venenum intra se contineret, nec in quem illud cum efficacia ejacularetur, offenderet. Vix enim in spatiosissimo regno, Deo sic providente, multorum annorum decursu Catholicus aliquis a fide defeciisse auditur Appositè S. Augustinus hæreses torrentibus comparat, qui paucis horis in fluvios crescunt. Sed incremento statim capto paulatim deficiunt & tandem arescunt. At liber ille de jurisdictione & immunitate Ecclesiastica tractat, quam Laici Judices à ducentis & aliquot annis arrodunt, vellicant, paulatimque discerpunt, ut in varias partes discerptam facilius in sese transferant. Quid vero liber ille ab ima radice jurisdictionem & immunitatem ab Ecclesia

cleſia evellit, & in Laicos velut in nativum ſolum quantum in ſe eſt tranſponit. Præclare tibi videtur diſtinguere inter actiones religioſas & actiones humanas civileſque, crimina quoque mera Canonica ſeu Eccleſiaſtica, quæ ſcilicet contra fidem committuntur & ſacramentorum adminiſtrationem; humanaque & civilia quæ legibus civilibus coercentur: priora Pontificibus, poſteriora Principibus tribuit; verùm iſta diſtinctione immunitas Eccleſiaſtica funditus exterminatur, immunitas & Juriſdictio Eccleſiaſticæ in prius membrum non cadit. Concludit præterea Clericos a Laico Judice damnatos nec degradatos, ſi degradationem noluerit aut etiam neglexerit Epiſcopus peragere, ſupremo ſupplicio puniri tutò poſſe. Hactenus Judicum Laicorum nullus eo uſque temeritatis & impietatis progreſſus eſt. Ea quibus id probat Argumenta craſſiſſimam & & Juris Canonici & moris noſtri ignorantiam arguunt. Forſan non erit E. V. ingratum antiquum recentemque curiarum ſtylum hac in cauſa ob ipſius oculos breviter ponere, ſane id plurimum conducet ad autoris iſtius arguendum malignam ignorantiam; ſic ſe res habuit apud nos ab annis 250. cum publice in libertatem Eccleſiaſticam agere cœptum eſt, ad uſque Bella Civilia ſub Henrico IV. docent antiqui Juriſconſulti noſtri,

stri, licet de Jure Divino eximantur Clerici a potestate Seculari, Laicum tamen Judicem in nonnullis casibus agere posse in eorum personas criminaliter, in aliis civiliter; in priori membro prorsus cum jure Canonico conveniunt, casus enim illos tantum complectuntur quibus Clericus aut ante aut post trinam monitionem per Canones & Pontific. decreta omni privilegio Clericali ipso facto excidit. Secundi membri casus vocant privilegiatos, ideo ab annis 250. Paulo plus minusve celebris in foro fuit criminis quod ad Clericos attinet distinctio in privilegiatum & commune; privilegiatum dicebatur illud cujus cognitionem sibi vendicare poterant Judices Laici, quod privilegiatum dicebant, eo quod jus illud cognitionis Pontificis privilegio se habere jactabant; in illud autem animadvertebant civiliter tantùm, nunquam criminaliter, hoc est propter crimen illud commissum Clericus mulcta pecuniaria tantum puniebatur, cogebaturque in Carceribus Episcopalibus subsistere donec satisfeciisset, sed in ipsius personam aliquid attentare nefas ducebant; antiquiores pragmatici duos tantùm ejusmodi enumerant, quos Barbare vocant portum (portationem) armorum, & salvæ guardiæ regiæ infractionem, hoc est, rei quæ sub manu & protectione regia posita erat, direptionem: quatuor

tuor alios lapsu temporis addiderunt, tum rex actor erat, tum contra litis ordinem Clericus reus regis actoris forum sequi tenebatur, quia, inquiunt, rex non litigat in curia subditi. 2. Cum Clericus literis sua manu aut sigillo signatis obligatus est, licet actio ista sit mere personalis, vocari potest ad curiam Secularem, & tenebitur respondere literas istas suas esse fateri aut negare. 3. Si Judicem Laicum in tribunali sedentem injuria affecerit. 4. Cum Clericus prophanæ administrationi sese immiscet, illius administrationis rationem Laico Judici reddere tenetur, cum tamen Judicum plerique hoc postremum aggredi religione aliqua perculsi reformidarent. Franciscus I. a Clemente VII. Bullam obtinuit, qua id illi concessum fuit; quæ in Parliamento publicè lecta est & registrata Anno 1531. sic fere se res habuit ad mortem usque Henrici II. Regis, id est, ad Anno 1559. cum igitur quis Clericus Crimen commiserat v. g. homicidium, furtum, &c. cum turba armata perpetraverat, duplex erat delictum privilegiatum & commune; privilegiatum armorum portus, commune; furtum, homicidium, &c. prioris cognitio ad Laicum Judicem pertinebat, posterioris ad Ecclesiasticum Clericus in carcere Episcopali detinebatur, & ab Episcopo seu officiali de homicidio, furto, &c. exa-

mi-

minabatur, curia verò duos consiliares delegabat, qui Clericum de portu armorum interrogarent, si portûs armorum reus peragebatur, pecuniæ summa à Curia multabatur, prohibebatque officiali ne eum ante multæ solutionem dimitteret; homicidii verò, furti, &c. judicium pœnaque officiali integra & illibata relinquebatur.

Paulatim civilis ille procedendi modus in criminalem respectu Clericorum minorum mutatus est, si crimen aliquod atrox commisisset, v. g. si patrem aut matrem occidissent, si virginem rapuissent & violassent, aut quid aliud non minoris atrocitatis crimen commisissent; cui juris usurpationi occasionem dederunt duæ Bullæ Pontificiæ, prior a Leone X. data, qui trinæ monitionis Clerico vestem Clericalem deferenti necessitatem tollit, ut omni privilegio Clericali exuatur, necessitatem solum imponit Bullam quotannis tribus primis quadragesimæ Dominicis in Ecclesiis Episcopalibus legendi: posterior licentiam dat Regi Clericos in monetæ cusione servientes nulla habita Clericalis privilegii ratione judicandi & puniendi, cujus mentionem faciunt Franciscus I. in constitut. An. 1540. & Henricus II. in constitut. 1549. passim igitur Clericis minoribus a Judice Laico nulla habita ratione Clericalis privilegii, non tantùm amplius civiliter

civiliter sed etiam criminaliter punitis, paulatim ad Sacratos Clericos deventum est, si crimen aliquod atrox contra publicam tranquillitatem perpetrassent, v. g. si cum prædonibus, publicis viis insidentes, hominem occidissent. Judici sacro offerebatur degradandus, quod se præstiturum negabat eo quod de more criminis communis homicidii scilicet cognitionem non habuisset, persistente vero Judice Sacro in degradationis denegatione; Clericus Sacratus non degradatus morte afficiebatur, sed hoc rarissime contingebat, licet jam tum hæreticorum furoribus tumultuaretur Gallia; cùm tamen aliquocies in atrocissimis criminibus id factum esset, conquerente Clero, id prohibuit edicto Carolus IX. Anno 1571. non obstante tamen prohibitione ista, paulatim ab atrocissimis criminibus ad vulgaria, homicidia, adulteria, furta, &c. devenerunt, eaque privilegiata dici voluerunt; tandem ipsi soli horum criminum lites non vocato Officiali instruxerunt, morteque damnatum Sacerdotem, si degradare recusat Episcopus, quod semper recusat quoties litem non instruxit, non degradatum supplicio afficiunt.

Quamquam velim, notet hac in causa E.V. Primum Clerum Gallicanum nunquam approbasse Judicum Laicorum usurpationem qua de Clericis saltem Sacratis criminaliter

judicant

judicant extra casus in jure aut Bullis privilegiorum disertissime expressas, famamque privilegii pro privilegio nunquam admisisse, imo nunquam admisisse eam consuetudinem qua de iis, ut explicatum est, civiliter judicant; referre possem multos jurisconsultos Gallos qui in eos graviter invecti sunt, imò scripserunt eos ideo excommunicatos. Hactenus hoc nos docet quotidiana praxis, nusquam enim permittunt Episcopi sic condemnatos degradari; at libri autor hæc approbat, ut æqua, justa, & Canonica. 2. Istorum criminum cognitionem, si ad Episcopos deferatur, aut Episcopi præveniant, non negant Judices Laici ad Episcopos pertinere, nec ipsi hic litibus ab Episcopo occupatis nisi data aliqua sententia provocetur ab abusu, sese immiscent; at libri autor omnem horum criminum cognitionem ut debitam a tribunali Ecclesiastico abjudicat, docetque solos Laicos esse legitimos & competentes criminum Judices. 3. Hactenus si pro actione civili in personam Clerici adeatur Sacer Judex, nullus pragmaticus obnitetur, aut causabitur Judicem esse incompetentem; at autor libri vult hoc esse peculiare foro Seculari, & ei legitimè & per se convenire. 4. Vult crimina quæ respiciunt actus humanos, quorum cognitionem habent Episcopi, dicta fuisse

pri-

privilegiata eò quòd privilegium hoc eis indulserint Reges; hinc colligit jurisdictionem illam a Principibus & eorum judicibus pro libidine limitari, prorogari & abrogari posse; at omnium Juris Consultorum & Canonistarum Francicorum testimonio privilegiata crimina sunt, non quæ cognoscunt Episcopi, sed quæ cognoscunt Laici, eo quod eorum cognoscendorum a Pontifice privilegium Reges acceperint; cum autem antiqui nostri jurisconsulti de hac re disputantes nullum tale privilegium allegare possunt, famam privilegii ad tuendam judicum conscientiam sufficere scripserunt; postea Reges Franciscus I. & Henricus II. in nonnullis causis Bullas, ut dictum est, a Pontificibus obtinerunt; unicus Leguleius ante 20 Annos sic privilegiata crimina interpretatus est, sed nomen libro, quo ridiculam expositionem ante ipsum inauditam enarrat, præponere ausus non est; at libri novi autor nomen & socieratis suæ & suum præposuit. 5. Quod nemo cogitaret, cujus nullum hactenus est exemplum, & innumera in contrarium Laicos Episcoporum Judices constituit, ita ut in eos ut in Laicos criminaliter procedere possint, morteque eos damnare, quæ nullus Leguleius; nullus pragmaticus scribere ausus fuerat; longè atrociora evidenter innuit; legantur, pag. 30,

31,36,37 & seq.res quasque sanctissimas subjicit Laicali sententiæ nulla habita ratione sententiæ Ecclesiasticæ præcedentis; cujus hæc in causa Laicalis esse tantum debet Executrix; sed hæc longum persequi.

Quid de Matrimonio dicam? hactenus invaluerat istud, Matrimonia regi jure poli non jure fori; Reges posse condere Leges ad honestatem Matrimonii spectantes non ad substantiam. Iisdem adhuc respondent omnes antiqui Curiarum Senatores, Regum Leges & arresta sua ad effectus civiles spectare, hoc est, dotem, hæreditatem, paraphernalia, donationes, non ad Matrimonii substantialem diruptionem; at ille omnium Catholicorum primus dixit Laicos Matrimonium irritare posse, & Principes Leges Matrimonium dirimentes condere; simili temeritate & impietate liberorum adultorum conjugia sine parentum consensu esse nulla & irrita, hæc contra perpetuam in Gallia ut & in aliis locis praxim & Concilii Trident. decreta; quoslibet præterea Clericos vectigales pro Principum voluntate facit non secus ac apud nos rustici virique ignobiles; contra Canones nullam scribere audet Pontificis requirendam licentiam, imò ipsius argumenta eò inclinant, ut inconsulto Pontifice, & invitis Clericis captari possint; consideret denique E. V. quid sibi velit

lit in isto libro, & hoc potissimum tempore longa illa disputatio qua contendit in Patriarchatu Romano novum Patriarchatum erigi posse ut olim Patriarchatus P. C. & Hierosolym; denique utrumque Imperatorum favore sustentatum, Pontificibus licet repugnantibus, vim autoritatemque obtinuisse, cui tandem Pontifices consenserint.

Dat. Paris *Id. ib.* Maii, 1642.

EPIST. LXIV.

Johannes Morinus Cardinali *Barberino* in favorem Translationem Episcopi *Carnutensis* in Archiepiscopum *Rhemensem.*

Eminentissimi Cardinali Barberino.

Eminentissime Cardinalis,

PAucos ante dies longa Epistola respondi iis quæ à me rescire desiderabat Eminentia Vestra. Ipsi datam fuisse non dubito; quare eorum narrationem supersedeo; aliud est cujus causa hac Epistola E. V. supplex oro; Illustrissimus Episcopus Carnutensis ad Archiepiscopatum Rhemensem a Rege Christian-

stianissimo electus est, jam humanissimè & benevolè ejus preces audivit E. V. si translationem ipsius ad Archiepiscopatum illum a summo Pontifice obtinuerit, Ecclesiæ Gallicanæ optime consultum est. Vir est enim longo usu & multa exercitatione negotiorum Ecclesiasticarum peritissimus, doctrinaque omni quæ Episcopum decet celebris; ab Annis 25 nullus Cleri Conventus aut ordinarius aut extraordinarius habitus est cui non interfuerit, anno proxime elapso cum extraordinariè Ecclesiasticus Conventus haberetur, ipseque prima vocatione non esset ei adscriptus omnium voto & suffragiis allectus est; itaque magnum operæ prætium Em. Vestra Ecclesiæ factura est, si a summo Pontifice translationem hanc impetraverit. Tanti viri Panegyricum hîc instituere non desideravi, nec eo opus habet, cum ipsius præclaræ actiones in Gallia sint notissimæ & E. V. latere non possint; illarum tamen eam memorem facere volui, ut officio quo & Ecclesiæ Gallicanæ & tam celebris Episcopi virtuti devinctus sum defungar; confidentiam meam E. V. pro benevolentia qua me complectitur boni consulturam spero, eam quam diutissime Deus Ecclesiæ suæ servet incolumem.

Parisiis 10. Kal. Junii, 1642.

EPIST.

EPIST. LXV.

Johannes Morinus Cardinali *Barberino* ſcribit in favorem Domini *de Marca* ad Epiſcopatum *Conſoranenſem* denominati.

Cardinali Barberino.

JAmdiu multumque eſt, cum Eminentiam tuam variis ac difficillimis negotiis occupatam literis meis interpellare non ſum auſus; nonnihil enim timebam, ne intempeſtiva mea obſervantia Eminentiæ tuæ faſtidium crearet; verum nunc occaſio mihi datur & diuturni mei ſilentii abrumpendi & obſequioſiſſimè meæ obſervantiæ hac Epiſtola innovandæ. Illuſtriſſimus de Marca in Parliamento Palenſi Præſes & in Sanctiori Regis Chriſtianiſſimi Conſilio ordinarius Conciliarius ad Epiſcopatum de Coſerans deſignatus eſt. Vir eſt apud nos eruditione non modo ſeculari, ſed etiam Eccleſiaſtica celeberrimus, Religionis Catholicæ ſtudioſiſſimus, atque ex illuſtri familia oriundus, cui hoc laudi datur quòd ab antiqua Religione nunquam defecerit, licet in regione habitaret in qua primum hæreſeos Palladium in Gallia collocatum

est, quàmque hæretici annis sexaginta fere integris oppresserunt. Hujus rei testis esse possum, qui abhinc annos circiter duodecim cum eo sæpius familiariter versatus sum, variisque de rebus, quæ Religionem disciplinamque Eccles. spectant, contuli; librum eruditissimum scripsit de Concordia Sacerdotii & Regni, materia ubique fere, sed in Gallia potissimum anceps, lubrica, & perdificilis, de cujus Scriptore id Homeri meritò usurpari potest ὀπὶ ξυρῦ ἵσταται ἀκμῆς; de ea tamen ita scripsit Parlamenti præses, ut in confesso sit apud omnes hujus rei peritos neminem è foro scriptorem abhinc annos Centum & viginti Ecclesiasticæ autoritati magis fuisse, viamque ad antiqua ejus πρεσβεῖα recuperanda confidentius aperuisse, ita ut nonnullis in foro viris primariis prævaricationis suspectus haberetur; ex quo colligere est quanta animi confidentia & solertia Episcopus factus eandem autoritatem asserturus sit & propugnaturus; meam de Viro optimo sententiam Eminentiæ tuæ testificari consultum visum est, non tam ei gratificandi causa, quam Ecclesiæ Gallicanæ, cujus clarissimum lumen aliquando futurus est; cæterum Eminentissime Cardinalis hoc unicè E.T. & oro exorare velim, ut me benevolentia sua complecti non desinat, humillimumque obsequium meum a multis annis illi consecrātum

cratum, quodque iterum lubentissimè, quantulumcunque est offero, æqui bonique ut sæpius amanter fecit, consulere dignetur. Deus Opt. Max. te Ecclesiæ suæ quam diutissime conservet incolumem.

5. *Id. Julii, Anno* 1643.

EPIST. LXV.

Bartholdus Nihusius Johanni Morino dubia quædam de rebus Ecclesiasticis.

Perquam Reverendo Domino Johanni Morino, *Congregationis Oratorii Presbyterio, Viro celeberrimo, deque Ecclesia Dei longe optime merito S. P. D.* Bartoldus Nihusius.

FElicissimus ego mortalium sum. Quamobrem vero? quia non tam scribere ad me, quam effundere viscera animi erga nos benevoli, tibi placuit: quo quidem beneficio longe indignissimus homuncio Nihusius. Viderit perquàm Illustris meus D. Turrius, beneficii istius pro me procurator. Ita enim affectus ego inde, ut ne quidem sciam, quibus verbis gratias agam; ita, inquam,

sentio, me obrutum à Sole hujus ævi, Morino. Longe gratissimum profecto est mihi tuum judicium de iis quæ ad fabricam Dominicæ Crucis pertinent; jam aveo doceri eum tempore, quid observaverint hodie suismet oculis, quibus ejus reliquias videndi copia fuit. Multo gratissimum pariter est, quod suppeditas nobis de Cassandriano illo, (hic enim locorum sic vocari genus istoc hominum cœpit.) unicum est, quo me perplexum reddis: Offers operam tuam ubi usui esse possit. Si non acceptem, in Deum ingratissimus sim; sin acceptem, fieri possit, ut fiam impudens impetendo: ἐυγνώμα. Petam exiguum, & eâ quidem lege, ut silentio, quàm responso dignum potius censeas me, si visum fuerit. Quid obsecro causæ est, quod in ordine Romano, & opusculo quod insertum, anno superiore, Bibliothecæ Patrum, *l. 6. p.* 188. qui Sanguinem Domini sumunt, non *communicari* sed *confirmari* dicuntur? Cassander ille (qui Coloniæ resipuit ante obitum, & indicta sua cupiens, professioni fidei Pii IV. *pag.* 218. subscripsit) saltem occasionem dat explicandi negotium; si tamen id meretur peculiarem operam, inspicerem observationes Sacras Josephi Vicecomitis: verùm non reperiuntur in hisce regionibus: porro unum necessarium est. Magne vir, Deus te conservet Ecclesiæ suæ bo-

no,

no, seu splendori potius, ut conservavit hactenus est. Hîc locorum vir aliquis excellens, tui æstimantissimus, qui vocatur Leonardus Marius is te cupit salevre plurimum, ut ego si occasio tulerit Veronium etiam ac Rigaltium; qui nec abjuravi scribere: deinceps quoque, nihil dissimulo, quia gaudio plenus, è literis tuis, Patrone exoptatissime, penitusque optime.

Amstelodami xij *Martii*,
CIↃ IↃC XL IV.

EPIST. LXVI.

Abraham Ecchellensis Johanni Morino mittit capita Epitomes constitutionum Ecclesiæ Maronitarum quæ leguntur *Syriacè* in eorum Ecclesiis & conversæ habentur in Linguam *Arabicam*, modus administrandi Sacramenti Pœnitentiæ apud eosdem Maronitas, figura Ecclesiæ Maronitarum.

Capita Epitomes Constitutionum Ecclesiæ Maronitarum ad clarissimum, doctissimum & charissimum virum Johannem Morinum *Congreg. orat. Jesu Christi Presbyterum.*

HIc liber legitur Syriacè in Ecclesiis Maronitarum cujus hic habemus Arabicam versionem Davidis Archiepiscopi factam æra Alexandri 1370. scilicet Domini 1059. rogantibus Abbate Josepho & Monachis.

Cap. 1. *De Ecclesia & iis quæ ad eam attinent, & continet 7 Sectiones.*

Sectio *Prima.*

Sectio

Sectio 2. *In quibus impendenda sunt facultates Legata Ecclesiæ.*
Sectio 3. *De Decimis.*
Sectio 4. *De Procuratore Ecclesiæ.*
Sectio 5. *De Vasis Altaris.*
Sectio 6. *De Judiciis Altaris, id est requisitis.*
Sectio 7. *De Consecratione Templorum.*

CAP. II. *De Baptismo, & continet* Sectiones 4.

Sectio 1. *De Baptismo Proprio & Metaphoriço.*
Sectio 2. *De eo qui baptizatur dum agrotat.*
Sectio 3. *De Perficiendo Baptismi Chrismate.*
Sectio 4. *De Diebus Baptismi.*

CAP. III. *De Eucharistia, continet* Sectiones 3.

Sectio 1. *De Materia.*
Sectio 2. *Non licet se continere a communione sine causa.*
Sectio 3. *De Conditionibus Eucharistiæ.*

CAP. IV. *De Jejunio, Festivitatibus & Oratione, & continet* Sectiones 5.

Sectio 1. *De Jejunii Definitione & Canonibus circa illud constitutis.*

Sectio 2. *De Jejuniis & N°. dierum illorum.*
Sectio 3. *De Die Dominico & Festivitatibus Dominicis.*
Sectio 4. *De Oratione.*
Sectio 5. *De Qualitate Orationis ex præcepto & de cæremoniis ejus.*

CAP. V. *De Funeribus Defunctorum, continet Sectiones 2.*

Sectio 1. *Quomodo orandum super defunctos & quomodo sepeliendi sunt.*
Sectio 2. *De Convivio quæ fiunt pro defunctis.*

CAP. VI. *De Ordinibus Sacerdotalibus, continet* Sectiones 10.

Sectio 1. *De Matricibus Ecclesiis.*
Sectio 2. *Ut congregentur Episcopi ad Patriarcham.*
Sectio 3. *De Ordinatione & Officio Episcopi.*
Sectio 4. *De Presbyteris peculiariter.*
Sectio 5. *De Qualitate impositionis manus, & de causis impedientibus eam.*
Sectio 6. *De Requisitis Diacono.*
Sectio 7. *Desideratur.*
Sectio 8. *De Hypodiacono, & Lectore, & Psalmista & Exorcista.*

Sectio

Sectio 9. *De Libris qui præcipiuntur recipi in Ecclesia, & conditionibus & requisitis Scholarum, ac Artibus abominabilibus prohibitis.*
Sectio 10. *De Monastico Instituto.*

CAP. VII. *De Desponsationibus, Nuptiis, earumque circumstantiis.*

CAP. VIII. *De Testamentis seu Legatis, continet* Sectiones 2.

Sectio 1. *De Voluntate seu Beneplacito Testatoris.*
Sectio 2. *De Acceptione Legatarii.*

CAP. IX. *De Hereditate, continet* Sectiones 2.

Sectio 1. *De Gradibus hæreditatis.*
Sectio 2. *De Causis impedientibus hæreditatem.*

CAP. 10. *De Veritate & Falsitate emptionis, continet* Sectiones 4.

CAP. XII. *De Societatibus.*

CAP. XIII. *De Depositis.*

CAP.

CAP. XIV. *De Mutationibus.*

CAP. XV. *De Donationibus, continet* Sectiones 2.

Sectio 1. *De Fundamentis ejus.*
Sectio 2. *De Realitate Restitutionis.*

CAP. XVI. *De Legatis.*

CAP. XVII. *De Magnis à quibus prohibemur.*

Sectio, *De Homicidio.*
Sectio, *De Fidelibus qui à sua ad aliam Religionem transeunt.*
Sectio, *De Fornicatione ejusque prohibitione.*

Sunt & plura alia hujusmodi in aliis voluminibus.

Quod attinet ad Sacramentum pœnitentiæ, cujus modum, ceremonias, pœnas injunctas confitenti, aliaque hujusmodi scire poroptas, dico, aliquos confiteri stantes, aliquos sedentes, genuflexi aliquos, prout locus & tempus postulant; peccatis secretis secreta injun-

jungitur pœnitentia, quæ ut plurimum sunt jejunia, genuflexiones, peregrinationes, orationes, elemosinæ, &c. peccatis publicis publica infligitur pœnitentia, quod ut exactioni tuæ faciam satis, referam ea quæ habentur in capite de fornicatione: Dixit ille cui gloria: quicunque homo ex filiis Israel, aut illis qui veniunt ad me seminat semen suum in muliere extranea, occidatur homo ille, & obruat illum lapidibus omnis populus; at Pontifices legis Evangelicæ amplexandos esse existimarunt pœnitentes, cùm dicat Altissimus: *nolo mortem peccatoris*: quamobrem constituerunt pro his Canones, quos aliqui faciliores addiderunt, alii vero magis arduos, prout sibi visum est, & ratio facilioris &ardui operis suadebat,&pœnitentis ferebat constantia, aut remissio,& vires vel animi vel corporis; & consideraverunt in hoc tempus, & locum, & possibilitatem: fornicator autem aut est Sacerdos aut Laicus: Si est Sacerdos & cœlebs, jejunet & oret annum integrum, & Ministerio Sacerdotali interdicatur, donec prætereat annus, tum revertatur ad ministerium suum, ut prius: si autem fuerit Laicus, jejunet septem Septimanas. fidelis si coinquinatus fuerit cum masculo, jejunet & oret quatuor annos, tum suscipiatur & communioni restituatur: si autem incidet interea in periculum vitæ ante absolutum tempus,

tempus, detur illi communio, cum absolutum non sit tempus. Si quinquagenarium is attigit annum & fuerit cælebs ne plus nimio opprimatur, ne pereat, sed decernat illi confessarius prout sibi videbitur & illius ferat conditio, ut mereatur misericordiam & propitiationem Christi, &c.

De absolutione hic ordo observatur, si peccata ejus sunt qualitatis, ut longam requirant pœnitentiam, eorumque causa interdicitur pœnitenti Sacramentorum usus, tum datur absolutio post exactam pœnitentiam: Si verò levia sunt peccata statim datur absolutio, cujus formam cum non habeam ad manus, aliàs tibi illam mittam; similiter ea verba, quibus confessarius accedenti pœnitenti benedicit.

De Ecclesiæ Maronitarum figura.

Interior Ecclesiarum figura, & dispositio quod ultimo loco scire optas, hujusmodi est. Primò Ecclesia perpetuo ita disponitur, ut janua, versus occidentem semper pateat, & Altare orientem constituatur versus, ita ut celebrans orientem aspiciat. Secundo, Ecclesiæ ut plurimum tribus constant navibus, in quarum suprema parte tria sunt Altaria Cancellis occlusa, intra quos nemo ingreditur nisi Sacerdotes & Minores Clerici, jejuni tamen;

tamen; Laici verò ac præsertim mulieres perpetuo ab ingressu Sanctuarii arcentur & contactu Altarium: hujusmodi autem Cancelli velis obducuntur, dum proferuntur verba consecratoria, & mysteriorum tunc aspectus Laicis interdicitur. In Ecclesiis hujusmodi formæ, & dispositionis, sinistra navis assignatur mulieribus, quæ ingrediuntur & egrediuntur per ejusdem navis Januam, cum unaquæque navis propriam habeat portam; in Ecclesiis verò quæ unicâ navi constant, posterior pars destinatur mulieribus, ita tamen ut se recipiant ad utrumque latus januæ, & nullo modo subsistant in medio Ecclesiæ. Finito Sacro, nullus virorum aut egreditur aut post se respicit, priusquàm mulieres egressæ fuerint. Ista separatio mulierum loci à viris fit propter honestatem. De loco in quo leguntur Epistola & Evangelium non est eadem dispositio ubique: nam in quibusdam Ecclesiis leguntur prope Altare in plano loco, in aliis verò in loco edito ad summitatem Cancellorum Sanctuarii, ita ut conspiciatur qui legit tam ab iis qui sunt intra Sanctuarium, quam ab iis qui sunt extra. Si hæ non sufficiunt, libenti animo alicujus Ecclesiæ adamussim tibi delineationem mittam. Interea de mora in his describendis veniam posco, affecto enim animum meum (quamvis imparibus viribus) aliquo signo erga te tuaque

que declarare; quandoquidem is est meus erga Patrem Morinum affectus, ut vix (Deum testor) dici possit.

Putabam me iterum, ac cito tua suavissima familiaritate coram Lutetiæ fruiturum: sed nescio quo fato quove malo genio factum est, ut *D. le Jay*, cæterique amici longa mei oblivione capti sint, & nullis officiis meum promoverint negotium: modo scribo ad ipsum Eminentissimum Cardinalem Mazzarinum, ut stet promissis, & una ad eundem literas commendationis mitto, uti per literas quoque certiores facio *D. le Jay & Vitray*: interea dum responsum expecto rei hujus, me tuis bea præceptis.

Datum Romæ, 22 *Aprilis*,
A. D. MDCXLIV.

Obsequentissimus Servus,

Abrahamus Ecchellensis.

EPIST.

EPIST. LXVII.

Leo Allatius Johanni Morino Nonnulla quæ ad figuram Ecclesiarum apud Græcos & eorum Liturgias spectant discutiuntur, de Pœnitentiæ quoque ritu apud Græcos etiam nonnulla.

Clarissimo & Doctissimo Viro Johanni Morino Leo Allatius F.

ERuditissimam Epistolam tuam, in qua de veteris Ecclesiæ partibus plura doctissimè disseris, & conjectaris, maxima cum voluptate legi; & reconditiorem Ecclesiasticæ Antiquitatis Doctrinam admiratus, ingenuè fateor, nihil in ea esse clausum, quod à te apertissimum factum non sit. Si quid tamen in re ambigua mihi conandum esset, dum Recentiora cum Antiquioribus, quæ penitus immutata fuisse nemo diceret, confero, dicerem Tabulatum Bematis ab eo quod Narthecis erat, quàm longissime abfuisse, non materia quæ eadem utriusque esse potuit, sed mole: Narthecis enim homine depressius erat, Bematis totam Sanctuarii faciem occupa-

pabat; adeo ut tantum non omne occluderet, nihilq; reliquum faceret quod apertum Christianorum qui officiis intererunt, oculis objiceretur: quæ enim in Sanctuario fiebant, tanquam in remota & occulta templi parte præter Sacerdotes non tantum corpore sed oculis etiam alios adire nefas erat. Ideo omnia Tabulata suis etiam velis contegebantur. Et tantummodo ea pars patebat, quæ foribus adapertis, sed media potissimum offerebatur, quæ non usque quaque adaperta est, sed velo etiam contracto, parte sui inferiore duabus portulis sese in medio conjungentibus, præter quàm cùm introitus fiant, & Sacerdos egreditur, & remeat, & Christi fidelibus Sacra Mysteria elargitur, semper occlusa conspicitur.

In Ecclesiis Plebanis in quibus unus est Sacerdos, etiam extra dies Dominicos, & Festos, aliis feriis sive ita postulante populo, vel eleemosyna data ad id compellente, vel religione etiam propria, Sacerdos si ita libuerit, Liturgiam celebrat. Hinc fit aliquando, ut singulis diebus, nullo intermisso Missa habeatur; & quadragesimali tempore, cùm libuerit Sacerdoti præsanctificata offerantur, sin minus decantatis Vesperis, & aliis officiis absque præsanctificatorum Missa domum regreditur; observavi tamen in Ecclesiis Plebanis plures in quadragesima

Præ-

Præsanctificatorum missas, quàm in Monasteriis & bene constitutis Ecclesiis celebrari: in his enim rare Præsanctificatorum Liturgia aliis feriis, semper tamen Liturgia perfecta Sabbatis & Dominicis conficitur. Quare Die Dominico, cùm celebrant, numerant sibi dies, quibus ea hebdomade Præsanctificata offerre constituunt, & tum demum pro dierum numero, æquales quoque particulas consecratas reponunt. Estque in his ordo apud illos ordinem non servare, cùm nullus Præsanctificatorum certus numerus præscribatur, sed omnia ex arbitrio Sacerdotis celebrantis pendent.

De forma Ecclesiarum illud etiam observo, non omnes fuisse quadratas oblongas, & tantummodo Brachiis in Austrum & Boream protensis Crucis signum expressisse, cujusmodi sunt pleræque in Italia: cum illæ quas σταυρωτὰς, sive σταυρωτοῖς, nuncupant, perfectam omnino crucem quatuor æqualibus partibus in medio coherentibus efficerent, quod hodie manifestè conspicitur in oppido Armoliæ in Chio insula: in eo enim ad hunc diem Vetustissima Ecclesia conspicitur immensis sumptibus extructa, quæque ad crucis perfectam similitudinem quatuor Brachia in longum æqualiter protensa in media trulla colligat. Hinc mihi autumo formam quam nomine præferunt, non in fornicibus & ar-

cubus, atque parte sui superiore, sed inferiore etiam & pavimento, & qua innituntur structura reddidisse. Confessio Græcorum recentiorum in Insula Chio & ferme aliis insulis quomodo conficiatur, exponam: nam de aliis Græciæ partibus mihi non liquet, & forte etiam ibi alius modus observatur. Confessionem auditurus in Ecclesia sive etiam domi, appenso Peritrachelio, sedet; Pœnitens sive mulier sive vir in Scamnulo penes eundem accumbit, aperto capite, reverens & totus ad pietatem compositus. Post preces à Sacerdote in pœnitentem effusas, & exhortatiunculam ad promptè peccata omnia confitendum, narrat pœnitens quidquid præter jus fasque admisit. Postmodum & Sacerdos interrogans memoriam vellicat, è qua si quid elapsum est in mentem reducit. Confessione completa, orationes illas ἐπὶ τῷ ἐξομολογουμένων recitat, ἐπιτίμιον imponit, benedicit & dimittit. Pœnitens si ἐπιτίμιον illud est, quod ante Communioni Sacrum diem perfici potest, eo absoluto ad Communionem accedit; si plures requirat dies, licet id non exsolverit, communicat tamen, postea reliquum absolvit: nisi a Sacerdote injunctum fuerit, ut non nisi completa pœnitentia ad Eucharistiæ Communionem accedat: tunc enim omnino obedit, nec communicat; Quemadmodum & cum ob aliquod

enorme

enorme peccatum jussu Sacerdotis a communione prohibetur. Nec alium ipse pœnitentiæ usum jam dictis in locis observavi: habent tamen quædam alia minoris momenti, sed his satis interrogationibus Morini occurritur. Curavi ut tam quæ Simeon Thessalonicensis in Dialogo de Sacramentis, de Pœnitentia differit, quàm quæ Johannes Monachus, qui se Basilii Magni discipulum nuncupat, in opusculo de pœnis pœnitentibus infligendis enunciat, ex Codicibus Vaticanis exscriberentur, eaque ad te deferenda Patri Germano, qui tuas mihi reddidit litteras, consignavi; ex scriptorum Græcorum inopia sive socordia quæ non nisi magno pretio in Vaticanum expellitur, in causa fuit, ut hoc tempus omne, ante quam voluntati obtemperaretur tuæ, insumeretur, quod brevissimum fuerit, si tempora expendas, & quibus hæc nostra Europæ pars urgetur incommoda. Si quid ergo interim opus est, impera: ero memor & diligens, ut quæ imperes, compareant. Vale mi Morine, Vale, & tuum Leonem, tui obsequentissimum, ut facis ama.

Romæ, Die D. Aithanasio sacro,

CIↃIↃCXXXIII.

EPIST. LXVIII.

Johannes Morinus Lucæ Holſtenio libros, quos tunc meditabatur, edendos memorat; inter quos aliqui ſunt nondum editi, de Jeſuitis & *Arnaldo* aliqua.

Clariſſimo Viro Lucæ Holſtenio Johannes Morinus. *S. P. D.*

MAxima ſane lætitia perfuſus ſum, cùm mihi redditæ ſunt litteræ tuæ; intra illummet fere diem litteras ad te Eminentiſſimumque Dominum noſtrum meditabar. Hoc tempus ante aliquot menſes avide exoptabam, pacem ſcilicet in Italiæ penetralia atque adyta redivivam & confirmatam, quod nunc publica fama omnibus innotuit. Eminentiſſimum Cardinalem tot negotiis, præter omnium Eccleſiarum ſolicitudinem, domi militiæque occupatam meis literis interpellare nonnihil ſubverebar. Verùm nunc moras omnes rumpendi alteram mihi cauſam præbes, cùm literis tuis mihi ſignificas optimum Cardinalem me beneficio Eccleſiaſtico donatum velle; maximas illi gratias habeo, utinam referre poſſem; licet ab eo acceptando

prando nonnulla deterreant, Bella scilicet quæ regionem illam circumstrepunt, deinde residentiæ, quam vocant, obligatio; ejus tamen Eminentiæ me divinctissimum fateor, & profiteor: eam enim video & sentio continuam mei curam gerere, nec unquam mihi deesse; sed occasionem. Ad Eminentissimum Cardinalem ideo rescribo, ut non acceptati beneficii rationem reddam, simulque, qua possum observantia animi mei gratitudinem testatam illi faciam. Te vero ut quod facis facere pergas, vehementissimè rogo, hoc est, ut mei semper memor sis, sæpiusque Eminentissimum Cardinalem mei memorem facias, qui pluris quam ego, te, tuaque studia faciat, qui fortunatiora tibi optet, & voveat, neminem habes. Quod spectat ad studia mea, de quibus me interrogas, paucis edisseram. Quatuor varia opera prelo fere matura sunt, quæ σὺν θεῷ, hoc ordine sum editurus. Primum antiquam Sacramenti pœnitentiæ praxim complectitur, quæcunque in ea administranda duodecim seculorum spatio tam in Oriente quam in Occidente variata sunt, explicat; Opus ab Annis viginti duobus a me — inchoatum, cui sæpius adornando incubui, à quo etiam sæpius materiæ difficultas me deterruit: quidquid enim mihi antiquorum Volumina diligenter versanti in hac causa occurrit, exscribit, & quo quæque

res ordine illo ſæculo & eo climate adminiſtrabatur, deſcribit. Ab octo fere menſibus nihil aliud elaboravi, nec niſi Coronide impoſitâ huic operi inſudare deſinam, ſpero cum anno finiente finitum iri. Secundum eſt de Antiquis Chriſtianorum Eccleſiis, in quo earum figura delineatur, variæ partes narrantur, ſedes in eis ſacerdotum, Clericorum, Monachorum, Fidelium, Pœnitentium, Virorum, Mulierum demonſtrantur, quid in Eccleſiarum figura, partibus & ſedibus ab Apoſtolorum tempore hactenus tam in Oriente quam in Occidente variatum explicatur. Hoc in opere plurimum me adjuverunt Leonis Allatii viri eruditiſſimi monita & lucubratiunculæ aliquot, in iis potiſſimum, quæ hodiernas Græcorum Eccleſias ſpectant. Hoc opus quoque fere ad Umbilicum perductum eſt. Tertium Sacras Epiſcoporum, Presbyterorum, & Inferiorum Clericorum ordinationes juxta Latinos, Græcos & Syros ex antiquorum teſtimoniis & vetuſtiſſimis Ritualibus explicat, de quibus olim tecum multa. Hoc opus & primum pepererunt ſecundum: ſentiebam enim ſæpius de utroque me bene philoſophari non poſſe, Eccleſiarum figura & ſedibus non perſpectis. Poſtremum eſt de Textu Sacro Hebræo, in quo præſertim quidquid unquam Rabbini, Talmudici, Maſorethæ, & qui eos ſecuti ſunt Gram-

Grammatici, intentus, emendationem & Criticen elaborarunt, Latinis hominibus aperitur. Eruitur quoque Talmudis, Masoretharum Grammaticorum & fere omnium Librorum qui apud eos antiqui habentur æra vera & à falsò attributa antiquitate vindicatur, & alia pleraque hujus generis, quorum Catalogum in Biblicis meis exercitationibus edidi ante septennium, completum opus licet vastum; in hoc opere si S. Hieronymum excipias, vix unquam Latini aut Græci colloquuntur; multa mihi sunt præterea partim collecta, partim polita, quæ spectant ad Jurisdictionis Ecclesiasticæ nostratibus a Laicis Usurpationem. Usurpationum origines, occasiones & progressus in hunc usque diem demonstro: quid ab annis paulò minus quadringentis unoquoque tempore additum est, qua ratione lites in iis rebus instruebantur, quousque progrediebantur, ubi subsistebant. Hoc est quadripartitum; antiquissima usurpatio est actionis possessoriæ, quæ realis est in Ecclesiæ bona, ipsumque Ecclesiasticum titulum. Hanc secuta est actio personalis in Clericos minores, Civilis primum deinde Criminalis, postea in Sacratos quoslibet Clericos, quæ nondum Episcopos invasit; licet id sit aliquando tentatum: hanc Usurpationem Pragmatici nostri nomine delicti privilegiati intelligunt. Tertia respicit appel-

lationes ab abusu dictas, quibus judicium Ecclesiasticæ Sententiæ Laico Tribunali subjiciuntur. Quarta actiones, quæ de validitate aut invaliditate Matrimoniorum intenduntur, quarum prima initia emicuerunt ante annos circiter 45. atque a decem annis invaluerunt.

Prodiit Arnaldi liber 15. Episcoporum & Lectissimorum 20 Sorbonæ Doctorum Testimoniis commendatus: insurgunt tamen Jesuitæ & in eum publicis prædicationibus ut in Lutheranum, Calvinianum, & quid non invehuntur: cum autem ad Pontificem provocandum esset, qui de Autore & approbatoribus judicium ferret, potestates Mundi advocant ut eorum Autoritate & Liber & Autor & ipse Approbatores, si fieri potuisset, opprimantur: Verum ipsis accidit quod minatur Euripides in Andromache, θυμούμενος δὲ τεύξεται θυμουμένων.

Parisiis, 3. *Non. Junii*, 1644.

EPIST.

EPIST. LXIX.

J. Henricus Hottingerus Simeoni de *Muis* Defensio Veritatis *Hebraicæ* adversus *Johannem Morinum.*

Viro admodum Reverendo, Excellentissimo, & Dignissimo D. Simeoni *de* Muis *Sacrarum Hebræarumque Literarum apud* Parisienses *Professori Regio Celeberrimo Insignis Ecclesiæ Suessionensis Canonico & Archidiacono, Domino plurimum honorando.*

Salutem à Domino

Vir Excellentissime,

MIraberis forte unde hæc audacia, quod homo tibi ignotus, nulloque literarum commercio familiaris, occupatissimum te & ad maxima quæque natum insulsa & rudi Epistola detinere atque compellare ausim. Sed desine mirari: humanitas tua aliis probata, egregia eruditio, conspicua literarum monumenta, & si quæ sunt alia, quæ in te emicant; faces porrò, quas ad tale quid audendum subinde addit Vir Clarissimus mihiq; amicissimus D. Johannes Buxtorfius, tandemque ὁμοτιμία & causæ quam pari

Zelo

Zelo defendimus, communio, pudoris repagula rumpere, teque brevi Epistolio salutare persuaserunt. Pauci sunt anni cum invitus percepi esse Parisiis hominem verè κενοτομοῦντα, & novaturientem, qui intempestivè admodum erepto manibus nostris Codice Hebræo Authentico, sufficere Samaritanum χθὲς καὶ πρῴχθες, in has nostras oras illatum tentet. Dolui magis, cum fama jam percrebuisset tantâ eum hoc σοφὸν φάρμακον, imperitioribus propinasse calliditate, ut non contemnendum apud multos fuerit consensus periculum. Mox tamen subiit mentem non permissurum Deum ut paradoxa, impia, magnamque malorum Lernam à tergo relinquens hæc Sententia locum aliquem in Ecclesia Dei inveniret. Neque spe excidi mea; monebat enim tum te, Vir Clarissime, & ad ejusmodi studia nate, Patrocinium veritatis suscepisse feliciterque pullulans hoc folium radicitus evulsisse. Sed ne Morinus existimaret sibi apud omnes Tropæa deferri, unum te reluctari, operæ pretium duxerunt Viri docti hunc justæ contentionis funem ulterius trahere & ex ipsius Pentateuchi Samaritani natura eruere quam sit πόλλ' ὑγιὲς in omnibus iis, quæ callidè molitur & μαιεύεται adversarius Morinus. Cùmque ipsemet ego in Belgio opportunam Pentateuchi illius vitiosissimi perlegendi nactus essem occa-

occasionem, protenus vidi causæ falsitatem. Unde facilius etiam amicorum monitis in hanc sui pertractus palæstram, quod Juveni mihi, ad Gigantem ejusmodi contremiscenti omnem timorem excusserant evidentissima & ἀναντίῤῥητα, quæ cum cura inde collegi argumenta. Copiosior & δεινότερος esse potuissem, nisi nodo huic sufficientissimum Cuneum opposuisse jam alii me censuissent. Quod si vero neque ista Condatis sufficiant, dabo operam, ut aliàs armis validioribus utar & adversarium ad ἔκδειαν redigam. Prævideo quidem quam versutè & callidè argumenta mea, tanquam nihil contra se facientia, sit accepturus, sed didici jam χρησφύλια hæc parum morari. Clamitet licet in Apologeticis & ad nauseam usque inculcet injuriam sibi fieri ab omnibus, qui Canonizationem Pentateuchi Samaritani sibi impingant; credat tamen & certissimè sibi habeat persuasum, neminem, nisi planè pro cerebro habeat fungum, hoc, qui vel per transennam ejus sesquipedalia & phalerata in Pentateuchum hunc eructata verba legit, admissurum. Novi enim doctos, indoctos, Gallos, Belgas, Anglos sine ulla exceptione hujus monstrosi dogmatis Morinum insimulare. Tibi vero, Vir Excellentissime, has contra Communem Adversarium elaboratas Lucubrationes mittere volui, ut & tuo judicio subjicerem,

jicerem, & quid ad hæc Morinus exceperit excipereve cogitet, recognoscerem; παῤῥησίαν debito & devoto in te affectu natam condona, & in amicorum tuorum numerum infimum me esse dignare. Vale igitur in Domino, causæ nostræ meique memor.

Raptim Tigurì d. 22. *Maii*, 1645.

Excell. T.

Addictissimus,

Joh. Hen. Hottingerus.

EPIST.

EPIST. LXX.

Johannes Morinus Buxtorfio Libellum potius quam Epistolam scribit Puncta Vocalia apud *Judæos* recentia esse plurimis ostendit, loca quædam Rabbinorum a se Interpretata vindicat, de *Masoretis* nonnulla, de *Carræis* ex eorum libris *M. S. S.* similiter ac de *Judeorum* Grammaticis observationes Criticæ.

Viro Clarissimo Johanni Buxtorfio Johannes Morinus.

GRatissimæ mihi fuerunt literæ tuæ, quas mihi reddidit R. & eruditissimus Pater Mersennius. Ecqui aliter poterant? Ecqui magni te semper facio? cui nomen tuum ab Adolescentia & notum fuit & amicum, ab Adolescentia enim Patris tui literarum Hæbraicarum peritissimi libris evolvendis incubui. Hunc adolescens præ cæteris elegi, cujus ductu & auspiciis Literas Hebraicas edicerem: ideo hactenus cum Hebraicè aliquid legendi aut commentandi fert animus, si qua difficultas obversatur,

illius

illius libros, ut mihi præ cæteris familiares, ſtatim requiro: quum igitur Patrem tuum tanti fecerim, non potui filium magni non facere, filium Patris veſtigia tam ſedulo & honorifice prementem. Quapropter & mihi jucunda eſt & optata advenit Amicitia tua, poteſque à me ſperare quidquid à vero & ſincero amico fas eſt ſperare. Acrius æquo non ſemel in uno Libello Scripta mea pupugiſti; obiter equidem ſed modeſtius poteras in eum ferri, à quo nunquam læſus ſed laudatus fueras in eo ipſo Libello, cujus interpretamenta quædam diſcutienda ſuſceperas: quater enim aut quinquies in eo de te aut Patre tuo datâ occaſione verba facio, ſed ſemper cum laude & honoris præfatione; gratitudo enim Patri debita in filium diffundi debuit. Nec laudaſſe poſt lectum librum tuum me unquam pœnituit; veritatem & virtutem amaſſe & cohoneſtaſſe viro bono ſatis ampla merces. Alienum à me animum tuum facile tuli, cum alienationem non omnino tuâ ſponte, ſed ab alio incitatum, concepiſſe crederem; ille enim ira velut œſtro quodam in me penitus inimicos ubique mihi quæſivit. Baſileam, Lugdunum Batavorum, atque ad alia loca ideo ſcripſit, ipſi defuncto bene nunc precor ut viventi bene ſemper precatus ſum, qua ratione tantam ipſius offenſam meruerim, divinare nunquam potui,

potui. Ante ſcriptas Samariticas meas exercitationes amici eramus. Atque non absre audeo dicere, bene de ipſo meritus eram; in me tamen indignabundus admodum ſcripſit. Nec ſcripſiſſe contentus eas ad Sorbonam detulit, velut impietatis cenſura inurendas; Verum me neſciente res rum deridiculo ab omnibus fere excepta fuit: Paulo poſt animadverſiones in præfationem, quam editioni 70 Interp. à me inſtauratæ præfixeram, virulentas in lucem emiſit; Hæc omnia paſſus, nec verbo quidem injurias illatas repellere cogitavi: Aliquot poſt annos Exercitationes meas publicas typis mandari curavi, ubi ne verbulo quidem ipſum appetii; in eas tamen inſurgit famamque meam dilacerat. Tacitus hæc & lego & ab aliis audio & tacere ſemper decreveram, quanquam ſcribendi materiam & inſultandi campum quærens, mihi varia imponeret; Abruperunt tandem ſilentium meum, horrenda quædam opinionum monſtra, quorum me accuſarunt homines duo, in me præfationemque meam ſordidiſſimarum injuriarum plauſtra debacchati; Flores enim quibus caput meum coronant ſunt ejuſmodi; me vocant belluam inſanam, rabie percitam, monſtrum quod Judæi quoque execrantur, hominem infinitæ ſtoliditatis, deſperatiſſimæ vecordiæ & pleraque alia non diſſimilia; Cum igitur his hominibus,

minibus, licet in eorum libro nullum extaret eruditionis ſpecimen, reſpondere decreviſſem, de cenſore meo aliquid obiter perſtringere neceſſarium judicavi, ne de ſimili materia ſcribens, quæ mihi impoſuerat, admittere viderer.

Hæc paucis mi Buxtorfi, ut ſcias quoties, & qualibus aculeis laceſſitus defenſione tandem aliquâ uſus ſum, atque etiam ut hinc colligas, quibus conjecturis perſuaſus credidi, te non omnino ſponte, ſed ab alio commotum in me nonnulla durius ſcripſiſſe. Sed amicitia, quæ inter viros bonos & literarum ſtudioſos eſſe debet, redintegraturi, mittamus hæc omnia, & æternâ oblivione deleamus.

ἔπος δὲ εἴπερ τ'
δεινὸν ἄφαρ τὸ φεροίεν ἀναρπάξασαι ἄελλαι.

Vertere ſtylum proponis, bene eſt, ſed aculeatum tantum verti velim: amicè reprehendi amo, quoties id feceris bene de me mereberis, ſive id jure facias ſive injuria. Studium enim amici corrigendi, licet forſan aberret boni ſemper eſt conſulendum: Id ſane ab unoquoque, etiam inimiciſſimo non ægre fero; Nonnulli minimè amici me citato aliter ſenſerunt, nihil illis ſuccenſeo: Vello ſuum cuique ſit, modo & nobis; Nuſquam factum eſt ut omnes homines

minés in unam ſententiam ſimul conſpirarent. Sed aliud eſt diſſentire, errantem in viam humanitus manuducere; aliud verbis inſidiari, calumniari, ſcommatis & atrocibus dicteriis proſcindere. Et à nemine & in quacunque re corrigi refugio, ſed omnium minime in cauſa Hebraica. Illud enim ſtudium nunquam niſi raptim operiſque ſubciſivis atque animi gratia amplexus ſum. Et nunc annus completur ſeptimus, cum Hebraicè prorſus nihil legi: pluráque Hebraicè hujus Epiſtolæ componendæ cauſa quam ab integro ſeptennio legi & verſavi. Quapropter aberraſſe ſæpius potiſſimum in exercitationibus meis Samaritanis non dubito. Magnam enim earum partem currente prælo edidi: cujus cauſas reddidi in præfatiuncula ad lectorem. De inde tanta authorum rerúmque Hebraicarum varietas refertur, id pro maximâ parte, neceſſario poſtulante, ſubjecto quod illuſtrare mihi propoſueram, ut omnino credam fieri non potuiſſe, quin ſæpè hallucinatus fuerim. Nonnulla commemoras, grato & officioſo animo hæc accipio. Verum ſi aliquando interpretationis meæ aliqua ratio ſuppetat, paucis tibi proponi ægré ne feras, ſententiæ R. Iſmaelis in אל תאמר מכלו פרקי אבות recordatus ידע זי שחן רשאין ולא אתה. Primum occur-

rit me sensisse, Judæorum majorem & saniorem partem asserere, hodiernas litteras suas, esse ab Esdra traditas, atque in locum veterum substitutas, atque hoc ut probem, Judæorum testimonia, aut non satis intelligere, aut eo contorquere. Relege & compara quæ scripsi, deprehendes me nunquam pronuntiasse, majorem Judæorum partem sentire literas hodiernas in locum veterum absolutè substitutas esse, ita ut major eorum pars crederet hodiernarum ante Esdram nullum prorsus usum fuisse. Contrarium *cap.* 3. Exercit. 2. multis paginis ostendi, scilicet à fine *p.* 140. ad finem *p.* 147. plurimos Rabbinos sentire librum legis à Mose scriptum & in arca conservatum & similiter duas legis tabulas hodiernis characteribus fuisse scriptas : Idque decem Rabbinorum testimonio confirmavi. Verùm quum trium opinionum Judaicarum, quas ibi retuli, hæc sit una, postquàm illam à priore distinxi, adnotavi primùm multos habere authores, deinde parum à prima differre, denique nonnullos illius authores plurimum se torquere, ut autoribus prioris videantur non contradicere, ut legere potes, *p.* 139. ideo primam quam *cap.* 2. & 3. explicavi, simul cum secunda velut unam sententiam *p.* 98. accepi, eo quòd secunda fateatur omnem scripturam Judaicam, civilem & religiosam ante Es-

Esdram fuisse Samaritícam, librúmque legis tantum excipiat. Exceptionem illam parum curavi, & veluti plane ridiculam, pro nulla, jurisconsultorum more, judicavi. Id eo sententiam hanc ut proposito meo conducentem, quod erat, omnem scripturam Judaicam civilem & sacram fuisse Samaritícam cum magno autorum numero retuli. Alia enim scriptura, si aliqua fuit ejusmodi Judæis ex secundæ sententiæ autoribus nunquam fuit usualis, sed à Mose semel usurpata in adytis templi conservata fuit ab omnium Judæorum etiam sacerdotum remota oculis. Sed *cap.* 4. in quo specialiter primam sententiam, ex Judæis Neotericis demonstro, præcisè dico, *pag.* 123. potiorem esse; de approbantium multitudinem sileo. Quod ad librum tuum attinet, ante aliquot menses, illum semihorulæ spatio in manibus habui, & folia evolui, tantum quæ in scriptis meis notares quæritans, quapropter quid de his rebus revera sentias, nihil apud me statuere possum.

Secundo notas, *pag.* 18. מכרים. Ignorare non poteram Rabbinis significare *excommunicationem*, qui Exercitat. Ecclesiast. *lib.* 2. Qui est de antiqua praxi censurarum in clericos, quas aliquot annis ante Exercitationes Samaritícas edideram, ex Elia Levita docueram, tres esse apud Judæos Excommu-

nicationis species גרוש חרם שמתא sed cum Rabbinis etiam, *expellere*, *removere*, significet, hanc interpretationem alteri prætuli; eo quod non ageretur simpliciter de excommunicatione, sed etiam de ingentis exercitus expulsione, deinde *excommunicare* infert *fugare* & *expellere*, quæ verba excommunicationis effectum paulo clarius exprimunt Denique omnes testimonii periodi de excommunicatione & anathemate diserte loquuntur. Nihil ideo necessarium est, per מגרים eam exprimere, sed excommunicationis effectus fugam & expulsionem.

2. Ais notari debuisse *non vobis & nobis*, *&c.* desumptum esse ex Esdræ. 4. v. 8. lector curiosus potest hoc ex concordantiis eruere, non semper vacat interpretibus hæc inquirere, nec semper ad manum concordantiæ, aut ista suggerit memoria. Tam rigidam ἀκρίβειαν nec curavi, nec curare velim, cum præsertim ad sensus interpretationem nihil faciat.

3. In tertio loco peccasse fateor, sed nulla sensus, licet aliqua perspicuitatis, jactura. Illud enim — וישלח ספרי non autoris, sed scripturæ verba sunt quæ interpretatur. Deinde illud וחשתיקה scribendum erat וחשק וקוח ut est in textu Aben Esdræ. Sed dissertissimè interpretatio mea fert, libros illos omnes fuisse ἀκριβῶς & co-

pias

pias unius illius libri à Mordochæo scripti.

4 Ex *pag.* 80 בבואה male versi *introitum*, significat enim *imaginem* vel potius ibi personam hominis qui se ipsum in speculo videt, ita loqui solemus, unde Virgilius, *non sum adeo informis nuper me in littore vidi* Ideo statim colligit אתה משנה עצמך *mutas te ipsum personam tuam*, &c. Clara hæc sunt ex lectione textus. Significatio umbræ quam illi das textui convenire non potest. Legi Rabbinum quemdam Nephtali Herts dictum, qui voces difficiles Midras Raboth & Megiloth explicavit, interpretatur similiter צל sed argumento textus magis favet *introitus tuus* quàm *umbra tua*. Eodem sensu legitur בוביא in eodem *Midras Raboth* super numer. Parascha 10. versus finem כאותי אתה בוביא שלי בתוך חמים ופחן יצרי

5. Ex *pag.* 265. Librum iterum consuli, omnia se habent ut ea excerpsi hæc verba præcedunt excerpta בחכן כתוב במסרת חד פוס חנון הפוכה וכך רשי ובן כתוב בפירו שהתורה חמזוחס לרבינו שמשון ואנכי וכו ut in libro meo. Cum his verbis habes omnia prorsus quæ autor in hac materia. Fortè דאקי pro תאנים vel potius ראקי eo quod litterarum capita subtilissimis lineolis & spinulis quas תנין vocant coronantur.

6. Ex *pag.* 220. Nonnihil miror te reprehendere quod eo loco verterim נחרוה *subſtitit* & dicere vertendum *generata eſt*. בחרוח חאור ſignificat propriè *facta eſt lux*. Sed immediate dixerat — ויהי אור *& facta eſt lux*, igitur repetendum fuiſſet *& facta eſt lux*. Deinde non feciſſet ſatis hæc interpretatio menti Abarbinelis, qui non modo contendit lucem qualitatem ſine corpore factam, ſed etiam ſine corpore aliquandiu ſubſtitiſſe. Melius igitur per verbum redditur ſignificans aliquam ſtatus conſiſtentiam. Si interpretemur *facta eſt* aut *generata*, vis ſenſus minuitur.

7. Ex. *pag.* 356. Ais apud Cozri נחלוץ החקש ſignificare, *præter rationem*. Patere quæſo ut te quod ſentio non celem: Si *ratio* benè quadrat τῷ *præter* vel *contra* non bene quadrat τῷ החקשות nec etiam textui interpretatio tua. *Sed quid dices cum litera aliqua nonnunquem in libris reperitur contra vel præter rationem.* Neque eſt contra rationem, ut in צדו legat ר pro ד & fæpiſſime ut omnes notant in ejuſmodi literarum ſimilium permutatione, utrumq; textus pati poteſt. Autor iſtius libri præfert צדו per ר Aben Eſdra præfert צדו per ד. utrumque tamen amplectitur, quia neutrum eſt præter vel contra rationem, ut ex ipſo ibidem notavi. Quapropter hæc apud me conſiderans, difficilem

cilem dixi permutationem, quia in ejusmodi difficile judicatu est, quæ littera in dictionibus illis sit præferenda, & existimavi in textum irrepsisse aut abundare ה, atque hic sensus optime textui convenit, in quo pergit autor difficultatem Caraitæ proponere qui traditionem non amplectabatur. Recte equidem interpretaris יוצאמן ההקשה *egredieris ab analogia*, sed, יוצאמן & בחלוף non video qua ratione idem significare dici possint. Deinde illud prius optime textui convenit, in quo agitur de Grammaticationibus heteroclitis, sed quod legatur צרו vel צרו vario est lectio non grammaticatio, in qua semper aliquid regulam non servat. Nihil enim in צרו vel צרו irregulare est.

Nunc tamen textum perpendens facile existimarim ההקשה legendum & secundum litteram esse vocis formativam, & interpretandum, *rationem, opinionem:* ideo בחלוף ההקשה significare *cum permutatione sive varietate rationis*, hoc est, *quid dices cum littera reperitur in libris cum variante ratione*, id est, ubi ratio de utraque lectione reddi potest. Hanc interpretationem confirmare videtur id quod sequitur, si in ejusmodi dominatur ההקשה, *ratio*, id est, si ratio & opinio propria dominatur, &c. Ita interpres intellexit. Verum si oculo amico ista consideres, quidquid ההקשה sig-

nificet, nihil prorsus officit argumento. Probo enim ex Cozri, Judæos asserere variarum lectionum numerum esse innumerum. Postquam Cozri duo exemplo retulit in ארו & נפשי scribit alia esse quæ numerari non possunt. Atque hoc unum volui quod constat, quidquid, de הרקשה dicatur.

8 Ex. *pag.* 345. Miror qua ratione mihi imputes, dixisse Commentatorem Cozri Massoram improbasse, quum de eo ne verbum quidem scripserim, ex eo tantum docui multos antiquos Rabbinos Masoram improbasse. At ut vides non sequitur. Commentator Cozri refert, multos Rabbinos hoc improbasse; ergo & ipse improbat. Referunt Augustinus, Epiphanius, &c. Multos hæreticos divinitatem Christi improbasse, ergo & ipsi Augustinus, Epiphanius, &c. Eam improbant; immo non solum hoc non dixi, sed plane contrarium collegi, *ita deinde Masorethorum diligentia sentiebant Judæi, &c.* At commentator ille nuperus autor est. Idem eodem modo colligit Pater tuus Cap. 20. comment. Masoret. Censor meus ex eodem loco aliud mihi imponebat, Ephodæum Masoram improbasse, sed oculis ira fascinatis, eorum quæ asserui nihil videre potuit.

9. Ex

b. Ex eadem *pag.* De ſenſu contendis libri Cozri eo loco. Ego ſane aſſentiri tibi non poſſum. Longiori ſermone opus eſt quam ſerat epiſtola. Paucis dicam. Duo ſunt controverſiæ noſtræ capita. De ſenſu verborum unum, alterum de autoris mente & ſcopo in hac diſputatione: In utroque, parte verbis meis, toto cælo aberrare mihi videris, ut ego tibi. Quod ad prius attinet, illud בדברי חובה quod interpretatus ſum *in re damnabili*, tu vero *in re debita & honeſta*, pater tuus interpretatur *in re culpabili & inutili*. Sic intellexit commentator Cozri, ut ex adnotatione ad illa verba. במשחיו רבים מוגים עניכם *multi fuerunt ejuſmodi vituperantes opus & induſtriam eorum.* Quod probat ex Ephodæi teſtimonio. His accedit & cenſor meus. Deinde vim afferre mihi videris huic voci וקראה quam interpretatis *videtur ne tibi.* Eſt enim concluſio ex præcedentibus collecta, ideo eſſe non poteſt interrogatio dubitantis, ſed affirmantis & colligentis, *numquid vides, &c.* ut paulo poſt idem autor cap. 35. והראה כאשר אמר לרם חחרש הוה לכם ראש החרשים. Ita etiam eſt interpretatus pater tuus. Obſtat denique ratio totius contextus, eſt enim ſenſus juxta tuam ſententiam, *videtur ne tibi quod opus eorum in hoc vanum fuerit, aut occupatio circa*

rem

rem debitam. At en toto contextu constat Karaitas literæ punctis mordicus inhærere. Quamobrem igitur interrogat Rabbanista Karaitam, an punctatio, &c. sit inutilis, cum non modo utilem & ante & post interrogationem illa Karaita falsus fuerit, sed etiam à Masorethis divinitus adjutis fuisse inscriptam? Unde colligit autor adversus Karaitam, eos omnes qui fatentur legem punctis, &c. ornatam, esse legem Mosis, obligari ad fidem traditionibus habendam. Cozri in Karaitam ibi agens fatetur suos id asserere, sed postquam legem sic perfectam deprehenderunt, opus non esse (abbala sive traditione, sed textui tantum divino esse adhærendum. Postea multis docet autor, etiam positis punctis, propter dictiones ipsas adhuc traditione opus esse, immo traditione magis opus propter verba ipsa, quam propter punctorum inscriptionem & sic Karaitam undequaque urget, & ad traditionis confessionem adigit. Librum habes, ideo verba nihil est necesse describere.

Verum ponamus illa verba esse ut censes intelligenda, nihil sententiæ mea officiunt: sequitur enim autorem Cozri Masoretharum opus utile judicasse quod certe libentissime fateor, & falli plurimum Judæos qui aliter senserunt. Rem distinctius explico. Opus Masorethicum triplex est vel litteras respicit

cit vel puncta & accentus, vel varia alphabeta & dictionum series, vel numerationes. Duo priora, primum præsertim utilissimum fuit. De secundo distingui posset, sed quia accentuum magnus ille numerus ipsorum Musicæ inservit, demus nullum horum esse inutilem, tertii non est eadem ratio. Multa enim continet plane inutilia. Sed eorum maximam partem non composuerunt Masorethæ, neque qui textum biblicum recensuerunt neque qui puncta infixerunt. Demus Judam illum omnia comprobasse. Ex ipsius verbis sequitur evidentissimè, Puncta, &c. per Cabbalam conservata, & tandem Masorethas ea inscripsisse Quæritur an Masorethæ illi, fuerint Rabbini Synagogæ magnæ, an homines longe posteriores. Non intellexisse priores, est manifestum, ex eo quod traditionem ex punctorum infixione probat: si enim in confesso apud eos fuisset, Esdram & socios ejus, puncta & accentus inscripsisse, nullum plane fuisset argumentum, licet enim à Mose ad Esdram traditio punctorum & accentuum ejusmodi continuata fuisset; per Esdram qui Propheta erat, utrique parti ex æquo acceptus, extincta fuisset traditio atque ex בעלי פה facta fuisset illo momento בכתב nullusque fuisset locus argumento Rabbanistæ contra Karaitam. Nihil enim Deus ad scripturæ comple-

plementum, post Esdram traditioni reliquisset. Hæc pro epistolæ modulo diffusè nimis. Propterea cætera paucis.

Petis, quem Karaitarum librum habeam? unicum habeo, qui in legem commentarius est manuscriptus, in folio non admodum magno, tres digitos aut circiter crassum: scribebat An. Chr. 1299. liber inscribitur ספר המבחר autor R. Apharon filius Josephi. Ex eo autore manifestum est, Karaitas omnem scripturam veteris testamenti, non secus ac alii Judæi, amplecti. Solicitos ad modum esse in explicandis Masorethicis & Grammaticis criticis, Talmud & Misnam non admittere ut regulam fidei, verum utilem sæpe ad Scripturæ illustrationem. Eadem est illis plane cum aliis Judæis, quos Rabbanistas vocant controversia de scriptura & traditionibus, quæ est Catholiciscum Lutheranis. Nonnulla excerpam ita in proemio libri, postquam adversarios obiter carpsit.

ספכו על הקבלה וכח יש לפע מים ואמרו
כנגד הכתוב שהקבלה חנצח ואם תהיה
כך לחם בעבור לקוים מה שכתוב בתורה
לא ייכל ענות ואת ואם זה מהם מטלאות
לב סוף דבר כבר סכלות וה ה מאמד כידע.
אני לא אמנע ברובי המצות שלא אזכיר
בתוך הבא׳ר. Addit ista מרברי המשנה
וחפצי בזה להי ותם כדרך ממך או חדוד
לב הקורא או ווכר להות ההבדל בין כאמר
למאמר

למאמר אוימצא כבון או יורה על ענייו שלא דורנש ברבים ואין כל אמרידהם בלי תועלת וה תעודתי לוה העניין ברותי אתדרב המובחר ישיעה שהוביר בספר העדיות טוכשים והשניות וכיוצא בהן ורוב משרילי זלותינו עשו ככה ער שהרב נסיבן נח זצלחייב לבני עמינו ללמוד המשנה והתלמוד. Grammaticos adversariorum nonnunquam citat ut Kimhium & R. Jonam passimque ut sensum venetur, grammatica præcepta solicitat. Angelos esse credunt, resurrectionem mortuorum. Menses ex visione lunæ sanctificant. Pascha primúmque mensem in terra Israelis ex maturitate spicarum pronuntiant: Extra terram Cyclum Rabbanistarum sequuntur. Ridet hoc Gamalielis pronuntiatum, annum intercalari propter tria, propter spicas, tecuphas, & fructus arborum: ridetque adhuc magis quod alii addunt, propter agniculas nondum Paschati satis grandes, pontes effractos, &c. rationem hanc reddit. ויורע כי בהמבא האביב אין אפשר שאין הכל מתוקנים ולמה נוסיף עלהכרי אלהים חיים. licet sequantur Rabbanistarum computum, ridet tamen eorum φαντασίας in ברו *badu* Pascha non celebrari, id est, v. 4; & 6. feria. בח principium esse non posse anni, &c. & demonstrare nititur ex Esdra, Pascha celebratum fuisse in ברו differentiæ sunt aliæ plurimæ,

plurimæ, quantum ex isto libro, tum ex variis Judæorum libris collegi, sed hanc unam præ cæteris considero quæ traditiones in genere spectat, & argumenta quibus Rabbanistæ Karaitas urgent; Judæi autem qui traditiones ut authenticas amplectuntur, seipsos libenter Rabbanistas vocant, ut & alii Karaitas.

Initium Schismatis istius à Judæis assignatur anno Chr. 740. Quidam paulo citius, alii paulo tardius, hoc est annis post Talmudis obsignationem circitur 60. Ex historiis enim & circumstantiis quas omnes referunt, & præsertim qui ad illa tempora proxime accedunt, evidentissimè demonstratur, R. Ase—Talmudis compilationem cœpisse ineunte sexto seculo, & R. Jose aliósque complevisse circa annum Chr. 680. Cum igitur Talmud Babylonicum magna apud Judæos autoritate potiretur passimque cresceret illius autoritas, Juda quidam Lumbedithanæ Schola caput דלכית נדולות composuit. Alii hoc tribuunt R. Keiaræ qui eum præcessit, quas decisiones ex Talmude velut libro authentico decerpserunt. His se opposuerunt Anan & Saul filius ejus & Karcasnæus, viri apud eos celeberrimi, ferre non valentes eandem traditionibus Talmudicis autoritatem, quæ sacræ scripturæ tribui. Hinc in eos cæteri tantum odium

exer-

exercuerunt, quale unquam in ullam nationem aut sectam.

Fateris textum Hebraicum non esse usque quaque sincerum, non vis tamen ex translationibus emendari. Sane nec ego velim, id passim, nedum absolute fieri: multæ sunt cautiones adhibendæ de quibus non semel scripsi: ut in Diatriba mea de textus Hebraici sinceritate cap. 6. & 7. potest & non nunquam emendari debet, versio ex textu archetypo. Hoc solum ex omnibus quæ de hac questione scripsi colligere & colligi volui, non valere hanc consequentiam, textus Hebræus vel Græcus N. Testamenti aliter habet quàm versio, ergo error est in versione, & ad textum Hebræum vel Græcum qualis nunc est emendari debet. Ratio est ex variis lectionibus evidens. Si enim adnotantur in Hæbræo aut Græco textu tot lectionum varietates, quare in data aliqua hypothesi translationis ab originario variantis, non poterit textus originarius esse corruptus sive aliter scriptus quàm autores scripserint. Non sufficit igitur ad corrigendam versionem, solus ab originario dissensus.

Grammaticas R. R. Jonæ & Jehudæ non habemus, nec usquam illos vidi, sicut nec Aben Esdræ שפה ברורה aut ירוד סודא. habemus libros מאגני לשון חקדש & צחות

Ephodæi

Ephodæi Grammaticam similiter non habemus, sed habemus, alios plurimos. Liber שתי ידות est in quarto, semel complicatus, crassitiei duorum digitorum, aut paulo minus, sed charactere exili, Venetiis anno 1618. Cusus. In duas partes divisus est ידחעני וידהמלך & unaquæque pars sive manus continet quinque digitos 8. Libros. Primo digito nomen fecit אור תור שתוא חגהה חתורה hoc autem fecit magna cum diligentia. Secundæ enim editionis Bambergianæ voces omnes, litteras, accentus, puncta consideravit, & cum decem antiquis manuscriptis, quorum nonnulli erant 500. aut 600. annorum & libris Masorethicis manuscriptis & nonnullis aliis comparavit. Secundo libro nomen fecit מעריך additio est ערוך לר״ד. Plerique jam editi sunt, sed correxit & adnotationibus illustravit, materiamque à prioribus diversissimam tractavit.

Existimas etiam Levitam, Judæorum omnium solum in ea fuisse sententia, at ego censeo quantum legendo colligere potui, omnes Judæos qui duobus aut tribus sæculis post annum Christi millesimum, aut aliquid supra vixerunt, in eadem cum Elia fuisse sententia. Ante quidem cùm nulli essent Grammatici, de punctis minus frequens erat apud eos quæstio. Forsan abhinc annos

annos ducentos aut trecentos aliqui cœperunt in animum suum inducere, punctationem esse à Mose aut a Synagoga magna inscriptam. Imo miror plurimum qua ratione scribere potuisti, Eliam solum in ea esse sententia, cum scias Ephodæum testari se multos sapientes vidisse qui Masorethicum illud opus traduxerint. Idem testatur R. Jacob instaurator Massoræ in præfatione sua non longe ab initio, multos esse sapientum etiam qui nunc vivunt quorum eadem est sententia. Hoc etiam testatur Elias Levita, & author antiqui Libri Grammatici qui inscribitur à primis verbis— מתח דברי in proemio, cum à Masorethis punctatio emanaverit, sane qui de eorum opere ita detrahebant, eorum punctationem à viris Synagogæ magnæ factam esse non crediderunt. Idem colligitur ex Aben Esdra. & Kimhio, qui licet Masorethas non rideant & traducant, ut alii, aliquando tamen non adhærent punctationi Masorethicæ, & nonnunquam citant antiquissimos Grammaticos & interpretes, punctationem & distinctiones Masorethicas modo deferentes, modo satis acriter reprehendentes R. Jonam & Judam & Mosen Hacohen qui annis centum & ultra priores erant R. Aben Esdra atque etiam R. Jachid Gheonem qui omnes illos ut dignitate ita tempore antecedebat. Certissimum

hoc argumentum est Judæos omnes tum temporis existimasse, Masorethas Rabbinos fuisse recentiores, à quorum sententia non secus ac ab aliis discedere liceret, atque ideo multi eorum operam plurimi faciebant, alii secus, nullus tamen eorum traditiones sicut Talmudicas amplectebatur. Considera quo odio Judæi Karaitas prosequuntur eo quod licet magni Talmudica existiment, ut oracula tamen non amplectantur. Si Judæi antiqui Masoretharum opus à Synagoga magna credidissent esse perfectum, ei vel tantillum contradicentes cane pejus & angue odissent. Habes alterum hujus rei testimonium apud Aben Esdram initio libri — מאוניים ex quo αὐτομάτως nullasque per ambages id colligitur. Enumerat ordine Judæorum sapientes, primum eos qui viros Synagogæ magnæ præcesserunt, deinde viros Synagogæ magnæ quibus tribuit accentuum & versuum & Parascharum inventionem & ordinem. Post hos R. Jehadam & socios authores Mischnæ, post hos Talmudicos doctores, quos, inquit secuti sunt Masorethæ, hosque Grammatici quorum unus, inquit, ego sum, & sedecim Grammaticos qui eum præcesserunt enumerat. Aliter quàm ut dictum est de Masorethis sentire non poterant, antiqui illi Grammatici, cum Masoretharum ætati proximi

ximi essent. Cùm enim Talmud ante annum 700 vulgari apud Judæos non potuerit, certe primi Masorethæ, qui literas & dictiones sacras recensuerunt, vix annum à Christo octingentesimum antecedere potuerunt.

Sane in ea sum sententia, punctorum & accentuum nomina & figuras, posteriores Masorethas inveniſſe & textui adscripsisse, forsan etiam & versuum distinctiones, quia invicta mihi videntur argumenta quibus hæc multi probant, nec dissolvi posse, hactenus existimavi. Scribis te contrariam sententiam susceppisse probandam. Utinam hoc præstes. Si res ita est vincat veritas, unicuique ut appareat enitendum est. Plurimum in hoc opere desudavit Pater tuus, sed pace tua dicam, multa eruditè ex variis Judæorum doctoribus collegit, nullum tamen argumentum protulit, quod mihi videatur rem illam vel leviter probare. Quid addideris legam avidissime. Res uno verbo confici potest. Demonstretur ex Talmude vel alio antiquo libro, locus in quo nominentur accentus, puncta, tum facile fatebor ante Talmud & illos libros ea fuisse. Unde quæso factum est ut in tanta librorum multitudine ne semel quidem ea nominarunt, aut cujus figuræ vel unus esset meminerunt? Quod enim versuum & accentuum mentio-

nem aliquando faciant, nihil ad rem, cum legendo & loquendo periodos distinguere & accentus pronuntiare naturale sit. Sinæ, legendo & periodos distinguunt & accentus pronuntiant cum nihil horum habeant. Antiquissimi & pulcherrimi codices Græci, literis uncialibus descripti, accentibus destituti sunt, & vocum distinctionibus, nedum periodorum: unaquæque linea est velut una dictio. Sic & antiquissimi & splendidissimi codices latini. Qui tamen ea legebant atque etiamnum legunt & periodos distinguunt & accentus pronuntiant. Imo quæ natio, si Græcos excipias, nunc accentus scribit? Quæ tamen natio illos non pronuntiat? si versus inscripti erant qua fronte Rab. Joseph in Talmude Tract. Kidusdum, c. 1. f. 30. interrogat ad quem versum pertineat dictio, דיתולח ad antecedentem aut subsequentem? Qua fronte respondeat Abajeos non esse in versibus numerandis exercitatos? Quid enim erat facilius codice sumpto inspicere notam Pausæ. Nec difficile erat etiam puellis versus numerare, ad dijudicandum, an ad priorem mediam partem, an ad posteriorem versus ille pertineret. Nondum igitur inscripti erant versus textui. Deinde versus longe breviores distinguebant quam postea Masorethæ.

Tal-

Talmudici enim loco citato in lege numerant versus 8888 Masorethæ 5245. in Psalmis Talmudici 8896. Masorethæ 2527. Sic & antiqui Christiani brevissimos si cum hodiernis compares. Sed ista peculiarem meditationem postulant. Librum Zohar nihili facio. Recens enim est à quodam Leone Judæo, ante trecentos paulo minus annos confictus & evulgatus. Hujus libri ante hoc tempus, Judæorum nemo meminit, atque ego in eum inquirens, plurima novitatis, certissima argumenta deprehendi. Verum his omnibus dimissis, quatuor argumentorum genera præter illa quæ jam allata sunt ibi proponam, quorum vim & consequentiam maxime velim consideres, antequam solutionem eorum aggrediaris. Magna enim contendentium pars rimam potius quàm elabatur, attendit, quàm intimam objecti cognitionem & complexionis necessitatem. Primum desumptum est, ex variis Talmudis & Midraschim locis, in quibus quæstio est de varia lectione iisdem manentibus literis. Exempli causa Beth Israel f. 158. c. 3. ex Tract. זר ר עבוד vide misna & Ghemar. f. 29. p. 2. c. 2. n. 3. אמר לו ישמעאל אחי היאך אתה קורא יטובים דריך מיין אמר לאאין הדכרכן שהרי חביבו מוביח עליולריח שסניך טובים כיטובים דריך מיין. Duplex inde & evidens argu-

mentum colligitur. Prius si tum fuissent puncta non fuisset locus huic interrogationi. Nam certum fuisset legendum esse ut Moses vel Esdras punctaverant, & inspicienda tantum punctatio. Et ibi agunt Rabb. de re maxime seria, non autem de quæstione animi causa proposita. Immo ridicula interrogatio, id exemplo solis luce splendidius erit. Siquis te interrogaret, quomodo legis *caput*, inepta interrogatio, lego *caput caput*. Nec aliquis qui literas latinas novit aliter legere potest. Verum si scribas *caput*, tum erit justa & necessaria interrogatio, quomodo legis *caput*. Legi enim potest ex æquo capit, cæpit, cupit, caput. Ex circumstantiis textus aut ex traditione, aut ex utroque definienda est lectio. Eodem plane modo si ponas inscripta puncta וכר stulta est interrogatio, nisi forte fieret infantulo quomodo legis. Nam וכר legi non potest aliter quàm וכר Itaque necessario hic modus loquendi supponit lectionem ambiguam, ut *caput* | וכר דריך cui directè contradicit punctatio. Si dicat quis; Tum non erat punctatus in manibus. Facilè à tantis Rabbinis accersiri poterat, præsertim cùm de re ageretur maximè seria, sed nusquam legas consulendum librum punctatum, qui statim & unico conspectu litem diremisset. R. Jacob

author

autor libri citati fatetur ex sua & alterius R. sententia, puncta tum non fuisse adscripta, atque ideo Akibam legendo errasse, idque probat autoritate jam ex tractatu Bavabathra allegata. Concesso tamen libros eorum esse punctatos, responderi posset varietatem fuisse in punctis, ideo varie illis locis lectum fuisse, ut varietas, inquit, hodie est in dictionibus inter Orientalium libros & Occidentalium. Huic argumento nihil aliud cum aliqua probabilitatis specie responderi potest. Verum nusquam punctorum variationem causantur, aut ejus in tanta necessitate mentionem faciunt. Deinde omnibus illis locis, qui permulti referri possunt, nulla est à punctatoribus adnotata varietas. Insuper cùm in literarum vel dictionum varietate dicant *ne legas sic, sed sic* apponunt litteras varias. Ita profecto de punctis, si illa fuissent apud eos puncta. Præterea in exemplo Joab & Davidis locum non habet varia punctorum lectio, eo quod in re tanti momenti liber Mosis consuli poterat. Imo liber Davidis, quia rex erat, ex ipso Mosis αὐτογράφου erat exscriptus. Denique ille interpretandi modus in illis tredecim Rabbinicis continetur. Si fuisset varia tum lectio, nulla fuisset Joabo occidendi præceptoris causa, neque Davidi reprehendendi

Joabi, quia alterutra potuiſſet eligi. Quin imò eo caſu præceptoris lectio, Davidicæ fuiſſet præferenda, eo quod humanior. Sed qua ratione variæ jam potuiſſent eſſe lectiones celebres, cùm liber Moſis extaret, cujus inſpectu, nullo negotio lectio varians expungi potuiſſet. Poſterius inde deſumptum argumentum maxime urget, & me maxime afficit, velimque illud nulla cum animi περιλύπη perpendas ideo textum exſcripſi, inter דויך & וכר דויך & וכר non habent Judæi qua ratione diſtinguant; loquendo nulla eſt difficultas, nam pronunciatur וכר *Zakar* maſculus, & וכר *Zeker* memoria, & ſic de cæteris. Verum cum ab iis ſcribitur, nulla tum præſto fuit ratio, qua unum ab altero diſtinguerent. Quomodo legis, ego lego inquit, וכר alius, ego vero וכר, ſi punctorum nomina aut figuræ aliquæ illis fuiſſent, procul omni dubio, ſcribentes expreſſiſſent, lego וכר cum duplici Kamets, ego vero cum ſex punctis aut duplici Sægol. Nec ſemel hoc ipſis contigit, ſed innumeris locis. Eadem enim eſt ratio quoties de vocalibus agitur, iſtorum apud eos frequentium dictorum, *ne legas ſic ſed ſic*, ne legas שם ſed שם. ſicut & illius *eſt mater Maſora, eſt mater lectionis.* v.g. tractatu Kiduſchim f. 18. p. 2. fine & verſamitio diſputant an filia à Patre vendita,

poſt

pòstliminio revertens à Patre iterum vendi posſit. Alii affirmant, alii negant, & rationes exponunt, nituntur autem varia punctatione בבודו; alii volunt legi בבודו alii בבוהו *eo quod perfide egit.* Ter aut quater paucis verbis repetunt dictionem בבודו alii volunt legi בבודו alii contendunt legi בבזדו. Neceſſe omnino erat tum, aut figuras punctorum, aut nomina ſaltem exprimere, ut unum ab altero ſcribendo diſtinguerent. Id illuſtratur ex locis in quibus ſub eadem formula de dictionibus diſputant; ne legas מח ſed מאח eſt enim manifeſta diſtinctio unius ab altero, nec eſt neceſſaria punctorum inſcriptio, ſatis enim diſtinguit litterarum varietas expreſſa. Sed quid hoc ſibi vult, ne legas וכר ſed וכר. Ne legas בודו ſed בודו hoc illuſtrandum exemplo ſuperiore *capus*, &c. Confirmat hoc quod aliquando vocales matres lectionis addunt ut hæc diſtinguant. v. g. Sanhedrim f. 4. ubi diſputantes de immunditie puerperæ an duabus ſeptimanis an. 70. diebus eo quod ſcriptum ſit שבעי quod proprio 70 ſignificat, qui contendunt duas ſeptimanas ſcribunt שבועיים ut exprimant pronuntiationem שבעים ſi punctorum uſum habuiſſent num melius faciliuſque erat, textu ſcripturæ immutato, puncta addere quàm litteras. Non quæritur an ſcirent legere, ſciebant

equidem

equidem, sed de expressione varietatis lectionis quæ punctorum figuris, aut nominibus adeo perspicuè fieri poterat ab illis, nunquam tamen in tanta necessitate & disputantium contentione, facta legitur. Demus illud de Joab fabulam esse, id non quæritur, quisque id facile credit. In expressione ab iis facta דבר ויבר quid erat proclivius quam punctorum mentionem facere? Deinde qui fieri potest, ut in rebus tanti momenti, de quibus tam sæpe agitur ad textum punctatum, si erat aliquis, non recurrerint qui uno verbo litem dirimere poterat? Imo posito textu nulla poterat lis esse. Quæritur an mulier puerpera immunda sit 14. aut 70. Diebus, nulla quæstio est si textus aliquis est authenticè punctatus. Nam disertè Scriptura dicit duabus septimanis שבעים. Pone textum non punctatum שבעים. Tum gravissima quæstio, nam & 70. dies & duæ septimanæ intelligi possunt. Sic & de בזוז & aliis pluribus. Huc referri debet invictum meo judicio ex S. Hieronymo argumentum in Hierem. cap. 9. v. 22. *Verbum Hebraicum quod tribus literis scribitur* דבר, *vocales enim in medio non habet, pro consequentia & legentis arbitrio, si legatur dabar, sermonem significat, si deber, mortem, si daber loquere. Unde & 70. & Theodotio junxerunt illud præterito capitulo,*

ut

ut dicerent, disperdent parvulos de foris, juvenes de plateis morte. Aquila vero & Symmachus transtulerunt λάλησον *id est loquere.* Si puncta fuissent inscripta ita ne potuisset loqui S. Hieronymus דבר pro consequentis & legentis arbitrio potest legi דֵּבֶר aut דֹּבֵר. Dicet aliquis codex S. Hieronymi non erat punctatus, sed si aliqui codices fuerunt punctati, quare aliquem non sibi comparavit Hieronymus qui tantum opus aggrediebatur, Hieronymus qui potentissimarum Matronarum opibus sustentabatur, qui varias regiones adibat ut cum doctissimis Judæis conferret, &c. Quid dicam de Ecclesia Christiana quæ eo tempore multos adhuc amplectebatur Judæos conversos, ipsum S. Epiphanium Hieronymi amicissimum. Nec semel ita philosophatus est sed sæpissimé. Viginti duo loca adnotavimus in Exercitat. Biblicis, *lib.* 1. Exercit. 6. *c.* 2. & argumenta hinc adversus puncta collegimus, ideo hæc satis. Considerandum præterea S. Hieronymum dicere דבר vocales in medio non habere. Non agnoscit S. Hieronymus alias vocales Hebræorum quàm אהוית quas multis locis vocales appellat, si scriberetur דאבאר juxta Hieronymum vocales haberet in medio ut יהוה נואב nec alias vocales agnovit Josephus cùm dixit nomen Dei constare ex quatuor vocalibus.

Si

Si apiculi infra supraque litteras positi, illi cogniti fuissent, cum lectionem definiant, quare toties de lectione dubitans & differens modo ad unius modo ad alterius testem 70. Aquilam, Symmachum, Theodotionem, nunquam ad ista puncta in tanta rei necessitate confugit. Denique litteræ punctatæ desuper Hieronymum non latuerunt. Vulgo 15. numerant Tractatus, Sophrim decem tantum. Ut opinor, illius quæ habetur, Genes. 19. meminit Hieronymus quæst. in Genesim. Antiqui Judæi nonnunquam in defectivis & plenis dictionibus mysteria quærunt. Sic Hieronymus in cap. 23. Genes. v. 16. moraliter interpretatur quod Ephron initio versus plenè legatur עפרון & postea defectivè, *Vau littera quæ apud illas pro O legitur, ablata de ejus nomine est, & pro Ephron appellatus est Ephran.* Mysteria in hoc quærit Beresith Rabba Paraſch 58. Ut recentiores omittam. Bahal Hatturim notat עפרן & עיורץ Ghematricè componere numerum 400. quot ab Abraham acceperat ſicles. Quî factum est ut punctorum vocalium, licet perpetua illi daretur occasio, immo necessitas, nunquam meminerit Hieronymus?

Secundum argumentum ex libro Sophrim, qui post publicatum Talmud compositus est, hoc est intra annum Christi 700 & 800.

Quique

Quique Talmudis honorificè meminit totus est in docendo modo scribendi, hæc omnia minutè & scrupulosè admodum. Quo in pergameno, quomodo præparato, ex quibus bestiis confecto, à quibus scribi, quod spatium inter litteras, quot litteræ in linea, quot lineæ in pagina. Quæ malè scripta eradi possunt, quæ non eradi sine libri profanatione, quæ dictiones dividi, quæ non dividi, quæ super punctari, quæ scribi & non legi, & contrà quæ aliter scribi & aliter legi, & è contra, quæ litteræ scribi debeant majores, & minores, extensiores, & alia permulta quæ enarrare longum sit, & importunum. At de punctis nusquam apud eum mentio. Quomodo factum est ut in tam copioso de his rebus sermone, punctorum nusquam meminerit, nisi quod ea Judæis nondum ad juvandam lectionem erant invecta.

Tertium argumentum ex Masoretharum distinctione sumitur. Duplices fuere, priores textum recensuerunt; posteriores puncta infixerunt. Priores autorem sive autores libri Sophirim secuti sunt, quod certissimis argumentis demonstratur. Autor libri Sophrim & Masorethæ in eadem materia versati sunt. Adnotaverunt utrique קרי וכתיב, varias Judæorum lectiones. Sed si utrorumque traditiones comparentur,

tur, quintuplo aut ſextuplo plures adnotaverunt Maſorethæ, quàm tractatus ille, & multitudo illa ingens prætermiſſa, non eſt minoris momenti, quàm commemorata. Autor igitur tractatus illius ignoravit, quod fieri non potuiſſet ſi Maſorethæ viri tantæ autoritatis & omnibus Judæis noti cum præceſſiſſent, & multo minus ſi Maſorethæ fuiſſent Eſdræ collegæ; deinde certiſſimum eſt in ejuſmodi cauſa, poſteriores prioribus ſemper addere, quædam etiam corrigere, quod etiam fecerunt Maſorethæ, cum quædam à tractatu Sophrim adnotata omiſerunt, quia ſcilicet libros diligenter conſulendo, ipſius obſervationem nutare deprehenderunt. Præterea nihil ille tractatus de ſcribenda in margine vera lectione, & alia in textu vel è contra. Nihil in eo de diſtinctione ſcriptionis marginalis & textualis, quæ apud Maſorethas adeo celebris eſt, & totius eorum laboris effectus. Denique quamobrem nuſquam citat Maſorethas אנשי המסר vel בעלי ut toties qui eos ſecuti ſunt. Præceſſit igitur Maſorethas autor ſive autores iſtius tractatus, ſic nec unquam Talmud Maſorethas citat, iſtud autores Maſoræ vel Maſorethæ, eſt omnibus illis cognitum, Nam hoc axioma ישאם למקרא ישאם למסרת nihil ad rem prorſus facit quum Maſora ibi ſignificet traditi-

tionem, non homines aliquos, & in illo apud Talmudicos frequenti axiomate, mihi aliud significat quam textum legis à Mose Israëlitis traditum, ut Talmudis glossatores interpretantur. Unde manifestum est Talmudicos constanter censuisse, lectionem à Mose scripto non esse traditam, quum id quod scriptum est à Mose, per traditionem à lectione distinguant. Ita quod refertur Meghill. c. 1. f. 3. Nec unquam Talmudici Masoræ contradicunt. Contradictio illa in Talmude nunquam legitur sed est in Scripturis recentiorum, Masoram cum Talmude comparantium. Sic dici possunt 70 Interpretes, Hieronymus, Aquila, Symmachus, Onkelos, & Talmudi & Masoræ contradicere. Priores Masorethas textum tantum recensuisse, hoc est קרי וכתי plenas, deficientes, & abundantes dictiones, & ejusmodi quæ litteras spectant, adnotasse, autor est Elias Levita in tertia præfatione, sed non tam ipsum considero, quàm rationem certissimam ab eo allatam. Masorethæ illi erant Occidentales, Judaico more, hoc est in Judæa, & cis Euphraten habitantes, postquam recensionem suam in lucem emiserunt, codicesque a se correctos publicarunt, Orientales sive Babilonii in eorum operam inquisiverunt, atque ducentis & aliquot locis ab iis dissenserunt, suosque

que codices cum Masoretharum in iis locis correctione similiter publicarunt. Sed nullæ eorum differentiæ puncta spectant & accentus, sed litteras tantùm & dictiones, ut notavit Elias, & singula examinanti notum est. Manifestum est igitur, Masorethas illos qui textum recensuerunt, & varias lectiones ad marginem adnotarunt, de punctis non cogitasse. Si enim biblia punctassent, num Babylonii qui tot differentias in rebus multo majoris momenti adnotaverunt, nullas in punctis adnotassent? Si quæratur æra temporis istorum Masoretharum, ex dictis constat, annum Christi octingentesimum præcedere non potuisse.

Posteriores Masorethæ, cùm viderent libros à præcedentibus castigatos, & varias lectiones seu castigationes margini adscriptas, linguamque Chaldaicam & Syriacam quæ ipsis vernacula erat, Arabum dominatione deficere, & in Arabicam mutari, lectionemque biblicam corrumpi, puncta invenerunt, quibus pronuntiatio efformaretur, & quasi pingeretur. Arabum exemplo existimo commotos, qui cum religione sua varias gentes infeciſſent Alcoranum punctaverunt, ut barbaros religionis suæ amantes sed linguæ ignaros in lectione juvarent. Hoc autem & antiquorum autoritate, & evidentibus rationibus demonstrare possum.

Tibe-

Tiberienſes fuiſſe iſtos Maſorethas, aſſerunt antiqui Grammatici, h: jus rei optimus teſtis Aben Eſdra, qui librum compoſiturus מאזנים tot evolvit qui eum præceſſerunt Grammaticos. Ita in libro צחות capite de Patach minore ſive Segol rationem redditurus punctationis inſolentis בן מוהג הכמי טבריא וחם העקר ביטדם היו אנשי המסרת ואנחנו מדם קבלו הטנקד ויכתטק לו רנחם העקר בי טדם אילי עאי קשלא יחשוב ארם בי שנח clarius id docere non potuit Aben Eſ:ra; à Tiberienſibus igitur omnis punctatio. Tiberienſes autem illi numero erant quindecim præcipui, qui libros ſacros non modo recenſuerunt, ſecundùm dictiones, & literas, ut priores, ſed etiam nequis in illis legendis erraret, puncta invenerunt & textui inſcripſerunt, ut lectio quæ hactenus fuerat πατροπαράδοτος, ſcripto conſervaretur; deinde libros illos publicè expoſuerunt, ut Judæi libros ſuos ad eorum formam ſcriberent & corrigerent; cùm autem viderent paucos homines eorum opera uti poſſe, eo quòd pauci Judæi Paleſtinam ſeſe conferre poſſent, eorum libros inſpecturi & cum ſuis comparaturi, aliud opus ingens aggreſſi ſunt, libros ſcilicet continentes; hæc dictio toties cum Patach, his ſcilicet locis quæ per initia verſuum deſignarunt; toties cum Ségol, &c.

toties reperitur in Scriptura cum hac voce conjuncta, &c. hi libri dicti sunt Masoretici atque ab eo tempore Masora sumi cœpit pro libro ista complectente, quod ante fuerat inauditum; existimarem tamen priores Masorethas libellos aliquos ejusmodi ad dictiones & litteras spectantes in Judæorum gratiam composuisse; quos posteriores, multis observationibus non modo circa puncta & accentus, sed etiam circa literas & dictiones auxerunt. Scribæ Judæi hanc Masoram ad Margines Bibliorum transferre, conati sunt, sed abruptè & confusè admodum, ut videre est in Bibliis Manuscriptis; & notarunt Elias Levita, & R. Jacob Chaiim. Biblia ab ipsis Tiberiensibus quindecim correcta, vidit, evolvit & consideravit Aben Esdra ut testatur in 25. *v.* 31. Exodi, de quibus juraverant se ter consideràsse omnem punct. & defic. & plenas dictiones; non sequitur autem punctationem inscriptam fuisse *v. g.* Nunc Misna cuditur Amsterodami cum punctis; quod antea factum non est. Si diceret quis, punctatores illi ter consideraverunt omnem punctationem, non sequitur, ergo Misna antea fuit punctata; tandem ascenditur ad aliquod principium quo non datur superius, ut, pro Bibliis Tiberienses, pro Misna Amsterodamenses; sequitur quidem, ergo antea punctatio,

tio, sive pronuntiatio & lectio fuit, sed non inscriptio, quæ tum cœpit. Masorethici autem libri etiamnum extant, ut nihil de Mas. excusa loquamur, ut tuipse optimè nôsti. His Masorethārum libris posteriores multas addiderunt observationes, & Alphabeta, & paria, & varias dictionum similium & dissimilium, sive literas, sive puncta, sive accentus, sive sensum spectes, series & ordines; περιεργίαι enim tam variæ in sacram Scripturam excogitatæ & tam accuratè enumeratæ uno sæculo perfici non potuerunt. Masorethas fuisse Tiberienses illos jam ex libro טאנגאי probatum evidentissimè: sic eos vocare solent antiquissimi Grammatici. Aben Esdra in libro צחרת non longè ab initio, ubi agit de pronunciatione literæ מ eos testes citans vocat אנשטכריא, & alibi non semel verba Judæ Chiug primi Grammatici refert quibus eos Judas appellat אישיטבר יקראושאהמת נועץ וכו ubi multa specialia refert Masorethis consueta, quæ tamen alii non sequuntur, & in libro מאזנל capite הנקראים peculiarem affert ex R. Juda lectionem, quam confirmat Judas hoc modo ואמרו כיכן אנשישיטבר יא eos Aben Esdra & antiquissimi Grammatici sic vocant, & de iis tanquam de hominibus non adeo antiquis verba faciunt. Ideo sæpius Masorethārum sententiam & punctationem

tionem audent rejicere, ut ipse Aben Esdra qui eos magnifacit, in libro צחדת cap. אמר בעל המטרת כי והנחו חטר אלף והם שתי מלות. המורכבים ולפידעתי שאן צרידרק חהא כומף על הנו בידך זכו. addit suæ sententiæ contra Masorethas rationem. Eodem libro in littera ה iterum negat Aleph deficere. אעפ שאנשי המטר אמרו שהוא חמר, objicit sibi quomodo mendacii arguat Masorethas; deinde emollit dictum, rectè ex traditione quam habebant scripsisse יהנהי & dixisse tantum רדדטבדא quod deficiat. Verum in margine adnotarunt יהבההוא quod est potissimum & legendum; hoc modo liceret omnia Marginalia quæ sunt τὰ κύρια & legenda, ad opinionem revocare. Quidquid sit in duobus à Masorethicis prudens volensque dissentit, quod Aleph deficiat, & quod sint duæ dictiones. Et in litera Vau, durius arguit, *& ratio Masorethanum non est ratio*; & in Nehemiam *c.* 2. 15. ad הבישרוצי scribit unicam esse dictionem, Masorethas verò divisisse ut significarent effractionem murorum Hierusalem; nihilominus ait הדאשון בעיני נכק והרדך in fine libri dicit multos explanatores seu commentatores erroris arguere Paufatorem, Inter quos Moses Hacohen, & Jachid quem alibi Gheonem vocat, qui decem versus male distinctos esse con-

contendebat. Non sane credebant viri illi apud eos maximi, Esdram versuum & Pausarum autorem fuisse. Iis equidem non assentitur Aben Esdra, immo miratur admodum quod hoc faciant, quia si non est inquit Esdras vir tantus est quantus post ipsum non alius fuit. Existimavit Aben Esdra Pausatorem esse Tiberiensibus antiquiorem; ex ea Judæorum de Masorethis sententia factum est, ut Rabbini celebres in variis provinciis, libros diligenter pro genio corrigerent; id præstitit R. Ben Aser, quem Moses Bar Maimon Masorethis prætulit, & ad quem relictis Masorethis, librum tuum correxit, ut ipse testatur cap. 8. de libro legis; hac in causa Mosis verba sunt decretoria. ולפי שראיתי שיבוש גדול בכל המפרם שראיתי בדברי אלו ובן בעלי המטרת שבותבי ומחברין להודיע הבתו חות והכתומות נחלקו בדבריהם אילו במחלו קית המפרים שטמכין צלוהן.

Vides in his quæ sunt apud eos maximi momenti in quo si error committatur prophanus est, donec solium illud avellatur, omnes libros quos vidit Moses, fuisse multùm confusos. 2. Masorethas de hac re libros composuisse. 3. Magnam esse apud Masorethas de hac re litem & varietatem propter librorum quos secuti sunt differentiam; denique quod statim sequitur, libros illos de-

seruisse, & secutum in his Paraschis scribendis, & aliis librum R. Aser accuratissimè multis vicibus ab eo correctum, Hierosolymis, à multis annis, ut inde libri corrigerentur expositum; & inquit, נעלי למכתי במגי התורה שכתבתי כהלכתו alius erat Hierosolymis, vel forte idem liber Hierosolymitanus quem antiquissimus Grammaticus R. Jonas sequebatur, ut de eo testantur Kimhi & Elias Levita. Erat in Hispania celeberrimus dictus Hillelianus, de quo Elias. Et habemus hic antiqua Manuscripta Biblia quædam, quadringentorum annorum in quibus ad marginem sæpe citatur; alis in locis alii fuerunt; testatur Kimhi in proemio in radices, magnam se inveniisse confusionem in punctationibus librorum regionis in qua vivebat; eam autem in Dictionario suo & Grammatica correxisse, ope librorum correctorum ex Hispania adductorum, atque in hoc nationi suæ magnum operæ pretium feciisse. In Europa autem libri Hispanici primas tulerunt, ut testatur Elias Levita in fractorum tabulis, & ita quoque censet R. Menahem, הם המוצהים והנאסבים שראוי למסיר עליהם quod autoritate duorum antiquorum Rabbinorum confirmat, R. Abraham Ben Dir & R. Mosis Bar Nachman; præ cæteris celebres fuerunt in punctatione, Ben Aser & Ben Nephtali, hic orien-

orientalis, iste occidentalis; sicut igitur post priores Masorethas, Babylonii eorum opus recensuerunt, & varias differentias adnotarunt; ita postquàm alii Masorethæ puncta inscripserunt Babylonii punctationem istam examinaverunt, atque in nonnullis ab ea discesserunt. Verum Ben Aser pro Masorethis stans in nonnullis R. Nephtali Babiloniorum capiti non cessit, hincque orta est celeberrima apud Judæos de certis punctationibus differentia; hæc tantum commemoravi ut appareat priores Masorethas, quorum recensitionem habemus, nihil de punctis cogitasse, alioquin ut postea factum, & rectè adnotavit Elias, aliquid in eorum punctatione reprehendissent Babylonii, cum textum ab iis emendatum lustrarunt; ab eo tempore Judæorum libri, punctorum meditationibus, & disquisitionibus pleni fuerunt; antea æternum de illis silentium; hinc sicut in primis Masorethis contigit, ut textu ab iis lustrato Babylonii in multis literis & dictionibus ab iis dissentirent, ita postquam Tiberienses, atque hos secutus Aser, puncta inscripserunt, eorum punctationem lustrantes Babylonii, ab iis quoque in nonnullis discesserunt, factaque est apud eos dissensio sub nominibus Aser & Nephtali.

Si quis roget quando vixerunt illi Tiberienſes; præciſum tempus aſſignare difficile eſt; certum tamen eſt, annum Chriſti nongenteſimum, aut ſubſecutos eſſe, aut non multum anteceſſiſſe. Ghedalias ait R. Aſer vixiſſe ea generatione quæ computatur ab anno Mundi 4700. ad 4800. hoc eſt ab anno Chriſti 940. ad 1040. Tiberienſibus autem proximus fuit: id etiam conſonat Aben Eſdræ, qui biblia ab iis recenſita legit & conſuluit. Erat autem Aben Eſdra Romæ anno 1146. itaque Maſorethis illis poſterior fuit annis 220. & forſitan aliquid excurrebat.

Quarto denique idem demonſtratur ex ſtudio Grammaticali ante illud tempus Judæis incognito. Aben Eſdra, Abraham Levita, Kimhi, Elias Levita, Ghedalias, uno ore aiunt, R. Judam Chiug, Arabem è civitate Feſſana oriundum primum eſſe Grammaticum, quem poſtea permulti quos enumerant ſecuti ſunt, Judam autem referunt eorum Hiſtoriæ juxta annum Chriſti Milleſimum; quod ſane argumentum eſt evidentiſſimum ante tempus à nobis adnotatum puncta non fuiſſe ſcripta; nam ſine punctis ſcribi non poteſt Grammatica, ut recte adnotavit Elias & res per ſe clara eſt; experiatur enim quis, exempli cauſa, conjugationem Kal ſine punctis deſcribere, & ſtatim

illi

illi aqua hærebit; multo magis in Piel. Grammaticalia enim illa sine punctis, ore tantum & sono exprimi & doceri possunt; atque hinc est quod statim post inscripta puncta Grammaticorum examen ebullierit. Aben Esdra qui post primam Grammaticam annis ad summmm 140. scribebat, sedecim ante se enumerat qui plurimos libros de Grammatica scripserant.

His multa conjungi possunt, punctorum & accentuum nomina Chaldaica esse, nonnulla barbara prorsus quorum nescitur Etymon, quia neque Hebraicum, neque Chaldaicum, quæque ut testatur R. Elias *c.* 2. de accentibus, deprompta sunt, ex dialecto Thargum Hierosolymitani, quorum originationem divinare nunquam potuit: hinc manifestum est Masorethas illos, isto Thargum non esse priores, & consequenter Arabica dominatione; secundo Tiberienses paucis punctis nomina dederunt; apud eos reperitur tantum Kamets & Patach, nam Schirik, Cholem, Schurek, Kibuts per ipsas vocales exprimunt, א, אי, או, אוּ, Grammatici postea invenerunt iis nomina, nec in iis sunt concordes, ut videre potes in tertia præfatione Eliæ, *pag.* 24. ex quibus manifestum est, hanc artem ab illis Masorethis initium sumpsisse, atque ut in cæteris artibus moris est temporis lapsu perfectam;

ctam; omnes autem & priores & posteriores, qui sive in punctatione sive in litteris & dictionibus variè numerandis & comparandis operam navarunt, Masorethatum nomen tulerunt. 3. Idem testatur mos ille constans Judæorum & Karaitarum, non modo librum legis Synagogicum, sed etiam Mezuzot & Tephilim sine ullis punctis scribendi; unde manifestum est eos, Masorethicam punctorum & accentuum inscriptionem hactenus privatim tantum amplexos esse, atque in gratiam ignaræ plebis, ut in lectione juvaretur, publicè tamen nunquam esse admissam. 4. Omnes Judæi Karaitæ quoque, licet traditionum & cabbalæ sint hostes, credunt ut certissimam traditionem, librum legis quem Moses Israelitis tradidit, sine punctis & accentibus fuisse; ita Moses Bar Nachman in proemio legis, Elias Levita in 3 præfat. & apud Cozri, *l.* 3. *c.* 29. & 30. Rabbanistæ & Karaitæ communi consensu, quo effato concidunt omnes quorumdam Judæorum, atque etiam Theologorum nonnullorum ratiunculæ. 5. Propter literas aliquas, in aliquo folio malè aut non regulariter scriptas, propter Paraschas clausas & apertas non bene observatas, libros privatos non secus ac publicos censent prophanos: verum id propter puncta non faciunt. Horum unumquodque nedum omnia simul evi-

evidenter punctorum novitatem demonstrant. Quamobrem liber sine punctis in Synagoga, si à Mose data sunt? quamobrem propter puncta male scripta liber prophanus non judicatur, si puncta affigere soliti erant antiqui Rabbini? Quare punctis & accentibus nova nomina, eaque barbara indere, eaque paulatim addere & augere, si à Mose aut ab Esdra hæc omnia acceperunt? Denique Samaritanorum consuetudine id demonstratur, apud quos nullum est punctorum vestigium, sed hactenus lectionem orali traditione conservarunt.

Plura potuissent addi, eandem sententiam partim confirmantia, partim illustrantia: sed hæc sunt postulatis tuis satis superque, jamque Epistolæ modum longe supergressi sumus; velim autem, eruditissime Buxtorfi, accipias à me ista, non ut decretoriè dicta. Feram facilè qui aliter senserit, licet caducis admodum rationibus niti mihi videatur. Naturâ non possumus, non amare opus quod excoluimus, & amanti τὰ μὴ καλὰ, καλὰ πείρανται, hac προλήψει, exuat animum suum necesse est eum qui oppositæ sibi sententiæ refutationem aggreditur, alioquin id quod adversarius asserit capere vix potest, nedum refutare. Licet ea quæ retuli videantur mihi admodum perspicua, omnemque solutionis ansam præripere,

ripere, amico tamen animo ea refutantem, non modo facile feram, sed etiam de me bene mereri existimabo. Falli possum & nonnunquam expertus sum, ea quæ judicabam admodum perspicua, aliter se habuisse. Allatas rationes si in libro cujus editionem paras dissolveris, & mihi & aliis multis magnum operæ pretium feceris: Hoc vero si irrito conatu aggrediaris, conclamatum est, frustraque alter Elias hæc revelaturus expectabitur. Vale vir Clarissime, & me ama, omniaque mea, ut boni consulas etiam atque etiam rogo.

Idibus Novembris, Anno 1646.

EPIST.

EPIST. LXXI.

J. *Morinus* Cardinali *Barbarino* congratulatur quod Barbarinorum familia cum ſummo Pontifice in gratiam redierat.

Eminentiſſimo Cardinali, Barberino
J. Morinus, S. P. D.

LÆtatus ſum plurimùm, cùm primum ante paucos dies omnium ſermone percrebuit Illuſtriſſimam familiam Barberinam in gratiam cum ſummo Pontifice rediiſſe. Verum qua ratione ego Eminentiæ tuæ deditiſſimus lætitia non exultarem, cum omnium ora, audito hoc fauſto nuncio, lætitiâ geſtirent? Ut reconciliationem iſtam viri boni omnes à Deo ſummis votis efflagitarunt, ita æternam exoptant. Conquerebantur apud omnes literarum amantes Muſæ Chariteſque eum Româ pulſum, quem donis philtriſque ſuis omnibus ornaverant, quem alium novum ſuorum aſylum elegerant. Redeunti igitur cum Muſis & Charitibus plaudit univerſus literas profitentium chorus, hiſque immiſtus ego cumulatus

latus gaudio Eminentiæ tuæ priſtinos honores & opes recuperanti proſpera omnia & immota precor, benevolentiaque perpetua ut me complectatur ſubmiſſiſſimè rogo. Patres domus Congregationis noſtræ recens autoritate ſummi Pontificis Avenione tenuiter fundatæ ſcripſerunt ad me Eminentiſſimum Card. à J. Onuphrio E. V. patruum ſummam pecuniæ grandem in opera pia autoritate & arbitrio E. V. collocandam legaſſe. Eminentiam veſtram humillime & obnixiſſime precor, ut in pecuniarum iſtarum diſtributione & erogatione Domus Avenionenſis patrum Oratorii Jeſu Chriſti non ſit immemor. Congregationem noſtram E. V. favore & benevolis multis officiis ſæpius defenſam & auctam hoc beneficio magis ac magis habebit ſibi devinctam & devotam, ampliſſimamque à Jeſu Chriſto, cui nos omniaque noſtra conſecramus, ſuſtentatæ familiæ ſuæ mercedem reportabit. Deus & Reip. Chriſtianæ, & literariæ quàm diutiſſime & feliciſſime conſervet.

Pariſiis 16. *Kal. Dec.* 1646.

EPIST.

EPIST. LXXII.

J. Morinus Lud. Capello quid Buxtorfio rescripserit recenset, & alia nonnulla quæ ad Rabbinorum libros pertinent.

A MONSIEUR

Monsieur Cappelle.

Monsieur,

IL y a quelques jours que M. vostre fils me rendit une lettre de vostre part par la quelle vous me remerciez de quelques services que je vous avois rendus; il n'estoit point besoin de ce remerciement en mon endroit, deux considerations bien fortes m' obligeoient à faire ceque J'ay fait, une de la verité que vous maintenez en la these que defend vostre ecrit; l' autre de vostre propre merité & du renom que vous vous estes justement acquis parmi ceux qui font profession des lettres; quand au reste que vous desiries de moy, je le feray toujours avec affection & sincerité en toutes les occasions qui se presenteront. Le Sr Buxtorfe m'

Escrivit

Escrivit une lettre assez honneste que je receus il ya enuiron trois mois qui contenoit plusieurs choses, premierement des excuses de ce qu'il avoit parlé fort indignement de moy en son liure des lettres hebraiques, & me promettoit de retrancher tout cela en une seconde impression; puis il me marquoit six ou sept endroits où il croioit que je m'estois trompé; apres il m'imputoit que Javois escrit que la pluralité des Rabbins croioit que leurs anciennes lettres estoient Samaritaines non Assyriennes; outre cela il me prioit de luy envoier ce que i'avois de particulier touchant l'antiquité des poincts, me temoignant qu'il avoit presque achevé d'imprimer unliure contre vous sur ce suiet, enfin il me demandoit quels auteurs Juifs i'avois avant Elias Levite qui eussent esté de son opinion; si i'avois quelque Grammaire Manuscrite de R. Sonas, ou de R. Juda Chiug qui sont les premiers Grammairiens des Juifs, si les liures d' Aben Esdra שפה ברורה & יסוד מורא, quels auteurs Karaites Javois entre mains, & l'origine de leur schisme avec les autres Juifs; quant au premier je luy respondis le plus honnestement qu'il me fut possible, comme en effet ces paroles de mespris me touchent fort peu, si elles ne passent jusques à des calomnies atroces; pour le second je luy

avois

avoüe franchement que je me suis trompè en deux ou trois endroits, dont il y en à un où luy & moy nous nous sommes trompés, comme il se voit sans difficultè par le texte lors que je l'ay considerè de plus pres; il y en à un où il me reprend de n'avoir pas marquè que c'estoient des mots tirés du texte de l'escriture Ste; en ce cas plusieurs interpretes manqueroent souvent; car il suffit que l'interprete le reconnoisse sans le dire; en un endroit Jay veritablement pris le texte de l'escriture pour celuy de l'auteur, ce qui à embarrassè mon interpretation, quoi que le sens soit le mesme que celuy qu'il donne, ce que l'advoue franchement estre une fauce; il y en à deux qui peuvent porter l'une & l'autre interpretation; il le prend en un sens, & moy en un autre; si cela est fauce, combien y en à t'il dans les 70 comparez à St. Jerosme ou en St. Jerome comparé avec les 70, & en tous les interpretes de l'hebreu comparez l'an avec l'autre, & de plus son interpretation ni la mienne ne font rien au suiet pour lequel je les allegue, il me semble que velut ἄλρα penulatorum facile ὀβελίζει; il y en à une s'il dit uray qui merite d'estre reprise, car i'aurois pris un passage qui dit tout le contraire de ce pourquoy je l'ay emploié. Il seroit long maintenant d'examiner cela, mais quoy que s'en

soit de la faute que je ne croy pas, I'ay pour moy l'autorité de son Pere, du feu Sr, de Muis & du Rabbin commentateur de Cozri, qui l'ont tous interpreté au mesme sens que moy, il est pris de Cozri, & rapporté en mes exercitations Samarit. *p.* 3,4,5. התראה שמעשיהם בוה לריק יל שלה אוח שתדלים בדכרי חובה *nunquid vides quod opus eorum in hoc vanum fuerit & supervacaneum & diligens occupatio in re damnabili.* Il traduit l'un *videatur ne tibi* (vel *an videatur tibi, an existimas*) *quod opus illorum in hoc vanum fuerit, & supervacaneum, aut occupatio circa rem debiti*, hoc est, honestam & necessariam. Mais le commentateur hebreu l'entend comme moy; en second lieu l'auteur conclud les choses dites precedemment, & peu apres, &c. d'une mesme façon de parler quand au mot התראה; Mais son Pere l'a interpreté comme moy au chap. 20. de son Tiberias; au reste en ces corrections on pourroit trouver à redire, il s'imagine avoir tiré la quintessence de cet auteur me repetant qu'il l'a leu fort diligemment, je pense neanmoins qu'il s'est eloigné bien fort de son but, non pour n'estre pas assez exercé dans la lecture des Rabbins, car comment ne le seroit il pas veu qu'il ne fait autre chose, & que des son enfance il a esté instruit d'une si bonne main?

Mais

Mais d'autant qu'il à plus de soin d'establir l'opinion dont il est prevenu, que de rechercher la verité; je me figure assez aisement qu'il fait pour cet auteur comme son Pere qui dit en sa Bibliotheque Rabbinique que c'est un liure *Multiplicis doctrinæ conscriptus in laudem regis cujusdam quem vocat Cozar*; c'est une forme de Catechisme ou Dialogue ou il instruit le Roy Cozar en la Religion Judaique & luy preuve qu'elle doit estre preferee à toutes les Religions, & il semble ou il feint que ce Roy Cozar avoit inclination aux Karaites; c'est pourquoy il y à aussi une longue dispute contre eux en laquelle il monstre qu'ils doivent estre postposes aux Rabbinistes; la maniere de parler du Jeune Buxtorfe me fait estimer qu'il est de l'humeur de Ciceron qui escrit de luy mesme à son frere que *à puero adamabat ἀιὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.*

3. Pour ce qui est des lettres Hebraiques J'ay rapporté trois opinions des Juifs & en ay mis deux en une apres les avoir distinguees, ascavoir celle qui tient qu'il n'y avoit que le liure de la loy donnè par Moyse & gardé dans l'arche, qui fust escrit en lettres Assyriennes, & celle qui dit absolument que toutes les lettres estoient Samaritaines. Pour la premiere opinion i'avois cité neuf ou dix Rabbins, & d'autant que i'esti-

me comme je luy ay mandé la premiere opinion ridicule, & quand elle seroit vraye, entierement inutile, & mesme occasion de soumettre toute la Religion & la police aux caprice du grand Prestre qui seul eust eu droit de lire ce liure, l'ay dit en mes Exercitations que la plus grande partie des Juifs croioit que les anciennes lettres estoient Samaritaines, & ay conioint les auteurs de ces deux opinions en un estimant ala facon des jurisconsultes la restriction de la premiere pour nulle. Mais Buxtorf à voulu entendre mes paroles comme si je n'avois point fait mention du grand nombre des Juifs qui suit cette ridicule opinion.

Quant au 4. je luy ay fait un assez long discours des raisons qui me portoient à croire que les points estoient de nouvelle invention; je seray bien aise qu'il y responde; ce que je ne croy pas possible. Car il me semble qu'il y à des preuves si evidentes que les points n'estoient point inventés du tems de St. Jerome, du Talmud, & des auteurs de leurs Midraschim, qu'on n'en scauroit pas desirer d'avantage pour preuver une negation, ou l'absolue ignorance de quelque chose. Je luy ay aussi marqué plusieurs auteurs ou qui reprennent les Masorethes, ou comme leur oeuure estant inutile, ou comme s'estant trompés,

& qui ne font plus difficulté de les reprendre, quoy qu'ils les eſtiment, qu'ils feroient de reprendre un autre Rabbin qui les auroit precedé, qui eſt un argument tres certain qu'ils les croioient poſterieurs aux Talmudiſtes, bien eſloignes de les croire les aſſeſſeurs d' Eſdras. La preuve eſt encore plus concluante par la comparaiſon des Karaites. Les Juifs parlent des Karaites qui ſont leurs heretiques comme des plus impies du monde; la raiſon eſt que les Karaites n'adjouſtent pas egale foy aux traditions Talmudiques, qu'au texte Biblique; Car d'ailleurs ils font eſtat du Talmud, le liſent, s'en ſervent, & firent de la pluſieurs ceremonies, mais ils diſent qu'il ſe ſont trompez quelque fois & n'eſtiment point pecher en les reprenant; à cette occaſion les Juifs s'accorderoient plutoſt avec un Chreſtien qu'avec un Karaite; ou pluſieurs inſignes Rabbins depuis ſix cens ſont mocqués de la plus grande part du travail des Maſorethes, pluſieurs autres les ont repris comme ils ſeroient leurs compagnons, & juſques ici pas un ne s'eſt aviſé de les avoir en deteſtation, & de l'un de ces deux avis ont eſté preſque tous les Juifs qui ont eſcrit avant deux cens cinquante, ou trois cen ſans dautant qu'ils les reprennent ſans s'objecter qu'il y en ait d'entre eux qui les

egalent aux Talmudiſtes, ou qui croient un crime de les reprendre, il ſeroit ennuyeux d'entrer plus avant en cette matiere; je vous diray ſeulement qu' Aben Eſdra qui eſcrivoit il y apres de 500, apres avoir dit qu'il avoit leu treze ou quatorze Grammairiens qui l'avoient precedé à fait une liſte des ſes docteurs ſelon l'ordre dit il, qu'il ſont veſcu, Moyſe, les Prophetes, Eſdras, la grande Synagogue, les auteurs dont eſt compilé les Miſnaioth, les Talmudiſtes, les Maſorethes, enfin les Grammairiens, dont, dit il, je ſuis du nombre & aſſigne à un chacun ſon oeuure principal. Je ſeray fort aiſe de voir ce qu'il pourra reſpondre à cela & à quantité d'autres raiſons; car il n y à rien qui me ſoit plus important que la verité, & l'embraſſeray quand il me la monſtrera, ce que je ne croy pas poſſible au fait dont il eſt queſtion.

Enfin pour les liures des Karaites nous n'en avons qu'un qui eſt un commentaire manuſcrit ſur toute la loy, du quel comme auſſi du liure de Cozri on voit clairement que les Karaites ont touſiours fait grand eſtat des Maſorethes, l'auteur de ce commentaire vivoit quelque tems apres Kimhi, & eſcrivoia Conſtantinople, c'eſt ce qui à donné occaſion à pluſieurs Juifs de meſpriſer bien fort les Maſorethes, par

Cela n'eſt pas vray.

par une antipathie naturelle à ceux qui s'entrehaïssent.

Pour les Masorets dont vous m'escrivez il me semble que je prouve clairement deux choses, premierement qu'il y en a eu de deux sortes qui ont esté en divers tems, sans m'arrester aux auteurs de la petite Masore qui ont esté en divers tems & qui sont posterieurs à toutes les deux ; les premiers ont reveu le texte de la Bible, l'ont repurgé, & sont les auteurs de la beaucoup plus grande partie du Keri, & Chetib ; car il y en avoit deja une partie notable remarquez avant eux & le Talmud, & quelque peu dans le Talmud ; les seconds sont les auteurs des points & des accens, & de la distinction des versets qui ne s'accorde nullement avec la distinction, que l'on peut recueillir de St. Jerome & autres, ni avec celle que les Talmudistes avoient par tradition ; la seconde est, que le Talmud n'a point esté achevé devant l'année 680. au plutost ; ce qui se proue par quelques tres anciennes histoires partialles des Juifs qui temoignent que R. Aser fut interrompu de la collection Talmudique par la ruine de l'Empire des Perses fait par les Mahumetans ou Agariens, & les grandes persecutions qui furent alors excitées par les

Agariens, de sorte qu'ils demeurerent plus de 70. ans sans l'achever, or le liure *Tractatus Sophrim* suit le Talmud & precede la veuue da tente Biblique, comme il se peut demonstrer clairement ; par consequent les premiers Masorets ne s'auroient avoir plutost commencè que le 8. siecle ; il est uray aussi & peut estre demonstré par les propres paroles des Masorets que les points n'ont pas esté tous inventés par les Masorets, ni les figures & moins encore les noms, vous avez, si Pay bonne memoire, traitté de cela en vostre *Arcanum* ; quant à la conjecture que vous faites que les Juifs ont pris leurs points des Arabes, je la croy tres urayé & pense le pouvoir demonstroir. Mais tout cela demande un long discours qu' se celhons tous à fait il y à plus de dix ans.

Quant au Zohar, je n'ay pas entendu parler de Leo Juda pour les raisons que vous m'escriviez, mais d'un Juif Africain appellè Leo qui vivoit il y à peut estre trois cens ans, que quelque Historien Juif temoigne avoir este accusê des lors de contrefervir cela pour le profit qu'il recevoit debitant cette marchandise. I'ay autresois perdu du tems à lire ce liure, non pour y appsendre ses resueries, mais pour y remarquer histoires ou discours non convenables

venables au tems qu'on luy donne, dont l'ay remarqué grande quantité, qui me confirme en la penſée de la ſuppoſition. Vous remarquerés auſſi ſon dialecte bien different de celuy d'Onkelos, & meſlé de termes & manieres de parler de la phraſe de Jonathan Uzielis & du Targ. Hierosol. & d'autres qui reſſentent entierement le dialecte Talmud; ce qui prouve clairement que l'auteur apris ſon language de la lecture de tous ces auteurs enſemble. Mais je paſſe de beaucoup les bornes d'une lettre; c'eſt pour quoy je finis apres les offices de mon treſh. Service, & vous avoir ſuppliè de prendre en bonne part la franchiſe avec la quelle vous eſcrit celuy qui eſt verit ablement M.

11 Mars 1647. *Voſtre tres humble Serviteur,*

Joh. Morinus.

EPIST.

EPIST. LXXIII.

Bartholdus Nihusius Jo. Morino cur in Provinciis unitis pauci libri eruditione referti ex Galliis adsportati compareant.

Admodum Reverendo Joanni Morino S. P. D. Bartoldus Nihusius.

REdditæ omnino sunt mihi tuæ, prid. Id. Novembr. datæ, quæ supra modum placent, etiam amicis, immo & Gerardo Joanni Vossio, licèt non Catholico: nam & huic legendas dedi. Gratias ago immortales, de beneficio illo maximo; neque enim interpretari aliter possum; ac spero non me peccaturum, si data opportunitate, tuam istam Epistolam luce donem, qui copiam hic facio Chartulæ de Cruce. In quo negotio, si quid istîc vobis occurrat, non observatum aliis, doceri id optem. Fieri enim potest, ut manus admovendæ sint ei rei denuo. Profitebor publicè per quos profecerim: sicuti & ad Bartholinum & Salmasium profiteri me vides, quòd libri eruditi ex Galliis compareant hic rarissimi, Vossius in-

inde ait esse, quia pauciſſimi in Provinciis hiſce unitis reperiantur homines docti, adeoque multitudine illæ talium vincantur longe à ſola Lutetiâ. Et hinc fit, ut, ſi Bibliopolæ Batavi emunt in Francia libros, in Poloniam & ſimilia loca eos devehi curent. Interim vehementiſſimo nos laboramus deſiderio videndi ſuo tempore Praxin Sacramenti Pœnitentiæ cujus ſpem facis. Deus det ſuam gratiam, ut feliciter partus ille in luminis auras exeat. Salve plurimum.

Amſtelodami viij *Febr.*
CIↃIↃCXLVII.

Admodum Reverende Domine,

Quia hæc diriguntur per me; obſequia mea tibi duxi unico verbo offerenda, & ſimul rogandum an verè ad noſtras partes acceſſerit Meleterius de quo Nihuſio antehac recordor te ſcripſiſſe; aliud nec otium modo permittit, ſed finio ac permaneo

Hagæ hac 11. Februarii 1647. *Admodum Reverendæ Paternit. Tuæ Officioſiſſimus Servus,*

Jacobus Electus Epheſinus.

EPIST.

EPIST. LXXIV.

J. *Morinus* Card. *Barbarino* Apologia Domini Ferronii Canonici, & Archidiaconi Eccleſiæ Carnutenſis ac Doctoris Sorbonici, cui ſummus Pontifex concedere noluerat diplomata Bullarum Abbatiæ S^ti Laudomari Bleſenſis, eo quod doctor ille ob Janſenianas opiniones apud Aulicos urbis male audierat.

Eminentiſſimo Cardinali Franciſco Barberino J. Morinus S. P. D.

FAma non vulgari hîc increbuit ſanctiſſimum Dominum noſtrum diplomata ſuis Bullis Abbatiæ S. Laudomari Bleſenſis concedere nolle in favorem viri admodum reverendi, & apud nos celebris, Domini Ferronii Canonici & Archidiaconi Carnutenſis Eccleſiæ, Doctoris Sorbonici, & Illuſtriſſimi Carnutenſis vicarii & officialis ad eam regendam ſummo Pontifici à rege nominati, eo quod Cornelii Janſenii Iprenſis librum cui

cui titulus est Augustinus suffragio suo comprobaverit. Calumnia quæ huic viro, optimo, doctissimo, & de Ecclesia Catholica bene merito impingitur, impulit me ad hanc Epistolam Eminentiæ vestræ scribendam, ut veritati testimonium debitum perhibeam, & innocentiam à malevolis iniquissimè appetitam quantum in me est asseram, verum equidem est, nec diffitear librum illum cum plurimis aliis & doctoribus & Episcopis se probasse. Sed id factum est cum primùm Galliæ innotuit, antequàm turbines qui postea illius causa commoti sunt, in orbe Christiano excitati fuissent; videbat librum ab Episcopo Catholicæ communionis compositum, cujus autor omnes labores suos Ecclesiæ Romanæ emendandos & expungendos humillimè subjiciebat; videbat librum in Belgio à librorum Censoribus examine facto probatum & commendatum, & duplici privilegio Imperatoris & regis Catholici munitum; videbat librum à multis viris doctis in Gallia magni fieri, à nemine tum attentatum: librum legit, quæstiones varias & populares præsertim attendit; est enim D. Feronius prædicator celebris, & sermonibus quadragesimalibus continuis in plerisque Galliæ diœcesibus nedum Carnotensi notissimus, videt eas piè & devotè variis S. Augustini testimoniis resolvi & decidi.

Suffra-

Suffragium rogatus libro dare non recusat, quem amplecti tot argumenta suadebant, nullum adhuc dissuadebat; sed considerentur qualem postea se præstiterit; excitis quæstionibus Jansenistarum factioni nunquam favisse auditum est; ab eo tempore innumeros Sermones ad populum variis locis habuit, nullus unquam Episcopus aut quivis alius Novationis Jansenianæ eum accusavit; in Gallia notum est illustrissimum Episcopum Carnutensem doctorem Sorbonicum & olim in ea Theologiæ Professorem regium Jansenianis opinationibus maxime adversum esse; Feronium tamen post librum hunc ab eo probatum & vicarium suum & officialem constituit, hoc est, universum totius Diœcesis regimen ipsi commendavit, quod sane præsul Religiosissimus & Prudentissimus nunquam fecisset, si quid Jansenianæ labis ipsi adhærere conjecisset, nec cum eo familiari & continuo contubernio conviveret; unde est quod Bullam Pontificiam de quinque Propositionibus Jansenio tributis nuper editam, ipsi commisit per diœcesim promulgandam & exequendam; quo munere ita functus est, ut qui impias illas Propositiones maxime aversantur, nihil ultra id quod fecit desiderarint; denique Abbatiæ illius nominationem obtinuit non aulicorum more, ambitu, & importuna amicorum intercessione,

sed

ſed nihil de ea cogitans à ſereniſſ. duce Aurelianenſi ad quem pertinet ad illam Abbatiam nominatio ex antiqua cum rege Chriſtianiſſimo conventione quæſitus eſt, atque ut illius curam gereret rogatus. Religioſiſſimi autem principis intentio eſt quinque millia reditiuum annuorum ex illo ſacerdotio provenientium in ſeminarium pro Diœceſi fundandum è menſa Abbatis eximere; hoc autem cum nunc fieri non potuerit, Rege & quibuſdam Conſiliariis non approbantibus, Feronius electus eſt qui Abbas factus magnam Abbatiæ fructuum partem in Seminarium illud fundandum ſponteneus & volens impenderet donec regis conſenſus obtineretur, & à ſummo Pontifice confirmaretur. Hæc Eminent. Card. tibi nota eſſe volui ut calumniam viro optimo & quacunque Catholico iniquiſſime inuſtam ex officii mei debito abſtergerem, atque ut negotium pietatis cujus cauſa hoc ſacerdotium illi donatum qua potis ſum, adjuvem & promoveam; cùm autem variis experimentis certiſſime ſciam Eminentiam veſtram juxta Apoſtoli Pauli mandatum, quæcunque ſunt vera, quæcunque pudica, quæcunque juſta, quæcunque ſancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus

laus disciplinæ, eum cogitare, pluribus illi hoc negotium non commendabo, rei æquitas, justitia, Ecclesiæ necessitas verbis meis longe efficacius apud eum intercedunt. Deus diutissimè te conservet, Eminentissime Cardinalis, & inimicos tuos triumphatos pedibus tuis sternere pergat.

Parisiis xj. *Kal. Sept.* 1653.

EPIST.

EPIST. LXXV.

J. *Morinus* Card. *Barberino* congratulatur ob Triumphatos ab eo hostes.

Eminentissimo Cardinali Francisco Barberino J. Morinus S. P. D.

ELapsæ sunt jam aliquot septimanæ cùm in dies singulos expecto viri clarissimi D. Conæi domestici tui Romam à nobis discessum, ut testatam tibi facerem eam quam animo concepi de tua familiæque tuæ illustrissimæ reconciliatione cum summo Pontifice lætitiam, luxerunt acerbè viri boni omnes cùm calumnias innocentiæ tuæ tante arte instructas viderunt ut summo Pontifici alias tibi multis nominibus maximè devincto tam atrociter imponerent. Sanguine collachrymarunt Musæ cùm audierunt unicum hoc seculo justum æstimatorem & defensorem suum bonis spoliatum, patriâ profugum, ne exul quiesceret iniquis litibus post fugam appetitum; quis tam ferrei & feri pectoris, qui cùm videat nobilissimam familiam tota Europa celebrem honoribus amplissimis ubique decoratam derepente cum

teneris & dulcissimis pignoribus sese miserabiliter æstibus maris intempestivo cœlo committentem, nullum periculum quantumvis eminens & capiti impendens detrectantem ut eos fugeret quos summis beneficiis & honoribus cumulaverat, temperet à lachrymis? ita quoque serenitate & tranquillitate rebus tuis reddita exultantem animo lætitiam comprimere nec potui nec debui; qua ratione enim quem afflictum & extorrem summa cum animi tristitia conspexi, malis superstitem & tandem de invidia triumphantem sine ingenti animi lætitia & exultatione conspicere possem? Nec etiam permittit ea benevolentia qua me à tot annis complecteris, ut gaudium de restitutione tua toto pectore exundantem apud me contineam; accipe igitur Eminentissime Card. hoc Epistolium, ut lætitiæ argumentum qua propter triumphatos à te hostes tuos exulto & gestio, atque etiam ut gratitudinis qua tibi arctissime devinctus sum qualecunque Monumentum, meique tibi obsequentissimè addicti ne sis immemor. Deus vota tua, & consilia fecundet, & Eminentiam tuam Ecclesiæ suæ & literis incolumem diutissime conservet.

Parisiis 7. Idus Septemb. 1653.

EPIST.

EPIST. LXXVI.

Card. *Barbarinus J. Morino, D. Feronii* Pietas & Doctrina commendatur.

Admodum Reverendo Patri D. Joanni Morino *Presbytero.*

ADmodum Reverende Pater, D. Feronium Illustrissimi Carnutensium Episcopi Vicarium generalem suæ virtutes ac doctrina commendare sat poterant; maxima tamen iis accessio facta est ex luculento adeo testimonio, nam quem tanta judicii sui laude exornat Ornatissimus Morinus, eum plurimi ab omnibus faciendum censeo; video itaque ad quam me officii rationem excitet, & tanti pondus judicii, & præcipuus meus erga P. Tuam amor; quamobrem P. Feronius quidquid in me est, vel à me proficisci poterit sibi certo promittere potest, ea enim omnia testimonia libentissime dabo, atque officia adhibebo quæ ad ipsius commendationem magis facere intelligam; cæterum si ego Doctissimum Morinum à me amari dixerim, nihil novi dixerim.

Romæ die 29 Septembris 1653.

P. T.

Addictissimus
Card. Barberinus.

EPIST. LXXVII.

J. Morinus Card. *Barberino* obsequium suum testatur.

Eminentissimo & Reverendissimo Principi Francisco *Cardinali* Barberino Joannes Morinus *Congreg. Orat. Presb. salutem obsequiosissime dicit.*

QUanquam ante paucos dies abeunti Domino Coneo literas ad Eminentiam vestram perferendas dederim quibus devotum illi obsequium meum testarer, credidi tamen officii mei esse R. Patre Goezaldo Romam redeunte eum hinc abire insalutata Eminentia vestra non sinere; Cùm enim ei sit à multis annis cognitus eumque sæpius colloquio suo benigne honoraverit, literas meas merito deferentis illi gratiores fore existimavi. Religio mihi est, & quidem verecundus pudor Eminentiam vestram rebus arduis occupatissimam interpellare, & dum mente versat, & disponit negotia totius orbis Christiani maxima & difficillima, mei homuncionis planè inutilis mentionem injicere.

cere. Sed cùm in memoriam revoco eam qua me semper complexus es benevolentiam, cujus argumenta quam plurima mihi dedisti, animum & confidentiam resumo, mihique persuadeo frequens obsequii mei testimonium Eminentiæ vestræ non fore importunum.

Vale Eminentissime Cardinalis. Deus Eminentiam vestram incolumem Ecclesiæ quàm diutissime conservet.

Parisiis viij. *Id. Octob. Anno* CIↃIↃCLIII.

EPIST. LXXVIII.

J. Morinus Abrahæ Ecchellensi quæsivit nonnulla de gente Samaritanorum.

Clarissimo Viro Domino Abrahæ Ecchellensi Joannes Morinus *Congr. Orat. Pr. S. D.*

R. Patre Goezaldo quem nosti Romam redeunte te insalutatum nolui dimittere, sed veteris amicitiæ nostræ memorem te volui monere; an è Syria responsum acceperis de Samaritanis qua ratione legere soleant Pentateuchum, Hebraicasque voces rescire velim. Multæ quæstiones hac in causa elucidanda fieri possunt, olim eas sigillatim descripsi tibiq; dedi, & jam dudum est cum mihi rescripsisti te eas conservasse atque in patriam misisse; præcipuæ sunt, an ut Arabes utantur punctis, an ut Judæi, an vero nulla habeant; quid sentiant de punctis Judæorum & de eorum pronuntiandi ratione; qua ratione pueros & mulieres, si puncta non habent, docent legere, an Grammaticarum usum habeant; & si fieri posset una ab eis Grammatica Hebræa compararetur; haberetur quoque exemplar pronuntiationis

nuntiationis eorum decem aut duodecim versuum è Pentateucho latinè si fieri posset ab aliquo Syro-latinæ linguæ perito expressorum, ut, qua ratione pronuntient, melius judicari possit; iterum à te expostulo pauca quædam quæ ad Samaritanam pronuntiationem spectant, quæque Parisiis è Chronico quodam Samaritano excerpsisti; pauca ea sunt & brevissima paginula possunt inscribi; pervelim ea ad me mitti, ut mihi sint velut præludia amplioris messis expectatæ; hæc si concesseris non modo me sed & Remp. literariam magno beneficio cumulabis; amicitiæ tuæ admodum confidens familiariter tibi scribo, pluraque quam petierim spero. Vale vir Clarissime meique semper esto memor.

Parisiis viij. *Id. Octob. An.* 1653.

EPIST. LXXIX.

Card. *Barberinus Morino* gratiam habet quod tam liberaliter in se laudes conjecerit.

Admodum Reverendo Patri J. Morino *Congregationis Orat. Presbytero.*

ADmodum Reverende Pater; quod me meamque domum summus Pontifex novo benevolentiæ nexu devinxerit, in partem fœlicitatis meæ pono; verum etsi non aliud honoris ac fructus ea mihi res peperisset, hoc certè abundè apud me esset, quod te Vir Clarissime, ad gratulationem excitavit, ut quam animo conceperas lætitiam, tuis ornatissimis literis testatam mihi faceres; id mihi quàm gratum acciderit, vix assequi verbis possum; tibi facilius conjectandum erit, qui noris quo apud me sint loco eximiæ tuæ virtutes, eloquentia, doctrina, ingenium à vulgaribus longe semotum; ac profecto & majorem tibi habeo gratiam, quod etiam perspexerim, quam liberaliter ac plena manu laudes in me conjicias, quo enim minus

minus eas demereri possum, id eo majus tui in me amoris esse argumentum sentio; quo in amore respondere tibi quantum cupiam, re potius, quàm verbis declarare vellem. Vale optime Morine, ac pro me Deum precare.

Romæ die 24. *Novembris* 1653.

Amore quo semper me devincis leges quæ in sepulto folio addere ausus sum eruditione & bonitate tua allectus.

P. T.

Addictissimus

Card. Barberinus.

EPIST.

EPIST. LXXX.

Card. *Barberinus* *J. Morino* Jucundas sibi esse illius literas testatur.

Admodum Reverendo P. P. Joanni Morino *Congregationis Oratorii Presbytero.*

ADmodum Reverende Pater; nullæ mihi litteræ tuis jucundiores accidere solent, neque ego promptiori manu calamum unquam arripio, quam cum ad te Vir Clarissime, scribendi occasio se mihi præbet; quod ideo significandum duxi, ut vel hinc intelligas quanto te amore prosequar, quantique tuas singulares virtutes faciam. Patrem Gozaldo ad nos redeuntem, qui tuas mihi reddidit, libentissimè vidi, & amanter sum complexus, cum tui, vestræque Congregationis causa, tum ob amicitiam quæ à plurimis annis mihi cum eo est, cui propterea quidquid à me proficisci potest ultro exhibui; cæterùm me velim, ut facis, amare pergas.

Rome die prima Decembris 1653.

P. T.

Addictissimus

Card. Barberinus.

EPIST.

EPIST. LXXXI.

Card. *Barberinus J. Morino* significat Criticum Sacrum *Lud. Capelli* materiam disputationis Romæ suppeditasse, & Cur non errores solum, sed curiositatem omnem & audaciam quibus ad novos errores via sternatur depellere curant Romani Aulici.

Admodum Reverendo P. P. J. Morino *Congr. Orat. Presbytero.*

VIX tibi gratias egi ob præcipuam benevolentiam quam in tuis litteris exhibuisti, cùm nova præbetur occasio & tibi per istam singularem tuam eruditionem cum summa pietate conjunctam, nullisque privatis affectionibus obnoxiam perpetuo benemerendi, & mihi ob expertam toties humanitatem tuam grati animi significationes renovandi. Ludovici Capelli Critica Sacra materiem disputationibus his diebus suppeditavit propter Sacri Concilii Tridentini de vulgata Bibliæ editione decretum, & contra malos interpretes & contra illos, qui sibi fa-

cultatem

cultatem arrogant libros ſacros proprio Marte emendandi & edendi; adverſam verò ſententiam non tantùm Criticæ Auctor affirmat & docet, ſed ex pluribus ejus dictis induci aſſerunt, illud ab eo privatæ auctoritati tribui, quod Eccleſiæ, & ſummo Pontifici reſervatum videtur, etiamſi in minima dictione aut vocula correctio eſſet adhibenda: præſertim poſt editionem à Clemente VIII. factam ſummo cum plauſu & unanimitate Eccleſiæ Catholicæ receptam; quam opinionem ſequitur inter cæteros Auctores Magnæ notæ Melchior Canus, qui in ſuo locorum Theologicorum opere, quàm Religioſiſſimè cenſet a nullo attingendam Sacram Bibliam eſſe, nec quæ leviſſima forte videntur in dubium revocanda. Apud me alicujus momenti eſt, quod cùm apud vos agerem, acceperim, diu hæſitatum fuiſſe circa libri editionem, nam ab ea deterrebat multos Cenſoris rigor in textum Hebraicum ob hiſtoriæ ſanctitatem & inviolabile Sacramentum, cùm tamen omni ſtudio contenderetur, ideo hoc opus dandum in lucem eſſe quòd perſpicuè demonſtraret, hæreticos abuſos Hebraico textu, ita ut ſi publici juris hoc opus fieret, veriſimile eſſet, illos id ægrè laturos, præſertim homine ejuſdem farinæ hæc docente, ut poſtea evenit; cæterum quid ageret de vulgata Verſione nihil audivi;

apud

apud accusatores auget operis suspicionem auctor extra Ecclesiæ sinum mortuus (nulla habita ratione quod ejus filius quippe Catholicus & Sacerdos, antequam librum ederet, probabiliter emendandum curare potuerit) auget inquam suspicionem in hac urbe præsertim, in qua ob Dei gratiam ab hæreticis remotissimi cum simus, dare operam debemus, ut non errores modo, verum etiam curiositatem omnem & audaciam, quibus ad novos errores via sternitur, depellamus. Liceat mihi tutis auribus tuis, amicissime Morine, hæc panca deponere, & quale sit etiam judicium tuum de isto opere efflagitare.

P. T.

Addictissimus

Fr. *Card.* Barberinus.

EPIST.

EPIST. LXXXII.

J. Morinus Card. *Barberino* Judicium ſuum de Critica Sacra Capelli, & in eum Animadverſiones, Cur Pariſiis cum privilegio Regis edita, quibus Approbationibus, quid in ea laude dignum, quid vituperio, quis ſit ſenſus Concilii Tridentini pro definitione vulgatæ.

Eminentiſſimo Principi Franciſco *Cardinali* Barberino.

CUm Eminentia tua poſtremis tuis ad me literis teſtetur tantopere ſibi placuiſſe quod officio meo ſatisfacere qualicunque modo conatus fuerim, mihique tanta cum humanitate demonſtret ſe boni conſuluiſſe, imo gratias mihi habere quod lætitiam de ſummi Pontificis benevolentia in illuſtriſſimam familiam Barberinam rediviva animo meo exundantem per Epiſtolam meam effluere ſiverim, mihi profecto magna confidentia eſt gratum & acceptum multo magis Eminentiæ tuæ fore, ſi illius commodis

modis inservire quoquomodo possem, & opera mea obsequium aliquod illi præstare; quapropter cum iisdem literis hujus rei occasionem mihi dederit, non lubens modo sed alacer eam amplector.

Postulat à me Eminentia tua sententiam meam de Ludovici Capelli Critica Sacra; quanquam E. V. sit literarum omnis generis ornamentis politissima, virisque doctissimis undique circumdata, atque in medio mundi sole constituta, tamen quoniam jubet lumen soli mutuum dabo, & facula mea meridiem illustrabo; de sacra igitur Capelli Critica dicturus ut ordine procedat sermo noster eum in tres partes dividam; primum de Capello dicam & ejus in Critica loupo; deinde rationes explicabo quibus perculsi viri quidam docti privatim institerunt apud Franciæ Cancellarium, ut imprimendæ Criticæ facultatem concederent; postremo quæstioni de qua sententiam meam postulat Eminentia tua respondebo: nec enim ei planè nisi duobus prioribus explicatis satisfieri potest.

Ludovicus Capellus adhuc vivit annum agens ultra 70; non modo hæreticus est sed etiam hæreseos Minister & Prædicator, atque in Academia Salmuriensi Hugonotica linguæ Hebraicæ Professor, itaque quod dicebat Anastasius Pontifex Epist. 3. de Rufino,

fino, multo magis de Capello videtur mihi dicendum, *Ruffinum scisto ita haberi à nostris partibus alienum, ut quid agat ubi sit nescire cupiamus; ipse denique viderit ubi possit absolvi.* Quid Capellus dixerit aut scripserit bene an male non mihi videtur magis est Magistratui Ecclesiastico curandum, quàm curare solet aliorum Ministrorum libros qui penè innumeri quotidie eduntur in *Gallia, Germania, Anglia*, aliisque regionibus hæresi infectis. Quis sufficeret omnibus recensendis & Censura notandis? quos sanè ut dicitur, ναῦς μὴ μία πάντας ἄγει, deinde hâc Censura Capello magnum & optatum beneficium conferetur, nam hæretici decem & amplius annis diligenter caverunt, ne liber iste ederetur; diu Genevæ Manuscriptus hæsit, sed ut imprimeretur obtinere non potuit, diu Sedani, diu Lugduni Batavorum: sed repulsam quam Genevæ passus erat, illis quoq; locis, licet Lugduni editionem Salmasius urgeret, passus est; sentiebant scilicet Ministri validissimum argumentum ac pene unicum quo hactenus in vulgatam usi fuerant, validissime subduci, hoc nempe, Textus Hebræus est planè incorruptus, qualis à Mose & Prophetis est Spiritu S. dictante fusus; ergo translatio omnis huic primigenio textui non consentiens ad hunc textum corrigenda est; at translatio vulgata innumeris locis ab Hebræo Textu differt,

differt, ergo innumeris locis castiganda est, & tota reficienda. Assumptionem plurimis exemplis docent; speciosum istud fontium nomen à quo Translationum rivuli fluunt, veros Catholicos multos aut decepit, aut suspensos tenuit; totus est Capellus in hoc fundamento evertendo, quod sanè magno molimine tentat & feliciter exequitur; res erat probatu admodum difficilis, antiquissimi codices Hebræi nulli sunt. Mirificus enim est Bibliorum Hebraicorum editorum consensus; ideo qui ab uno codice discedit ab omnibus æquo spatio distat. Quid ille ut hoc assequatur? Varios Testamenti veteris libros in quibus eadem repetuntur interseſe comparat, indeque necessario variantes lectiones colligit; idem præstat in locis novi Testamenti ex vetere desumptis; deinde ad Keri & Ketib Judæorum digreditur, pleraque Salebrosæ & Seconditæ Masorethicæ Criticæ arcana denudat; posteà varia testimonia 70 Interpretum cum hodierno textu Hebræo comparat, quorum differentia aliunde provenire non potest quàm ex differentia exemplaris quo usi sunt 70 ab hodierno textu Hebræo; idem facit in Paraphrasi Chaldaica atque in variis locis quæ supersunt antiquarum translationum Græcarum Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis, quibus & interse & cum hodierno textu Hebræo col-

latis evincitur tot codicibus usos & interse, & cum hodierno textu non ita consentientibus ut Biblia Judæorum Neoterica interse nunc consentiunt: Denique vulgatam cum textu Hebræo plurimis locis comparat, ex qua rursus comparatione demonstrat differentiam quæ multis locis conspicitur Hebræum textum inter & Latinum, nec ab errore interpretis, nec à mendis librariorum manare, sed à varietate codicis Hebræi quo usus est S. Hieronymus ab eo qui nunc vulgatus est; lectionem autem S. Hieronymi hodiernâ tanto certiorem esse, quanto S. Hieronimi codex hodierno Hebræo antiquitate præstat; hoc ipsum adnotavit præfatio præposita editioni vulgatæ autoritate Clementis VIII editæ, *Facile fieri posse credendum est, ut majores nostri qui ex Hebræis & Græcis latina fecerunt, copiam meliorum & emendatiorum librorum habuerint, quàm ii qui post illorum atatem ad nos pervenerunt, qui fortasse tam longo tempore identidem describendo minus puri atque integri evaserunt.* Idem nos in novo Testamento fecimus duorum antiquissimorum codicum manuscriptorum ope freti, quorum comparatione cum vulgata quadringenta & quadraginta loca protulimus in quibus vulgata versio ab hodierno textu Græco discedit, sed cum istis exemplaribus mirificè consentit; unde

unde manifestum fit quod vult ista præfatio, varietatum causam quæ inter vulgatam & Originarios textus intercedit ab errore aut mendis in vulgatam irreptitiis non esse petendam, sed ut plerumque à mendis in Originarios textus illapsis quæ nunc ab antiquo puriore quem vulgatæ interpres præ manibus habuit, difformes reddunt; omnium autem Catholicorum sententia est fontes nunc plurimum turbidos fluere ut latè demonstravimus in iisdem exercitationibus c. 2, 3, 4, 5. primæ Exercit. Huic veritati qui contradiceret neminem legi nisi forte unum aut alterum Catholicum stultè Hebraizantem ne professioni suæ derogaret; cum igitur viderent ministri hoc suum fundamentum planè corruere, illius libri editionem qua arte & authoritate valuerunt impedire conati sunt, cum autem editum audierunt Capello plurimi succensuerunt ut qui Catholicis arma ministraret, & suas ad autoritatem Ecclesiæ ut aliquid certi habere possent confugere cogeret; itaque libri censura Capello gratissima erit, utpote quæ illi occasio erit cum suis in gratiam redeundi; ea ratio quæ tantopere Ministrorum animos adversus hujus libri editionem commovit, nonnullos viros Catholicos Doctrina præstantes in quorum manus Critica ista pervenerat plurimum ad procurandam privatim

istam editionem incitavit; Videbant enim argumentum hoc de mendis in Hebræos codices illapsis doctè admodum & cum varia penitioris litteraturæ Hebraicæ supelleetile enarrari & in omnem partem versari, hacque dissertatione Achilleum hæreticorum argumentum contra vulgatam penitus convelli; alia insuper ratio ex priore consequens eos ad id suadendum non parum commovebat; inde enim consequitur hoc semel dato nihil plane certum esse posse cum Ecclesiæ authoritati nihil prorsus deferunt; nam si tam multis scatet mendis id quod est solum eorum fidei columen, fidem eorum necesse est esse caducam admodum & prorsus siculneam; hoc consequens oppoſuerunt Capello sui & variè animum versat & in omnes partes torquet, ut ei respondeat, ut videre est *pag.* 12. *p.* 186. & præsertim *pag.* 387. *sect.* 5, 6. & aliis locis, sed semper incassum fumumque fugiens in ignem incidit; faverunt hujus libri editioni viri docti complures, quos inter erant viri celebres Dionysius Petaviu: & Marinus Mercennus è minimorum familia à quorum sententia nec ego alienus eram; horum testimoniis adjutus Capellus & Bibliopolam invenit & privilegium in Bibliopolæ commodum, ne videlicet dispendium aliquod editione ab alio attentata pateretur. Nullus enim

enim Doctor Catholicus publico ſuffragio librum iſtum probavit aut commendavit; cæterùm autoris filius qui Catholicus eſt impreſſioni præfuit, diligenterque cavit ne quid atrox in Religionem Catholicam patri elaberetur; multa equidem omittit quæ Catholicus expreſſiſſet, ſed nihil mihi occurrit quod Religioni Catholicæ ſit apertè infeſtum; ſi quæ hac in cauſa Eccleſiæ autoritati tribui debent edidiſſet non fuiſſet hereticus, aut ſi addita fuiſſent fidem apud ſuos non inveniſſet, quorum tamen gratia editioni privilegium concedebatur. Poſtremò ſcribit ad me Eminentia tua nonnullos dicere autorem iſtum docere unicuique licentiam eſſe ſacros libros emendandi & edendi, ſicque contra Concilii Tridentini autoritatem Sacri textus correctionem privatæ autoritati ſubmittere; quid de hac re mihi videtur E. V. ſciſcitatur; ab ea igitur juſſus aperto pectore quid ſentiam eloquar; hæc accuſatio duplici ſenſu intelligi poteſt, quorum prior Catholicus eſt ab omnibus Catholicis probatus & uſurpatus nedum à Capello: Poſterior audax, temerarius, pœna Canonica dignus in quem non animadverti Capellum incidiſſe; imò animadverti audaciam iſtam exhorrentes eum ideo laudaſſe: Prior igitur accuſationis ſenſus eſt, nemini licere poſt Concilii Tridentini de-

cretum saltem post Clementis VIII. correctionem scribenti commentaria in sacrum Textum, aut quovis alio modo de re Theologica tractanti afferere in vulgata editione inesse aliquem librarii errorem aut varias lectiones ex antiquis Manuscriptis colligere aut tueri lectionem aliquam antiquam esse significantiorem ea quæ retinetur in vulgata, aut comparare textus Hebræum, Chaldaicum, Translationes Græcas cum textu vulgatæ, licet sint plane diversi aut etiam contrarii & horum textuum aliquem videri hoc loco commodiorem textu vulgatæ; denique nunquam licere dictionem aliquam vulgatæ, irreptionis accusare. Si hic est accusationis sensus, omnes accusandi sunt Catholici tractatores; vix enim aliquis est qui in hunc occasione data non impegerit imò contrarium omnes asseruerunt & occasione data fecerunt. Cardinalis Bellarminus *l.* 2. de verbo Dei *c.* 11. quatuor occasiones refert in quibus ad fontes confugere licet. 1. Quando in nostris codicibus videtur esse error librariorum. 2. Quando Latini codices variant. 3. Quando verba aut sententia in Latino est anceps. 4. Ad energiam & proprietatem vocabulorum intelligendam. Paulo ante de approbatione Concilii ita edixerat, *nec ita tamen approbavit ut asseruerit nullos in ea librariorum errores*

rores reperiri, sed certos nos reddere voluit in iis præsertim quæ ad fidem & mores pertinent, nulla esse in hac versione interpretum errata. Idem Cardinalis litteris scriptis ad Lucam Brugensem Anno 1603. *Scias velim vulgata non esse à nobis accuratissimè castigata, multa enim de industria istis de causis pertransivimus, quæ correctione indigere videbantur, varias lectiones quas in Bibliis Lovaniensibus habentur & in quas tu librum utilissimum scripsisti, mihi videbantur omnino addendæ,* &c. Hæc Lucas in Epist. quam præposuit variis novis lectionibus in vulgatam quæ editæ sunt in fine bibliorum Antverp. Anno 1618. Puta etiam in aliis anterioribus, & posterioribus. Ibid. ex Card. Baronio, *Fateor in Bibliis nonnulla adhuc superesse, quæ in melius mutari possunt.* Idem Lucas initio Ep. *Etiam in Vaticana eaque prima horum Bibliorum editione, impressores non pauca errata admiserunt quæ passim in priore libello adnotavimus.* Etiam ipsi correctores à Pontifice deputati idem testantur in Epistola editioni Vaticanæ liminari; quid ipse Lucas Brugensis omnibus probantibus, & separatim & simul cum Bibliis varias lectiones publicavit; si quis numerum inire vellet Tractatorum Ecclesiasticorum qui occasione data aliter interpretati sunt, vel ex Græco vel ex Hebræo, quam ferat vulgatæ textus,

qui varias vulgatæ lectiones à textu diversas adnotarunt & amplexi sunt, qui eas cum Græcis, Hebraicis, Syriacis & Chaldaicis codicibus compararunt, edisseruerunt convenientioresque aliquando textui sacro καὶ ἐμφατικωτέρας quàm sit eo loco vulgatæ textus, multitudine sane obrueretur; satis erit unius aut alterius qui hanc quæstionem excusserunt, testimonium producere. Sixtus Senensis in postrema Pag. Bibliothecæ suæ fatetur in vulgata *nonnullas inveniri mendas*, &c. Postea docet hæc omnia nec fidem nec bonos mores lædere, causasque explicat ob quas errores & mendas in Scripturis Ecclesia patiatur. Melchior Canus lib. 2. Locorum Theolog. in fine cap. 14. & toto cap. 15. docet utiliter ad fontes sæpe recurri. *Inter eas quinta utilitas est ejusmodi, ut mendæ quæ in vulg. irrepserunt fontium ope corrigantur*, quod multis exemplis demonstrat; idem argum. fusè prosequitur lib. 11. c. 5. resp. ad argum. 11. & 12, *&c.* Joannes Mariana in opusculo de editione vulgata c. 21. sic interpretatur Concilii Tridentini decretum, *Vulgatæ editionis vitia non probantur quæ multa inesse ex codicum varietate colligebamus, librariorum certè incuria, sed ipsa tantùm interpretis versio probatur, ubi constiterit aut ex codicum omnium consensione, aut Ecclesiæ autoritate locum aliquem*

ab

ab illo ita esse conversum; addo tamen ne verbis quidem illis ita esse probatam nostram editionem, ut eadem magis propriè aut magis apertè exprimi posse nonnullis locis negent. Hanc Concilii mentem fuisse probat testimonio Jacobi Laines Societatis Jesu Præpositi Generalis qui Concilio interfuit, & paulo post. *Gallos, Italos, atque Germanos Scriptores qui libris de Theologia editis non dubitabant sæpe editionis vulgatæ vitia accusare, & nostri interpretis officiantiam; grave est universos quasi impios & de Religione malè sentientes criminari, præsertim cùm validis argumentis eorum sententia falsleatur,* &c. *Multa superius in Hebraicis & Græcis codicibus vitia esse ostendimus, multa mendacia in rebus minutis, eorum pars aliqua non exigua in nostra editione Vulgata extat.* Hoc postea multis exemplis demonstrat idem Andræas Vega lib. 15. in Concil. Trident. cap. 9. ubi asserit hanc fuisse Concilii mentem, sæpius à Cardinale Sanctæ Crucis audivisse. Idem argum. fusè persequitur l. 11. c. 5. Resp. ad argum. 11. & 12. ubi non modo mendas multas irrepsisse fatetur, sed nonnullas quæ falsum inducunt, quod tamen nec ad fidem nec ad bonos mores spectat. Idem Lindanus de optimo genere interpretandi l. 3. c. 24. sed præcipue 13. Gouelser. pro Bellarmino l. 2. c. 10. Ita Capellus

absti-

abſtinenter de his vulgatæ ab Hebræo varietatibus locutus eſt, ut alio ferè ſemper recurrat quam ad mendarum in vulgatam illapſum, ut legere eſt p. 371. ſect. 6. pag. 356. ſect. 12. ideo rectè ait pag. 12. ſe à ſententia Card. Bellar. cujus verba fuſe refert non longè diſcedere. Imo conceſſo quod nulli contendunt vulgat. Interpretem fuiſſe prophetam & θεόπνευστον interpretationem condidiſſe (quam ſententiam ut probabiliorem amplexi ſumus Exercit. noſtrarum Biblicarum lib. 1. Exercit. 7. c. 4.) nec ſic tamen conſequeretur nævos in vulgata nullos eſſe, errores & oſcitantias nullas; ſequeretur equidem nihil horum ab Interprete commiſſum eſſe, ſed Amanuenſes in ea deſcribenda nunquam aberraſſe, ceſpitaſſe, oſcitaſſe quis præſtare audebit? hoc eſſet in hæreticorum inſaniam ruere qui Græcos & Hebræos codices, præſertim hos poſteriores, volunt eadem puritate nunc excellere qua primum fuſi ſunt, ut vulgata Eccleſiæ editio ſecundùm eos abſolutè corrigatur; contra hanc hæreticorum ſuorum inſaniam validiſſimè ſcripſit Capellus & prope innumeris exemplis demonſtravit in codices Hebræos plurimas mendas irrepſiſſe, tantumque abeſt ut vulgatæ injuriam intulerit, ut ex comparatione vulgatæ cum Hebræo textu plurimas in Hebræum textum irrepſiſſe

fisse mendas colligit ut videre est lib. 5. c. 7, 8, 9, 10, 11. nos de Græco textu idem variis modis fusè demonstravimus in Exercitat. Biblicis lib. 1. tota Exercit. 2. & multis annis ante Capellum de Hebræo textu ex ipsa Masora variisque autoribus Hebræis & consensu textus Hebraei, Samaritani, Syriaci, 70 Interpretum, & vulgatæ in textum Hebræo-Rabbinicum in Exercitationibus nostris Samaritanis. Posterior sensus quem ferre potest illa propositio quæ ex Capelli Critica colligitur est ejusmodi, Unicuique licere in Vulg. Textu verba & sententias immutare, & alia substituere, aut de novo intrudere vel resecare sine expressa summi Pontificis licentia; hæc propositio revera audax est & temeraria in homine Catholico nullo modo ferenda. Animadversiones ejusmodi aut in fine operis se movendæ aut alio Charactere in fine aut initio capitum collocandæ, ut ab ipso textu manifestissimè distinguantur; laudat Capellus p. 172. Masorethas quod Animadversiones suas in textum non intruserint; probabile est eum non sensisse Animadversiones illas in vulgatam intrudendas, sed ratione humana persuasus, non Catholica, quæ hanc Ecclesiæ autoritatem defert; ille enim utpote hæreticus Ecclesiæ autoritatem in medium nunquam adducit, sed semper prætermittit. Verum

tamen

tamen de S. Hieronymo & ejus verſione Magnifice & vere Catholicè loquitur p. 354, 355. Omnibus præcedentibus longè præferi, affirmatque contra omnes hæreticos eam eſſe S. Hieronimi, & à plurimis hoc eſſe evidentiſſimè probatum, inter quos Auguſtinum, Steuchum, Eugubinum, & Joannem Marianam nominat, ut videre eſt pag. 355. optimas inſuper & viris Catholicis paſſim enarratas cauſas reddit diſſenſionis ejus à textu Hebræo, ut videre eſt p. 356, 357. atque etiamnum p. 402. ſect. 8. Imò tanti facit vulgatam ut poſtea ex illa diſſenſione textum Hebræum colligat eſſe mendoſum; ſi errata librariorum, aut etiam interpretis, quod rariſſimum erit, in vulgata ſupereſſe aliquando admittit, nihil mirum cùm Catholici plurimi id fateantur; optat equidem p. 434. ſect. 10. verſionem fieri novam veteris Teſtamenti ex Hebræo textu, in cujus Margine variæ lectiones undique ſelectæ collocarentur, ſed hoc, ut mihi videtur non præjudicat Concilii decreto, quod tantum vult vulgatam Latinam Editionem cæteris Tranſlationibus præferri, & authenticam haberi, atque in officiis Eccleſiaſticis ſolam uſurpari, & in diſputationibus à nemine rejici; ſed ex Hebræo aut Græco interpretationem ad Originarii textus illuſtrationem condi nunquam prohibuit; quam-

quam

quam certò conjiciatur Capellum utpote hæreticum decreti istius rationem non habuisse; mihi attentè consideranti quod à me per Epistolam quæsierat E. V. visum est ita probabiliter responderi posse, multa poterant addi: hæc enim quæstio spinosis obscuritatibus fœcunda est, sed Epistolam non librum postulas, jamque justam Epistolæ mensuram excessi; si Eminentiæ Vestræ expectationi feci satis, id quod vehementer desiderabam assequutus sum, sin minus, mihi bono animo conanti, ut soles, favebis.

Vale Eminentissime Cardinalis, Deus omnia Consilia tua prosperet & ad optatum finem perducat.

Parisiis Anno partæ salutis CIↃIↃCLIII
Kal. Decemb.

EPIST.

EPIST. LXXXIII.

R. Goezaldus J. Morino de Moribus Urbani octavi aliqua, *Abraham Ecchellensis* apud Romanos Aulicos male habitus quod Cardinalem *Antoninum Barberinum* titulo Episcopi Pictavorum in opere à se edito insigniat.

A Reverend Pere Morin *Peſtre de la Congregation de L'Oratoire.*

Mon Reverend Pere,

LA Grace de Jeſus pour Jamais, je receus hier la voſtre du 27 du paſſé avec le paquet pour le Sieur Abraham que je fus chercher par deux fois ſans le pouvoir rencontrer, je tacherai à le trouver ce matin peut eſtre devant de fermer la preſente & luy dire ce, que deſſus & l'aſſeureray de luy bailler pour rembourſer tout ce qui ſera neceſſaire pour voſtre ſervice, Je vous remercie de la reſponſe touchant vos liures precedens & l'avis ſur ce que vous faites imprimer, je ne manqueray pas de le faire Scavoir à Monſeigneur le Cardinal Barberin à la premi-

premiere occaſion que je luy pourray parler ; Ce qui eſt aſſez difficile à preſent eſtant grandement employéz, par le Pape qui devient bien caduc quoiqs il tache à faire veoir le contraire & vouloit aller aux champs ce jourdhui à ſon St. Martin pres Viterbe ſans les pluies froides qui ont commencé depuis deux jours apres une aſſez grande Secchereſſe pour la ſaiſon ; il continue toujours d'en rechercher contre ceux de ſa Maiſon & de ſa famille & principalement le Card. Aſtali autrefois ſurnommé Pamphilio *& in Angelis ſuis reperit pravitatem.* J'avois eſcrit ce que deſſus des hier jour de la reception de la voſtre à l'heure meſme vint le Sieur Abraham & fummes enſemble quelq; tems, il leut toute la lettre que luy eſcriviés & me promit de ſatisfaire à vos deſirs le pluſtoſt qu'il luy ſera poſſible, mais qu'il vous prie de patienter un peu parce qu'il travaille pour ſon reſtabliſſement. Le Card. Barberin luy à promis de parler au Pape : dans peu de Jours tout les Cardinaux luy portent compaſſion de ceque le Pape s'eſt ainſi eſmeu contre luy pour ſi peu de choſe, qui eſt ſeulement pour avoir qualifié le Card. Anthoine Eveſque de Poictiers en ſon Epiſtre dedicatoire du liure qu'il nous envoia, vous l'aures ſceu du R. P. Gaſſot au quel le P. Beruidi l'eſcrivit pour vous le dire, ce que jen'avois voulu faire

faire pour ne vous attriſtrer, ſur l'Eſperance que j'avois que cela s'accommoderoit promptement ; il dit que ſi cela ne s'accommode, il veut retourner en France : le Pape comme l'ay dit eſt grandement facile à preſent à la cholere. Je demeure apres vous avoir preſenté nos tres humbles recommendations de tous à vos S. prieres & de tous de voſtre Maiſon.

Mon. tres R. Pere.

A Rome ce 20 Avril 1654.

Voſtre tres-humble & tres-affectionné Serviteur,

R. Goezald. *Pre de L'Oratoire.*

EPIST.

EPIST. LXXXV.

Abr. Ecchellensis, Jo. Morino de *Joan. Marone* & ejus operibus nonnullas unde Maronitarum nominatur secta: de *Joanne* Darensi syro; qui nam sint Melchitæ & qua in re à Jacobitis dissentiant; de aliis sectis in Oriente, Judicium de Originibus *Alexandrinis* à *Seldeno* editis.

Clarissimo Doctissimoque viro Joanni Morino *Congreg. Orat. Presb.* Abrahamus Ecchellensis Maronita *S. P. D.*

Nullæ profecto sunt mihi gratiæ agendæ, *Morine* doctissime, quod libellum meum de scriptoribus Chaldæis [a] ad te miserim, & quod missionem non distulerim; sed tibi duplices à me rependendæ, quod illum legere ac perlegere non sis dedignatus. Ad quæstiunculas autem quas subinde moves breviter pro temporis angustia, ac præsentium rerum statu, qui se haud later, sic respondebo.

[a] *Intelligit catalogum Hebed Jesu.*

1. Joannes ille Maro qui Commentarios confecit in Liturgiam S. Jacobi, & à me eo nomine laudatur in meis notis pag. 135. & alibi, plures quoque alias doctissimas edidit elucubrationes contra Nestorianos, Monophysitas, alioſque antiquiores hæreticos, quarum vetustissimus exemplar, Syriacè, & Arabicè extat apud me: Quod verò is viveret ſeculo ſexto vergente ad ſeptimum, habemus non ſolùm ex Maſoritarum Monumentis, ſed etiam ex Jacobitarum, Melchitarum, aliarumque gentium hiſtoriis; hunc autem fuiſſe hæreticum Monotheli-tam, ac in ſexta Synodo damnatum ſunt qui ſcribunt; ſed quàm oſcitanter, & frigidè verſatis in actis Synodorum planè conſtat, cùm hujus rei nec veſtigium, nec vola in actis illius Synodi, aut aliarum occurrat; imo Jacobitæ, qui Monothelitæ ſunt, uti & omnes reliqui Monophyſitæ, diris hunc Maronem devovent, tanquam duarum naturarum, voluntatum, & operationum aſſertorem, & quidem acerrimum; affirmant

Non ita profecto antiquus eſt ſcriptor ille, vel ejus ſcripta quæ nondum, in lucem edita, ſunt ſuppoſititia.

Fruſtrà contendunt Maronitæ Maronem ſuum quem ut ſanctum Venerantur non fuiſſe hæreticum; de eo conſulatur ipſe Morinus libro de ordinationibus.

affirmant quippe illum hac de re multa disseruisse, ac disputasse cum Cyni discipulis; quod notatur etiam in præfatione professionis fidei ejusdem, quæ illius dissertationibus adversus Nestorianos, & Monophysitas hisce verbis præfixa legitur,



Cum autem motum esset dogma illud dividens unitatem sive unionem Domini nostri, à Nestorio, atque ab Eutyche stulta commixtione & confusione adversus duas naturas gloriosas, & unitas Domini nostri, & cum susceptum esset à discipulis horum duorum, tunc cœpit ipse Joannes qui cognominatus est Maro monere illos, atque demonstrare eis claris testimoniis, quæ postea describemus: quemadmodum & contra discipulos Cyri qui unam profitebantur voluntatem. Argumenta autem, quibus horum refutat dogmata certè tanti sunt ponderis, ut affirmare non dubitem omnibus hunc palmam in hoc genere eripuisse; hæc omnia fortitan operâ nostrâ lucem aliquando videbunt. Quæris præterea an Joannes iste Maro Patriarcha Antiochenus auctor Commentariorum in Liturgiam S. Jacobi sit idem cum illo qui inter sextum & septimum seculum vivebat? Respondeo eundem esse. Quæris denique utrum Maronitæ suæ denominationis originem referant ad Joannem istum Maronem, an vero ad Maratam Episcopum Tagritensem, cujus Liturgia impressa legitur in Maronitarum Missali? Dico ad neutrum istorum, non ad Maratam Episcopum & Martyrem, quia is vixit multo antequam hæc denominatio audiri cœpit inter nostros Orientiales; nec præteret illius

illius nominis Analogia id ullo modo admittit, vel admittere poteſt; non ad Joannem Maronem, quia iſ poſt indictam noſtris denominationem floruit, eandemque ob cauſam Maro ſeu Maronita cognominatus eſt; quandoquidem id nominis tam illi, quàm nationi univerſæ attributum eſt paulo poſt celebratam Chalcedonenſem Synodum; ex nomine Monaſterii D. Maronis Abbatis de quo Theodoretus in Relig. Hiſtor. cap. 16. & 21, 24, 30. & alii; Ex hujus quippe D. Maronis nomine denominati primò ſunt omnes Monachi ſecundæ Syriæ; deinde mox poſt laudatam Synodum omnes illi Syri qui contra Eutychianos, Dioſcorianos, & Acephalos Conciliorum defenſitarunt Decreta, & fidem accitam, quemadmodum planè conſtat ex Epiſtola Archimandritarum Syriæ ſecundæ ad Hormiſdam Papam, libello Monachorum Tractus Apameenſis ad Syriæ ſecundæ Epiſcopos, & aliis; Epiſtolæ primo loco ſubſcribit Alexander hiſce verbis. *Alexander Presbyter, & Archimandrita Monaſterii S. Maronis.* Rem iſtam paucis complectitur titulus Diſſertationum ejuſ-

Hæc non ſunt ex omni parte vera.

dem Joannis Maronis in hæc verba;

اعتقاد البيعة الرسوليه الذي
كتبه القديس يوحنا بطريرك
انطاكيه في دير مارون علي
نهر العاصي بلد حماه وحمص
واورد ذلك الي جبل لبنان
ولاجل هذا يسموا اهل الجبل
المذكور موارنة علي اسم الدير
مارون ويسمي يوحنا المذكور
مارون هو ايضا علي اسم الدير

id est, *Professio fidei Ecclesiæ Apostolicæ, quam scripsit S. Johannes Patriarcha Antiochiæ in Monasterio Maronis sito ad flumen Hasi,* (Latinis Orontes dicitur), *Provinciæ Apamea,*

mee, & Hemes, eamque misit ad Montem Libanum, ex quo nominantur incolæ memorati Montis Maronitæ ex nomine Monasterii Maronis, & Joannes quoque ipse Maro nominatur ex nomine Monasterii. Ad hujus Monasterii judicium provocarunt nostri Syri, cum propositum illis esset Monothelitarum dogma, testis est Thomas Caphortabensis Episcopus Tract. 4. suarum dissertationum de voluntatibus Christi hisce verbis, حينيذ قالوا اهل

السّلم نحن راجعين لي حكم

دير مارون دير السريان الذي

تاويله ديار الرب لان كانت

صفة هذا الدير علي شط

العاص خارج مدينة حماه

وكانت جملة رهبانه ثمانماية

راهب قديسين *Tunc responderunt Syri;*

nos redimus ad judicium Monasterii Maronis, Monasterii Syrorum, quod interpretatur domicilium Domini (ex Etymologia nominis id significat) *erat autem id Monasterium situm ad ripam Hasi, extra urbem Hemat, eratque numerus illius Monachorum* 800 *Sanctorum, & paulo infra subdit,*

عنه ذلك ثبتوا اهل جبل لبنان
وحمص وحماه وحلب على المقالة
المقدم ذكرها وعلى راي
المجامع المقدسة وانتسبوا
باجمعهم الى دير مارون وسميوا
موارنه على اسم الدير *Tunc per-*

manserunt incolæ Montis Libani & Hemes, Hemat, & Aleppi in memorata jam sententia, & in decretis seu mente Sanctorum Conciliorum, ac relati sunt omnes ad Monasterium Maronis, ac nominati sunt Maronitæ de nomine Monasterii. Et hæc paucis de Maronibus, & Maronitis, ex quibus planissimè patescit,

pateſcit, quàm frivola ſunt, quæ de illis nonnulli ſcripſerunt.

II. Quæris quo argumento probo, Joannem Epiſcopum Darenſem Syrum cujus mentio ſit in meis notis pag 131. & alibi, claruiſſe ſeculo quarto & Commentarios in libros D. Dionyſii de utraque Hierarchia conſcripſiſſe? Quandoquidem nullibi gentium apud Græcos & Latinos mentio ſit librorum Dionyſii ante annum 530 regnante Juſtiniano: Reſpondeo Joannem Darenſem eo ſeculo vixiſſe conſtare ex Syrorum hiſtoriis, neque hac de re ab illis dubitatur; ejus quoque ſcripta id ultro confirmare videntur cùm omnes quos citat Scriptores, eo ſeculo anteriores ſint; eos verò libros Dionyſii notiſſimos fuiſſe apud Syros ante Juſtiniani tempora certiſſimum eſt ex D. Iſaac Syro S. Ephrem diſcipulo, qui floruit ſeculo tertio ad quartum vergente; is enim in ſuis libris de Angelis paſſim hos Dionyſianos laudat, & ſequitur. Scio non deeſſe Doctos & Criticos viros quibus hæc neque probantur neque placent; at ego lecta refero, & aliorum ſcripta, non judicium fero; his addis, nimirum Maronitas noſtros antiquiores hos Dionyſii contempſiſſe libros, quia in Liturgiis & ritualibus non eundem ſervunt ordinem. Reſpondeo, tametſi non eundem

Orientales rei Critica minimè periti.

eundem servant ordinem, eandem tenent Doctrinam, nec repugnant Dionysio, nec libros ejus contemnunt; mentionem enim faciunt Angelorum in ritualibus & Liturgiis, ut res fert, ac modo à superioribus descendunt ad inferiores, modo ab inferioribus ascendunt ad superiores, modo habent rationem significationis, & Etymologiæ, modo Metri & Carminis; ex quo si res diligentius discutietur, comperies, non eundem ordinem, & modum servari in ipsis Liturgiis, & ritualibus.

III. Quæris, quinam sint Melchitæ, & in quo potissimùm dogmate à Jacobitis dissentiunt? Respondeo Melchitas nunc esse Syros, Arabes, Ægyptios, seu Cophtitas, & quoscunque alios, qui cùm non sint genere Græci, Græcorum tamen sequuntur placita, & ritus; dissentiunt quidem isti à Jacobitis in Mysterio Incarnationis Verbi Divini, cùm Melchitæ teneant cum Concilio Chalcedonensi, & sexta Synodo duas in Christo Domino esse naturas, duas voluntates, & duas operationes; Jacobitæ verò unam duntaxat naturam, unam voluntatem, & unam operationem; discrepant præterea Jacobitæ à Melchitis, quòd Jacobitæ * Spiritum S. à Patre Filioque procedere credant, & id dogmatis in Concilio Ephesino

* *Id falsum est, nam orientales omnes hac in parte consentiunt cum Græcis.*

sino determinatum constanter affirment, uti ex eorum Catechismo notavimus olim ad Synopsin, seu præfationem Concilii Nicæni, quam Latinè cum argumentis Canonum, & constitutionum illius Concilii fecimus; ubi Melchitæ nonnulli contrarium cum nonnullis Græcis sentiunt. Addubitas præterea, an iidem sint cum Maronitis Melchitæ, & id ex eo quod pag. 168. mearum notarum videar tibi utrosque copulare, dum dico: *Verba ipsa sunt apud Melchitas & Maronitas.* Ad quæ dico, Melchitas Syros, quibus primò hoc nomen Melchitarum inditum fuit, tum in alias quoque derivatum gentes, eosdem fuisse cum Maronitis, usque ad Justiniani Junioris tempora, eademque utrisque dogmata, uti hisce verbis testatur David Archiepisc copus Tract. de Orientalium sectis & opinionibus cap. 1. de fide,

وثبتت هذه الفرق الاربعة علي
انما الفرقتين الملكية والمارونية
اللتان ذكرناهما فرقة واحدة
ورايهما في الاتحاد والاقنوم راي
واحد

Constat

Constat itaque has sectas esse quatuor, quoniam illa duæ secta nimirum Melchitarum, & Maronitarum, quas memoravimus, sunt una eademque secta, eorumque opinio circa unionem & personam una eademque est, fusius hac de re scribit in Epistola ad Arsenium Episcopum Haincurensem sub An. Alexandri 1370. qui est Christi Domini 1053. Schismatis ac tantorum malorum quæ inde sequuta sunt; quæque hactenus tanto nostro damno experimur, Justiniani fuit petulantia, seu potius ignavia, & inertia quemadmodum ex Græcis literis consignarunt Theophanes, Zonaras, Cedrenus, & alii: quandoquidem Maronitæ nostri Libani incolæ quos laudati mox Græci auctores appellitant Mardaitas ex Syriaco vocabulo ܡܪܕܝܬܐ quasi dicas *rebelles*, & *indomitos*, Arabum incursiones ab Romano imperio ita coercebant armis, ut vix intra Arabiæ suæ terminos ac deserta loca tutos se esse crederent: hinc pacem à Justiniano petere coacti sunt quam his conditionibus obtinuere, nimirum, ut penderent Romanis in singulos dies nummos ciↄ equum, & servum, si Imperator Mardaitarum, seu Maronitarum impressiones, & irruptiones compesceret. Sed Cedreni hac de re verba in ipso Justiniano audire juvat. *Primo anno Justiniani*, inquit, *ad eum nuncios mittit* (princeps Arabum)

Arabum) *confirmandæ pacis causa, convenitque ut imperator Mardaitarum agmina in Libano, ejusque impressiones compesceret, eoque nomine Arabes Romanis penderent in singulos dies nummos* CIↃ *equum & servum. Imperator Paulum Magisterianum ad Abimelecum mittit pacti confirmandi gratia idque scripto & testibus est comprehensum: deinde Imperator misso legato duodecim millia Mardaitarum revocat, quo quidem facto Romanam potentiam accidit; quidquid enim hodie Arabes tenent à Mopsuestia usque ad quartam Armeniam, id enim omne infirmum erat, cultoribusque vacuum ob incursiones Mardaitarum: quibus repressis ingentia damna Arabes Romano imperio in hunc usque diem intulerunt.* Ex his facilè quisque deprehendere potest, qui qualesque semper fuere Libani incolæ, & quam Christianæ Religionis acerrimi extitêre defensores. Certe nisi in suarum victoriarum, & imperii salutis auctores arma convertisset Justinianus, & qui sequuti illum Imperatores, Mahometana forsitan lues, quæ ex Arabum illorum cœno emersit non multo post, nec universum pene infecisset orbem tanto Christianæ Religionis & reip. damno, nec tam latè longeque grassata esset; verum enimvero rei ex animi sententia Justiniano haud usquequaque evênit, quia etsi Libani accolæ arma deposuere,

êre, incolæ nequaquam; hinc quidem factum est ut qui Imperatoris mandatis acquieverint, Melchitæ dicti sunt & hactenus hoc nomine dignoscuntur quasi dicas imperiales seu Regii; qui vero non, & Mardaitarum, seu rebellium, & Maronitarum nomen retinuere; hacque de causa multa prælia cum Justiniani ducibus inierunt, ut præter Maronitarum testantur Melchitarum, Jacobitarum, aliarumque gentium orientalium Monumenta; nec profectò ab avita virtute, aut Religione degenerârunt Maronitarum posteri etiam sub immani Turcarum jugo; etenim illi soli inter omnes Orientales Christianas gentes arma tractant & Catholicam profitentur fidem; bellicæ virtutis præclarissimum testimonium nobis facit prælium illud quod antè biennium illatum est à Prorege Damasci Amiro (ut de antiquioribus nihil nunc dicam) in quo Amiri acies quæ ex diversis componebatur gentibus, Turcarum multitudine, ac numero pene oppressa jamjam in fugam inclinaverat, nisi nostrorum Maronitarum incredibilis ac invicti animi magnitudo gravissima pericula contemnentis adfuisset, hostiumque obstitisset conatibus; siquidem tanto impetu, ac tam impavido animo in hostem irruit dexterum cornu, quod ex quinque Maronitarum millibus constabat,

ut illum non modò fuderit ac in turpissimam converterit fugam, verùm etiam Turcarum octodecim millia ferro interemerit, gloriosissimâ suo Principi partâ victoriâ; sed hæc nostrum sunt præter institutum, ac aliud tempus, alium locum, aliudque otium requirunt; tandem ut ad rem nostram redeam Melchitæ nunc differunt à Maronitis in iis omnibus dogmatibus in quibus differunt Græcia Latinis.

IV. Paucis scire velis quid censeo de Originibus Alexandrini à Seldeno editis, & Commentariis illustratis? Respondeo Seldenum plura admisisse in iis Originibus peccata cùm vertendo quàm commentando, in versione ad suas adstruendas fallacias & proposita argumenta pro universalibus particularia interpretatus est, & vice versa; exemplo nunc esto. Eutychius loquens de Ordinationibus Demetrii ait, وهو اول بطريرك بالاسكندرية عمل الاساقفة quæ ad verbum & fidelissimè sic reddenda sunt: *Et est primus Patriarcha, qui in Alexandria fecit Episcopos.* Ea tamen sic infidelissimè reddit Seldenus, & primus fuit hic Patriarcha Alexandrinus, qui Episcopos fecit. Profectò Demetrius non

non fuit primus Patriarcha Alexandrinus, qui Episcopos fecit; sed primus qui fecit Episcopos in urbe Alexandrina, quemadmodum pluribus adductis testimoniis ex antiquissimis illius Ecclesiæ Monumentis, & Scriptoribus in responsione ad ipsum Seldenum ostendimus; & hoc quidem mirum in modum consonat iis, quæ in Alexandrino Chronico de Episcoporum antiquitate leguntur in Juliano Demetrii prædecessore; sed eo tempore nulli poterant Alexandriæ commorari; at nos Episcoporum originem & successiones à D. Marco, & Anania arcessimus; sed nec nomine Egypti universa Patriarchalis Dioecesis accipienda, & intelligenda est apud Eutychium ut nos Clarissimè demonstramus.

Quintum quod attinet, nihil mihi dicendum occurrit; nam versionem tuam cum textu originario contuli, & menda omnia exscriptoris ad marginem adnotavi & ad te misi; ad illa autem quæ affers de primo titulo, quod scilicet in fronte ferat tantum Diaconorum Ordinationes, tamen exhibet lectorum & subdiaconorum, uti integrum legendo te animadvertisse, ais; dico hoc nomen ܫܡܫܐ Syris significare *ministrum*, adeoque aliquando accipi pro Diacono, aliquando pro omnibus inferioribus ordinibus, atque ita passim tam Subdiaconus

diaconus quàm lector cæterique alii minores appellantur ܡܫܡܫܢܐ ministri, quanquam præcipue pro Diacono sumi & usurpari soleat; hinc qui vocis hujus usus ignorant, addubitant de numero minorum ordinum apud Orientales, existimantes eam significare apud illos solum *Diaconum* uti apud Latinos.

VI. Asseris, verba ܐܬܬܣܪܝ & ܐܬܦܪܫ in ordinatione Diaconi esse tertias personas præteriti atque Latinè explicanda, *Ordinatus est, separatus est*, quod quidem verissimum est; attamen posse quoque esse secundas personas imperativi præsentis, & vertenda *separare, ordinare*, nequaquam ambigendum est; quod autem ad hæc reponis, nempe Syros non habere præsens tempus in imperativo, sed tantum futurum, uti & Hebræi, ac Chaldæi, verum est in primis & tertiis personis, non quidem in secundis, nisi adsit particula ܠܐ, *ne prohibitiva*, uti loquuntur, tunc enim futuro utuntur, uti ܠܐ ܬܩܛܘܠ, *ne occidas*, alioquin præsenti uti ܥܒܕ fac ܩܪܝ legito ܗܘܝ *esto*, & sic de cæteris, idem quoque Arabibus solemne est; ea tamen verba, quæ notas, in Nestorianorum rituali nullo modo imperativa esse possunt, quia adjungitur iis verbum ܐܫܬܡܠܝ quod est præteriti tem-

 poris,

poris, vertendumque, *perfectus est*, cujus imperativus est ܐܫܬܠܡ *perficere*. In Maronitarum autem Rituali verbum hoc abest, adeoque possunt illa reddi quoque imperativè, & constare hoc videtur ex ordinatione Episcopi, ubi ea verba sunt præsentis temporis modi indicativi legiturque ܡܬܬܣܝܡ ordinatur, &c. Sed hoc in tuo exemplari Ritualis Maronitarum diligenter animadverte, scilicet illud esse imperfectum & quasi compendium & indicem, nam plures preces indicantur tantùm tamquam ex alio codice recitandæ. Confer illud cum exemplari Illustrissimi D. Cancellarii Petri Seguierii, & hoc verissimum esse comperies.

VII. ܡܥܪܐ apud Nestorianos & Orientaliores Syros accipitur pro Amictu, qui est pars indumenti Sacerdotalis, quo tegitur caput; at apud nostros usurpatur pro pallio Sacerdotali ܡܨܢܦܬܐ *Amictus*. ܦܕܬܐ *Ephod, tunica Sacerdotalis, indusium Sacerdotale, album* ܙܘܢܪܐ *cingulum, Zona* ܓܘܠܬܐ *cucullus*, hac voce utitur Ritualis in ordinationibus Monachorum ܩܢܟܐ sunt Cancelli, quibus altare includitur, quapropter ea verba nostri Hebed Jesu de

de Scriptoribus Chaldæis Page 84.

ܘܐܝܬ ܒܗ ܪܝܫܐ ܕܡܬܐܡܪܝܢ ܥܠ ܬܪܥ ܩܢܛܪܐ ܒܡܫܟܚܬܐ ita reddimus: *Ejusdem sunt capita quæ metro decantantur ad portam cancellorum.* Accipitur quoque dictio hæc non semel pro ipso altari; particula ܒܗ quæ passim occurrit in Rituali Nestorianorum, denotat, verba, quæ sequuntur eodem tono esse decantanda, & nequaquam mutandum esse tonum, uti non raro fieri solet; hinc in Rituali Maronitarum occurrit non semel verbum ܫܚܠܦ, hoc est *muta*, nempe tonum; his vocibus ܪܒܐ apud Nestorianos hoc est Magnus, & ܪܝܫܟܗܢܐ apud Maronitas id est *princeps sacerdotum*, designatur Episcopus; verbum ܬܢܝ quod passim quoque occurrit, significat, versiculum repetendum esse, & est à verbo ܬܢܐ repetit, iteravit.

VIII. Quæris an Presbyteri, & Episcopi Maronitæ Romam venientes Missam celebrent in collegio suo more ac lingua sua, uti Græci in collegio suo & æquo fruantur privilegio. Respondeo Maronitas non modo in suo collegio sacra celebrare more & lingua sua, sed etiam quandoque extra collegium, quod aliis facile non permittitur.

IX. Quæris an viri conjugati Diaconatui & Sacerdotio initientur? Reſpondeo, omnino, ſed non ita ut cœlibes ab his ordinibus arceantur, uti & apud reliquos Orientales mos eſt, imo ipſo exemplo Apoſtoli ſummopere laudantur. De hoc argumento multa mihi dicenda eſſent contra noſtri temporis hæreticorum latratus.

X. Quæris, num infantes à Presbyteris Chriſmate confirmentur, ut apud Græcos? Reſpondeo maximè, antiquitus enim uti adulti baptizabantur, ſic continuata actione confirmabantur.

XI. Num Sacerdotes in azymis, uti Latini, an in fermentato, uti Græci, corpus Chriſti conficiant? Reſpondeo in azymis, ut Latini; at nemini ſuſpicandum eſt, morem hujuſmodi nuper introductum fuiſſe, ut quidam falſò putarunt; etenim antiquiſſimus fuit mos iſte apud duas Orientales Nationes, nempe Maronitas, & Armenos, hinc Azymiſtæ à quibuſdam Scriptoribus Græcis dicti & appellati ſunt. Chriſtum autem Dominum, cujus exemplar ſinguli ſequi exiſtimant, ſuum inſtituiſſe corpus in Azymis teſtatiſſimum eſt apud Maronitas; vide nunc quæ hac de re, etſi præter propoſitum, attulimus ex cap. 10. Libri conſtitutionum ejuſdem

Illud ex Latinis ſumpſere Maronitæ.

dem Ecclesiæ Maronitarum in nostris notis ad Tract. de Scriptoribus Chaldæis pag. 144. Sed profecto nihil aliud frequentius occinitur in officio feriæ quintæ de institutione hujus Sacramenti, quàm Christum Dominum in Azymis suum confeciſſe corpus.

Nota multa libris Maronitarum adjecta esse, & plerosque non esse sinceros.

Animadvertendum tamen, formam seu figuram panis Eucharistici ab aliquibus annis commoditatis gratia immutatam fuisse & figuram Latini introductam, unde falsò arbitrati sunt nonnulli cum figura immutatam quoque fuisse qualitatem nempe panis fermentati in Azymum, quia antiqua panis usualis, & fermentati speciem referebat. Verba autem illa libri Constitutionum relata pag. 144. notarum: *Et accepit tunc ex illo pane azymo*, recte opponuntur Jacobitarum & Nestorianorum verbis quæ vel in ipso Missæ Canone sic leguntur: *Et accepit ex illo pane fermentato.* Hoc de argumento variæ sunt inter Orientales controversiæ.

XII. Demum quæris, an pluries in die super idem altare, ut Latinis mos est missa celebretur? Respondeo semel tantum missam celebrari in die super idem altare, nisi vel adsit urgeatque necessitas aliqua, vel id Episcopi obtineatur auctoritate. Vale Doctissime atque Doctissime Vir meque tui

colentissimum amare perge. Romæ 13. Julii 1654.

Quæstiunculis hisce tuis utcunque potui respondi, nunc restat, ut etiam atque etiam te rogem, ne meam hanc responsionem edas, & in eruditorum evulges theatrum; at si hoc tibi aliquo modo libuerit, eam ut castiges, enixe efflagito, ac tua summa eruditione, sapientiaque limatam facias, addendo, diminuendo, mutando, expoliendoque, ut proprius auctor, & amici perhumaniter ignoscas ruditati.

EPIST.

EPIST. LXXXVI.

J. Morinus Card. *Barberino* commendit negotia aliqua ſuæ Congregationis.

Eminentiſſimo Cardinali Barberino.

RPater Valençon nomine qui has litteras Emin. Veſtræ reddit Congregationis ſeu Capituli noſtri generalis decreto mittitur ad ſedem Apoſtolicam, ut ei exponat quaſdam conſtitutiones noſtras jam à ſacra Congregatione regularium examinatas & approbatas, atque ut earundem conſtitutionum confirmationem apud ſedem Apoſtolicam proſequatur negotium cujus cauſa Romam legatur, perſonamque ipſam quanto poſſum animi effectu E. V. commendo; negotium illi curæ fore dubitare non ſinit ea E. V. benevolentia quam in omnibus rebus ſuis experta eſt Congregatio noſtra. Perſonam autem ipſam cum probitatis & ſcientiæ omnis generis laude præſtet, gratioſam illi futuram confido. Ejuſmodi homines apud E. V. longa commendatione opus non habent; eſt enim eorum Aſylum & columen; quapropter cæteris quæ in eo

laudari possunt omissis, Deum Opt. Max. precor, ut Eminentiam Vestram quam diutissime Ecclesiæ suæ conservet.

Parisiis 14. *Kal. Nov. An.* 1654.

EPIST. LXXXVII.

J. Morinus Lunæ Holstenio antiquam amicitiam renovat.

Clarissimo & Eruditissimo D. Holstenio *Bibliot. Vatic. custodi* Joann. Morinus *Cong. Orat. Presbyter.*

JAm longum tempus elapsum est, clarissime Holsteni, cùm literis tecum non egi; non ideo tamen existimo mei oblivionem te cepisse, nam non modo tanta cum amicitiæ & familiaritatis demonstratione me Romæ viventem complexus es, verùm etiam antequam Romam accederem me æstimatione & laude tua ita commendabilem reddidisti, ut mei memoriam in animo tuo nunquam aboleri posse confidam; his ergo fretus antiquam amicitiam nostram hac Epistola renovaturus nihil tibi injucundum aut importunum me facturum spero. Vive igitur fœlix mei nonnunquam memor, amicitiæ

&

& obsequii mei securus; nihil tibi tam honorificum & eminens contingere potest quod votis non præcipiam & præoptem.

Parisiis xvij. *Kal. Nov. An.* CIↃIↃCLIV.

EPIST. LXXXVIII.

Abr. Ecchellensis Jo. Morino Errores Seldeni in sua Eutychii interpretatione.

Viro Clarissimo Doctissimoque ac mihi Colendissimo Joann. Morino *Congreg. Orat. Jesu Christi Presb.* Abrahamus Ecchellensis *S. P. D.*

SEcundis tuis litteris primum respondeo ita te exigente. Certe utrumque Eutychii locum falsa & adulterina interpretatione depravavit Seldenus. Primum quod attinet, Eutychius nequaquam dicit: ab Hanania usque in tempora Demetrii nullum fuisse *in Provinciis* Ægypti Episcopum: sed habet *in provincia Aegypti*; & quidem loquitur juxta linguam & morem Conciliorum, Patrum, & Scriptorum Ecclesiasticorum, qui passim Ægyptum accipiunt pro pecu-

peculiari Provincia Dioeceſis Alexandrini Patriarchatûs, nimirum pro inſula Niliaca, quæ Delta ex ſimilitudine Græcæ litteræ dici conſuevit, quemadmodum *Francia* pro *inſula Francie* quandoque uſurpatur; exempla habes apud Concilia & Patres obvia, qui paſſim ſcribebant: Epiſcopi, qui ſunt in Ægypto, Thebaide, Libya, Pentapoli, *&c.* ex quo liquido patet, Ægyptum non eſſe accipiendam pro tota Patriarchatûs Dioeceſi, ſed pro peculiari illius Patriarchatûs Provincia. Eutychius itaque hoc negat duntaxat, ſcilicet nullum Patriarcham ab Hanania uſque ad Demetrium in Alexandria & ejus Provincia conſtituiſſe, quam peculiarem aſſertionem univerſalem interpretatur malitioſe Seldenus, & alterum committit mendum ſubſtituens perſonam, ſeu dignitatem perſonæ pro loco. Electio autem, impoſitio manuum, benedictio & conſtitutio Patriarchæ, quæ ab illis duodecim Presbyteris Alexandrinis fiebant nullum prorſus faceſſunt ei negotium, qui vetuſta illius Eccleſiæ evolvit Monumenta & mores ac ritus probè intelligit. *Electio* enim denotat apud Alexandrinos privatam, & quæ intra parietes ab illis ſolis duodecim, & ex ſolo duodenario illo numero ex vigore inſtituti fiebat. *Impoſitio manuum* deſignationem perſonæ publicè coram populo, & Chriſtiana

stiana plebe. *Benedictio* congratulationem quæ verbis quibusdam benedicendi concipiebat. Denum dicebatur Patriarcha constitutus ab illis Presbyteris, quia iis cæremoniis pro constituto habebatur ex vi antiqui juris peculiaris. Ordinationem tamen proprie acceptam sive consecrationem semper ac perpetuo pertinuisse in ea ipsa Ecclesia ad solos Episcopos ab ejus origine exemplis manifestissimis, & evidentissima deductione ostendo in responsione ad Seldenum, & quidem omnia ex Alexandrinis Monumentis producta habeo; ea Seldenus aut nescivit aut nescire simulavit ac suorum more, & instituto. Hæc Doctissime Morine, æqui bonique consule, & si minus literatè certe satis verè. Dat. *Romæ* 11. *Januarii* 1655.

EPIST.

EPIST. LXXXIX.

J. Morinus Card. *Barberino* Operis quod nunc Meditabatur breviarium mittit.

Eminentissimo & Reverendissimo Principi Francisco *Card.* Barberino.

PAtere quæso Eminentissime Cardinalis hac tantula Epistola negotia tua negotiosissima tantillum interpellari, meique memoriam redeunte anno in animum tuum redire, atque humillimi obsequii mei vota jamdudum E. T. nuncupata me renovare; quanquam ab oblivione mei securum reddant continua benevolentiæ tuæ testimonia, ita ut contra quàm in proverbio dicitur ἀεὶ τὰ πέρυσι βελτίω sperare debeam anno vertente benevolentiæ tuæ gratiam præcedentibus effusiorem fore. Præter hæc enim interrogasti paucis abhinc diebus R. Patrem Goezaldum, quî valerem, quid agerem, quid elaborarem? Hac interrogatione nihil optatius nihil honorificentius mihi contingere poterat. Ista E. T. de me rebusque meis solicitudo certissimum est argumentum mei memoriam in ejus animo nunquam intermori,

termori, ſed ſemper vivere. Officioſſimæ huic de rebus literariis curioſitati ut faciam ſatis & eam quibus occupationibus diſtinear & implicer quadantenus informem; ad eam mitto titulum operis quod à multis annis elaboro, præcipua capita quæ in eo ediſſeruntur, continentem; operis jam media pars deſudata eſt: quod reſtat ſub duobus prælis judat; opus conſummatum iri intra quadri meſtre ſpero; in his quæſtionibus Theologicis & Palyhiſtoricis quas titulus exhibet recenſendis, diſpungendis, & enucleandis altum otium quo abundo conſumpſi, & quotidie in his emaculandis & edendis conſumo. Deus E. T. ſalvum & incolumem Eccleſiæ ſuæ conſervet, ſummumque dignitati qua ſplendes faſtigium imponat.

Datum Pariſiis 4. Kal. Febr. An. 1655.

EPIST.

EPIST. LXXXX.

Abr. Ecchellensis J. Morino de Sacerdotum unctionis ritu apud Orientales.

Clarissimo, Doctissimoque Viro Joann. Morino *Congreg. Orat. Presb.* Abrahamus Ecchellensis *S. P. D.*

POstremis tuis litteris exigis à me, vir observantissime, ut quid Orientales sentiant de Sacerdotum unctione paucis tibi aperiam; negotium facessunt tibi imprimis ea Maronitarum ritualis verba, ܘܦܢܐ ܠܘܬ ܗܘ ܕܡܬܬܣܪܝܢ ܘܪܡܐ ܥܠ ܡܫܚܗ ܘܡܫܚܝܢ quæ sic reddenda censes: *Et metitur ad eum qui ordinatur, & ponit super caput ejus, & ei adaptat.* Ratio hujus tuæ versionis est, quia *ungere* non videtur congruere cum vetusta & universali Orientalium consuetudine, qui nullam in Ordinationibus agnoscunt unctionem; quamobrem sciendum est, quotiescunque in eorum ritualibus aut alibi occurrit unctionis mentio, id de mystica & spirituali unctione accipiendum intelligendumque

que esse; Ex nostris hoc tradit Joannerensis lib. 2. Hierarch. Eccles. cap. 12. cui titulus est, ܟܠ ܪܒܘܬܗ ܘܝܩܪܘܬܗ ܘܡܥܠܝܘܬܗ ܕܟܗܢܘܬܐ ܥܕܬܢܝܬܐ de magnitudine, præstantia, & celsitudine Sacerdotii Ecclesiastici, ubi de hujusmodi Unctione hæc habet, ܘܡܫܚܝܢ ܕܝܢ ܠܗ ܘܡܫܚܐ ܡܪܟܒܐ ܐܠܐ ܒܗ ܪܘܚܐ ܒܪܝܫܐ ܩܢܘܡܝܐ ܘܡܥܒܕܢܝܐ *Ungitur autem* (Sacerdos) *non quidem oleo composito, sed ipso Spiritu sancto personaliter & effective.* Ejusmodi autem verbis contradistinguit Ecclesiasticam hanc nostram unctionem ab unctione veteris legis, quæ oleo composito, & materiali fiebat, ex quibus concludit hanc spiritualem & mysticam illa materiali longe præstantiorem esse; hoc idem tradit apud Nestorianos (quod secundo loco quæris) Hebed. Jesu Tract. 4. *de Sacramentis Ecclesiæ* cap. 2. ܟܠ ܟܗܢܘܬܐ *de Sacerdotio*, ubi confert ipse quoque Sacerdotium novæ legis cum antiquæ hisce verbis, ܘܩܕܡܝܬܐ ܡܢ ܒܡܫܚܐ ܗܘܠܢܝܐ ܡܫܬܡܠܝܐ ܗܘܐ ܗܕܐ ܕܐܪܬܝܢ ܒܡܫܚܐ ܕܪܘܚܐ ܠܐ ܗܘܠܢܝܐ ܒܣܝܡ ܐܝܕܐ ܡܢ ܓܡܪܐ *Primum quidem* (Sacerdotium

dotium antiqua legis) *oleo materiali perficiebatur*; *hoc secundum* (novæ legis Sacerdotium) *oleo Spiritus immaterialis manus impositione absolvitur.*

Ex his, quæ pro temporis Angustia notare nunc licuit facile videre est, unctionem, de qua Orientalium Ritualibus, mystice accipiendam esse, & spiritualiter, & in eodem sensu verbum ﻣﺴﺢ sive illud vertas *ungere* sive *metiri*, sive *admovere*, *movere*, *motare*, *adaptare*, & si quid aliud.

Romæ 25. *April* 1655.

Rogo enixè ut plurimam dicas salutem meo nomine Clarissimo, atque mihi observantissimo viro D. Le Jay, & aliquid, & amantissimis filiis mihi rescribas, & an modo degat Parisiis, ut illi scribam, nam plurimum virum illum optimum diligo amo & colo, quemadmodum, & omnes suos; nec non D. Vitray & ejus genero Durando, & uxori quibus multa debeo.

EPIST.

EPIST. LXXXXII.

Jo. Morinus Card. *Barberino* gratias agit ob collatum in se beneficium, licèt, quo minus illud acceptet, se excusatum velit.

Eminentissimo Cardinali Barberino Joannes Morinus *S. P. D.*

ACcepi à Luca Holstenio viro mihi multis nominibus observando & colendo Eminentiam tuam inter tot bellorum tumultus perplexasque pacis componendæ difficultates, mei tamen memorem esse, ut qua ratione me bonisque honoribus Ecclesiasticis augeat & honestet solicitam; tot benevolentiæ erga me suæ argumenta mihi hactenus dedisti, ut verba quibus animi mei gratitudinem tibi testatam faciam mihi non suppetant; quanquam enim nonnulla impediant ne beneficium illud acceptare possim, bellorum videlicet strepitus quibus nulla spe pacis affulgente, à tot annis ardet universa illa regio, deinde ipsius beneficii natura quæ ipsissimam pos-

sessoris præsentiam exigit cum Ecclesiasticarum functionum necessitate cui multis de causis parere non possum, rem tamen à benevola & continua animi tui in me propensione ut debeo, atque par est, æstimans ξενίων γὰρ θυμὸς ἄριστος Eminentiam tuam me tibi novo hoc titulo devinctissimum habere æternumque habituram profiteor; velim optime Cardinalis non verbis tantum demonstrare quantas, pro tuis in me meritis tibi gratias habeam, sed maxime velim reapse, si hoc opis esse meæ daret, Deus aliquas referre, & obsequiosissimis officiis meis quam altè animo meo propensissimæ erga me voluntatis tuæ memoria inhæreat aliquo specimine comprobare. Verum mihi præter vota nihil adest quo prodesse possim tibi, nec ea qua fulges eminentissima dignitas, referendi vicem desiderat; in vota igitur precesque, quod mihi solum superest, pro salute tua nuncapandas nusquam cessaturus, ab Eminentia tua pro ea qua est in literarum studiosos humanitate & munificentia, ut mei semper memor esse velit enixissime contendo χάρις χάριν γάρ ἐστιν ἡ τίκτουσ ἀεὶ ut vulgo ex Sophocle usurpant, *Gratia ea est que gratiam semper parit*, sic gratiam tuam & benevolentiam quibus me semper

amplexus

amplexus es, & cumulasti, nunquam mihi defuturus confido. Eminentiam tuam Deus Ecclesiæ suæ & litteris quàm diutissimè incolumem conservet.

Parisiis 3. Non. Junii Anno
CIↃIↃCXLIV.

EPIST. LXXXXIII.

Jo. Morinus Card. *Barberino* in gratiam ſummi Pontificis recepto gratulatur.

Eminentiſſimo Cardinali Franciſco Barberino J. Morinus *S. P. D.*

JAm ab aliquot diebus fama hîc percrebuit de ſummi Pontificis in Eminentiam veſtram favore & benevolentia; Cum primum optatiſſimi hujus Nuntii rumor ad me pervenit à domeſticis E.V. qui hic ſuperſunt ſedulus & gratulabundus quid rei eſſet, inquiſivi, ſecundoque Nuntio à viris Clariſſimis D. Ricardo, & E. V. medico didici E.V. tenero paternoque animo à ſummo Pontifice non modo exceptam, ſed etiam dignitatibus boniſq; reſtitutam ſpemque magnam eſſe Eminentiſſimum Cardinalem Antonium eadem gratia ornatum iri, aut dignitatis ſuæ exercitium E. V. committendum fore: Statim hæc audiens incredibili geſtivi lætitia, nec egò tantum, ſed quotquot hîc ſunt pietatis & literarum amantes; ſicut enim omnes in calamitate indoluerunt, Charites Mu-

Musasque Româ fugisse credentes; sic te diis hominibusque plaudentibus Romam redeunte easdem ab exilio revocatas sibi persuadent. Jòvis taxilli inquiunt Græci, bene semper cadunt *διὶ γὰρ ἐυ πίπτειν δοκοῦσι κύβοι.* Calamitate tua tam fortiter tolerata ex illustrissimo apud omnes Christianos longe factus es illustrior, & commendatior. *Numquid in æternum projiciet Deus, aut non apponet ut complacitior sit adhuc?* Complacitior erit adhuc nec obliviscetur misereri Deus. *Præparabitur*, ut ait Isaias c. 16. *in misericordia solium, & sedebit super illud in veritate in tabernaculo David.* Nam te major agit Deus atque opera ad majora remisit. Hoc adeo efflagitant universa Ecclesia hæreticorum armis & insidiis non modo truculenter appetita, sed etiam percussa piorum omnium preces & virorum literatorum vota, quibus ego gratus, officiorumque tuorum in me semper memor toto animi impetu volens lubensque me adjungo.

Vale Eminentissime Cardinalis, & me Eminentiæ tuæ devinctissimum amare perge.

Datum Parisiis viij. *Kal. Maii An.* CIↃIↃCXLVIII.

EPIST.

EPIST. LXXXXIV.

Jo. Morinus Card. *Barberinum* officiis ultra demereri pergit, eique Librum de Administratione Pœnitentiæ destinat.

Eminentissimo & Reverendissimo Principi Francisco *Cardinali* Barberino Joannes Morinus *Salutem Plurimam obsequiosissime dicit.*

PErdiu est cum officii mei quo erga Eminentiam tuam multis nominibus devinctus sum nullum apud te specimen edidi. Concurrerunt plures causæ, primùm non nihil veritus sum ne frequentioribus literis Eminentiæ tuæ seriis in negotiis semper occupatissimæ importunus essem; deinde ea quæ scribere possum tam levia sunt, ut quò rarius eò prudentius scribam; his accedit operis nostri de administratione pœnitentiæ retardatio; hujus coronidem cùm indies speraremus ut simul cum literis nostris Exemplar aliquod possemus Eminentiæ tuæ offerre, spem meam non diebus, sed aliquot mensibus operæ fefellerunt; tantopere tamen confido benevolentiæ in me tuæ, cujus

argumenta

argumenta toties mihi demonſtraſti, ut facile mihi perſuadeam diuturnitate temporis nihil de ea in animo tuo imminutum eſſe, aut refrigeratum; opus igitur hoc noſtrum longum & laborioſum animo, ut mea ſoles, benevolo ſuſcipe, illique ut à cliente & domeſtico tuo proficiſcenti benignus aſpira; cum præterita mente revolvo vana ſpe me non deluſum iri certiſſima ſpes eſt, Morinumque tuum & quidquid ab eo procedit ſolito favore & benignitate te amplexurum & probaturum. Deum Opt. Max. etiam atque etiam rogo ut Eminentiam tuam & Eccleſiæ & literis incolumem quam diutiſſimè conſervet.

Pariſiis xiij. *Kal. Novembr. An.* CIↃIↃCLI.

FINIS.

Viri Eruditissimi Joannis Morini, aliorumque clarissimorum virorum selectiores Epistolæ cum notis & Animadversionibus.

I. *Epistola Synagogæ Samaritanorum quæ est in urbe Sichem, seu Napolous ad Clarissimum virum Josephum Scaligerum, Interprete Joanne Morino, fidem suam, mores, ritusque suos fusius in ea explicant, simulque exponunt qua in re à Judæis discrepent.*

II. *Epistola Samaritanorum in Ægypto commorantium ad Jos. Scaligerum de eodem Argumento, & eodem Interprete J. Morino.*

III. *Andreas de Leon Samarensis, Cl. viro Michaeli le Jay. Regiæ Bibliorum Antuerpiensium editio quæ magnam partem extat in Bibliis Parisiensibus castigatur in plurimis locis, Paraphrasis Chaldaica ad antiqua exemplaria M. S. S. reformatur, Specimen novæ editionis Bibliorum Antu-*

Antuerpiensium correctioris cui Biblia Pontificia non vero Regia nomen futurum erat.

IV. *Joa. Morinus Clar. viro Hieronymo Aleandro de diversis scripturæ Samaritanæ Characteribus qui in diversis eorum libris reperiuntur.*

V. *Hier. Aleander viro Doct. J. Morino de variis exemplaribus, necnon Characteribus Samaritanorum.*

VI. *Hier. Aleander eidem de siclis quibusdam Samaritano Charactere exaratis, forma literæ Tau apud Samaritanos.*

VII. *Hier. Aleander eidem de aliis siclis Samaritanorum, simulque de Pentateucho Samarit.*

VIII. *Joa. Morinus Hier. Aleandro de eodem Argumento.*

IX. *Hier. Aleander J. Morino de aliis siclis Samarit.*

X. *Jo. Morinus Hier. Aleandro Animadversiones nonnullæ in Pentateuchum Hebræo-Samar. & in Hebræo-Judæum.*

XI. *Aubertus Miræus J. Morino gratias agit de libro Exercitationum Ecclesiasticarum quo eum donaverat Morinus.* XII.

INDEX:

XII. *J. Morinus, Aub. Miræo similiter gratias agit de libro diplomatum Belgicorum quo eum donaverat Miræus.*

XIII. *J. Morinus Nob. viro Petro à Valle de Alphabeto Linguæ Ægyptiacæ, simulque de exemplari M. S. Evangeliorum Linguæ Coptica, de Samaritanorum Pentateucho eorumque Lingua.*

XIV. *Petrus à Valle Peregrinus de suo exemplari M. S. Pentateuchi Samaritani quid de Samaritanorum & Carraim sectis in Asia didicerit fusius declarat.*

XV. *Jo. Morinus Petro à Valle exemplaris M. S. versionis Samaritanæ quod erat Petri à Valle judiciis à viro de Samaritanorum Judæorumque Codicibus Annotata.*

XVI. *P. à Valle J. Morino Responsio ad præcedentem Epistolam diversæ in idem Argumentum cogitationes.*

XVII. *J. Morinus Petro à Valle Animadversiones in Pentateuchum Samaritanum.*

XVIII. *Altera ejusdem Argumenti eidem.*

XIX. *Pet. à Valle J. Morino responsio ad præcedentem de Lingua & Libris Samaritanorum.*

XX. *Jo. Morinus Leoni Allatio, de Libris quos edidit ipse J. Morinus, de Administratione Sacramenti pœnitentiæ, & de Antiquissimis ordinandorum Clericorum ritibus, &c.*

XXI. *J. Morinus P. à Valle de Libris & Lingua Samaritanorum.*

XXII. *P. à Valle J. Morino de Chronologia Mahumadanorum quid à Persa rerum Mathematicarum peritissimo didicerit explicat.*

XXIII. *P. à Valle Jo. Morino de suo exemplari Samaritano.*

XXIV. *P. à Valle Jo. Morino quid de Cabbalisticis Interpretationibus ex Arabum, Persarum, Turcarumque Monumentis hauserit profert.*

XXV. *Jo. Morinus P. à Valle de Chronologia Mahumedanorum prolixè disputat.*

XXVI. *Petrus à Valle Jo. Morino Responsio ad præcedentem Epistolam Ephemerides Persicè ac Turcicæ quas penes se asservabat Auctor tabularum*

larum Astronomicarum quibus nunc Persæ utuntur, & de his judicium diagramma Triacontaeteridis Arabicæ quam ab Astronomo Persa habuerat.

XXVII. *J. Morinus Illustrissimo Cardinali Barberino scribit Apologiam, libri cui nomen fecerat,* De la Grandeur & Souverainete temporelle donée à l'Eglise Romaine, *ob cujus editionem male audiebat Morinus apud Aulicos urbis.*

XXVIII. *Renatus Goezaldus J. Morino de iis quæ Romani Aulici in ejus libro notaverant.*

XXIX. *Jo. Morinus Dom. Soari cui impositum fuerat onus à Cardin. Barberino in opus illud inquirendi.*

XXX. *Idem eidem, Soarem sibi devincire conatur Morinus.*

XXXI. *Josephus Maria Suaresius J. Morino nævos quos ex ipsius libro eximendos notaverat aperit.*

XXXII. *J. Morinus Suaresio suum de fragmento quodam Tertulliani nuper edito Judicium interponit, similiter de excerpto quodam ex Epistola Sancti Maximi ad Monachos Siculos.*

INDEX.

XXXIII. *Petrus Halloix J. Morino laudat illius de Baptiſmo Conſtantini ſententiam quam ſuam quoque eſſe libere profitetur.*

XXXIV. *J. Morinus Franciſco Harlæo Archiepiſcopo Rothomagenſi miris laudibus extollit Archiepiſcopi illius libellum Heroico Pœmate.*

XXXV. *Idem eidem ſimili ratione laudat Archiepiſcopi illius opuſculum de ſacro Euchariſtiæ myſterio juxta Sancti Auguſtini ſententiam.*

XXXVI. *Dominus de Peyreſc J. Morino de variis Pentateuchi Samaritani exemplaribus* M. S. S. *ſimiliter de aliis gentis illius libris quos ex oriente aſportari curaverat prolixius ſcribit.*

XXXVII. *Thomas Comberus Jo. Morino de exemplari quodam* M.S. *Pent. Samarit. quod erat in Anglia.*

XXXVIII. *J. Morinus Tho. Combero gratias agit ob miſſas ad ſe ab eo codicis Samaritani cum Judæo-Hebræi collati varias lectiones exemplarium quatuor* M. S. S. *Pentateuchi Samar. formam deſcribit Morinus, cum variis in illud argumentum Animadverſionibus.*

XXXIX.

XXXIX. *J. Mar. Soario Vasionensi Episcopo ob illius in Episcopatum assumptionem congratulatur.*

XL. *R. Goesaldus J. Morino quid praeter allata notent Romani Auliei in ejus Libro* de la Grandeur, *&c. scribit.*

XLI. *Godofredus Vendelinus J. Morino quærit quis sit Rabbi Eliezer & de ejus libro, Antiqua & nova Judæorum Chronologia ac supputandi ratio.*

XLII. *J. Morinus Godofredo Vendelino Responsio prolixa ad præcedentem Epistolam, varias quæ apud diversas gentes diversis temporibus fuere supputandi rationes fusius declarat, de Samaritanis & Carraitis ex eorum libris* M. S. S. *nonnulla.*

XLIII. *J. Morinus Tho. Combero gratias agit ob missas ad se iterum diversitates lectionum Codicis Samaritani à Judæo-Hebraico suum de exemplari Alexandrino* 70 *Interpretum affert.*

XLIV. *Th. Comberus J. Morino alias mittit in Pentateuchum Annotationes ex Anglicano exemplari Pentateuchi Samarit.*

XLV. *Philippus J. Morino mittit, quas à Patricio Junio petierat Morinus notas ex M. S. exemplari 70. Interpretum.*

XLVI. *Philippus J. Morino quærit utrum verum sit Canones Concilii Tridentini qui de fide tractant non recipi à Doctoribus Sorbonicis.*

XLVII. *J. Morinus Fr. Harlæo Archiepiscopo Rothomagensi in illius laudes excurrit.*

XLVIII. *R. Goezaldus J. Morino quo in pretio sunt Romæ ejus libri etiam apud Cardinales scribit.*

XLIX. *J. Morinus Eminentissimo Cardinali Barberino studiorum suorum librorumque tam à se editorum quam edendorum rationem reddit.*

L. *D. de Peyresc J. Morino monita nonnulla de Samaritanorum Pentateucho.*

LI. *J. Morinus Petro à Valle de Codicibus M. SS. Samaritanorum variisque inter se collationibus nonnulla.*

LII. *Pet. à Valle J. Morino ad præcedentem responsio.*

LIII. *R. Goezaldus J. Morino, Aulici Romani urgent ut novam libri sui* de la Grandeur, *&c. editionem procudat, cum castigationibus quas illi præscribunt, de Congregatione Oratorii nonnulla.*

LIV. *J. Morinus Pat. Junio exemplaris Græci 70 Interpretum cujus specimen dederat Junius, Judicium suum affert simulque criticen prolixam præcipuarum editionum Græcarum tam veterum quam recentiorum.*

LV. *J. Morinus Cardinali Barberino unionem Abbatiæ Juliacensis Domui Parisiensi Oratorii postulat.*

LVI. *J. Morinus Cardinali Barberini Romam vocatus se iturum spondet.*

LVII. *Lucæ Holstenii Commonitorium J. Morino Romæ exeunti.*

LVIII. *J. Morinus Abrahamo Ecchellensi Codices quosdam* M. SS. *qui Bibliis Parisiensibus quæ tunc edebantur utilitati ac splendori futuri erant Parisios secum deferat illum monet.*

LIX. *J. Marinus Hilarioni Abbati Sanctæ Crucis in Jerusalem Abrahamum Ecchellensem Romam*

mam redeuntem ei commendat simulque quid in adornandis Bibliis Parisiensibus operam præstiterit Ecchellensis declarat.

LX. *J. Morinus Cardinali Barberino de eodem Argumento.*

LXI. *J. Morinus Card. Barb. exponit quid sinistri acciderit libro Petri Celloti Jesuitæ de Hierarchia & Hierarchis, Cellotum notat imperitiæ.*

LXII. *Card. Barberinus J. Morino libri Celloti prolixa ea quæ paulo acrior critice, qui sit antiquus & moderus curiarum Franciæ stylus in iis de quibus agit Cellotus.*

LXIII. *J. Morinus Card. Barberino scribit in favorem translationis Episcopi Carnutensis in Archiepiscopatum Rhemensem.*

LXIV. *J. Morinus Card. Barb. scribit in favorem Domini de Marca ad Episcopatum de Cautr. nominati.*

LXV. *Bartholdus Nihusius J. Morino dubia quædam de rebus Ecclesiasticis.*

LXVI. *Abraham Ecchellensis J. Morino mittit capita Epitomes constitutionum Ecclesiæ Maronitarum*

nitarum quæ leguntur Syriace in eorum Ecclesiis & conversæ habentur in Linguam Arabicam, modus administrandi Sacramenti pœnitentiæ apud eosdem Maronitas; figura Ecclesiæ Maronitarum.

LXVII. *Leo Allatius J. Morino nonnulla quæ ad figuram Ecclesiarum apud Græcos & eorum liturgias spectant discutiuntur, de pœnitentiæ quoque ritu apud Græcos etiam nonnulla.*

LXVIII. *J. Morinus Lucæ Holstenio libros quos tunc meditabatur edendos memorat, inter quos aliqui sunt nondum editi, de Jesuitis & Arnaldo aliqua.*

LXIX. *J. Henricus Hottingerus Simeoni de Muis, defensio veritatis Hebraicæ adversus J. Morinum,*

LXX. *J. Morinus Buxtorfio libellum potius quam Epistolam scribit, puncta vocalia apud Judæos recentia esse plurimis ostendit, loca quædam Rabbinorum à se Interpretata vindicat, de Masoretis nonnulla, de Carræis ex eorum libris M. SS. similiter ac de Judæorum Grammaticis observationes criticæ.*

LXXI. *Jo. Morinus Card. Barberino congratulatur quod Barberinorum familia cum summo Pontifice in gratiam redierit.* LXXII.

LXXII. *J. Morinus Lud. Capello quid Buxtorfio rescripserit recenset, & alia nonnulla quæ ad Rabbinorum libros pertinent.*

LXXIII. *Bartholdus Nihusius J. Morino cur in provinciis unitis pauci libri eruditione referti ex Galliis adsportati compareant.*

LXXIV. *J. Morinus Card. Barberino Apologia Domini Ferronii Canonici, & Archidiaconi Ecclesiæ Carnutensis ac Doctoris Sorbonici, cui summus pontifex concedere noluerat diplomata bullarum Abbatiæ Sancti Laudomari Blesensis eo quod doctor ille ob Jansenianas opiniones apud Aulicos urbis male audierat.*

LXXV. *J. Morinus Card. Barb. congratulatur ob triumphatos ab eo hostes.*

LXXVI. *Card. Barberinus J. Morino D. Ferranii pietas & doctrina commendatur.*

LXXVII. *J. Mor. Card. Barb. obsequium suum testatur.*

LXXVIII. *J. Mor. Abrahæ Ecchellensi quærit nonnulla de gente Samaritanorum.*

LXXIX. *Card. Barb. Morino gratiam habet quod tam liberaliter in se laudes conjecerit.*

LXXX. *Card. Barb. J. Morino incundas sibi esse illius literas testatur.*

LXXXI. *Card. Barb. J. Morino significat criticum sacrum Lud. Capelli materiam disputationis Romæ suppeditasse, & cui non errores solum sed curiositatem omnem & audaciam quibus ad novos errores via sternatur depellere curarant Romani Aulici.*

LXXXII. *J. Mor. Card. Barberino Judicium suum de critica sacra Cappelli, & in eum Animadversiones, cur Parisiis cum Privilegio Regis edita, quibus Approbationibus, quid in ea laude dignum, quid vituperio, quis sit sensus Concilii Tridentini pro definitione vulgate.*

LXXXIII. *J. Morinus Lucæ Holstenio de nonnullis codicibus* M. SS. *Græcis qui in Bibliothecis Vaticana & Barberina reperiuntur.*

LXXXIV. *R. Goezalius J. Morino de moribus Urbani* VIII. *aliqua, Abrahami Ecchellensis apud Romanos Aulicos male habitus quod Cardinalem Antoninum Barberinum titulo Episcopi Pictaviorum in opere à se edito insigniat.*

LXXXV. *Abr. Ecchellensis J. Morino de Joanne Marona & quis operibus nonnullas unde Maronitarum*

nitarum nominat secta, de Joanne Darensi Syro, quinam Melisite & qua in re à Jacobitis dissentiant, de aliis sectis in Oriente, Judicium de Originibus Alexandrinis à Seldeno editis.

LXXXVI. *J. Mor. Card. Barb. commendat negotia aliqua suæ Congregationis.*

LXXXVII. *J. Mor. Lucæ Holstenio antiquam amicitiam renovat.*

LXXXVIII. *Ab. Ecchellensis Jo. Morino errores Seldeni in sua Eutychii Interpretatione.*

LXXXIX. *J. Mor. Card. Barb. operis quod tunc meditabatur breviarium mittit.*

XC. *Abr. Ecchellensis J. Morino de sacerdotum unctionis ritu apud Orientales.*

XCI. *D. de Sanes Episcopus Madavienſis Cardinali Bagni Monachos aliquot Anglos Benedictinos Congregationis Madriticæ cur urbe sua expelli velit declarat.*

XCII. *Jo. Morinus Card. Barberino gratias agit ob collatum in se beneficium, licet, quo minus illud acceptet, se excusatum velit.*

XCIII. *Jo. Morinus Card. Barberino in gratiam summi Pontificis recepto gratulatur.* XCIV.

XCIV. *Jo. Morinus Card. Barberinum officiis ultra demereri pergit, eique Librum de Administratione Pœnitentiæ destinat.*

Præter notas & Animadversiones quæ Epistolæ cuilibet subjiciuntur, bis omnibus præmittitur Vita J. Morini quæ mores illius tum Romæ tum Parisiis, studiorum illius rationem & alia bene multa complectitur. Insuper librorum tam à se editorum quam edendorum critica. Epistolæ omnes ex Autographis eruuntur.